

Pre-Linn.
QK2
.A1851
1712
v.1-2

ACADEMIÆ CÆSAREO-LEOPOLDINÆ NATVRÆ CVRIOSORVM EPHEMERIDES

SIVE

OBSERVATIONVM MEDICO-PHYSICARVM

à

CELEBERRIMIS VIRIS

Tum Medicis, tum aliis eruditis in Germania
& extra eam communicatarum

CENTVRIA I ET II.

Cum

APPENDICE

&

Privilegio Sacr. Cæſ. Majeſtatis.

Editæ ſumptibus Academiæ An. 1712.
FRANCOFVRTI & LIPSIÆ,
Apud CHRISTOPHORVM RIEGELIVM.
Literis Melchioris Gottofredi Heinſii. q.p.

ACAD
LVGD
BIBLIOTHECA VENDIDIT
W. G. Phipps.
Mo.Bot. Garden,
1902.

ELEGIADICE

CVM

CARMINE HEROICO

DE

ODEIS AVLICIS

ET

EPIGRAMMATIBVS

ITEM

CARMINE LYRICO-HEROICO

DE

VENATIONE

SACRATISSIMO

INVICTISSIMOQVE ROMANORVM IMPERATORI CAROLO VI.

SEMPER AVGVSTO,

GERMANIÆ, HISPANIÆ, INDIARVM, HVNGARIÆ, BOHEMIÆ, CASTILIÆ, LEGIONIS, ARAGONIÆ, SICILIÆ VTRIVSQVE, HIEROSOLYMORVM ATQVE NAVARRÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, BVLGARIÆ, BOSNIÆ, SERVIÆ ET RASCIÆ

REGI,

ARCHI-

ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ, BRABANTIÆ, MEDIOLANI, STIRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ AC LVCEMBVRGI, WIRTEMBERGÆ ETIAM AC DVPLICIS SILESIÆ,
PRINCIPI SVEVIÆ,
COMITI LIMITANEO BVRGOVIÆ, MORAVIÆ ET LVSATIÆ,
PRINCIPALI HABSPVRGI, TIROLIS, PFIRETARVM, KYBVRGI ET GORITIÆ,
PROVINCIALI ALSATIÆ,
COMITI FLANDRIÆ,
DOMINO MARCHIÆ VENEDICÆ, PORTENAVIÆ, SALINARVM, ET QVÆ SVNT RELIQVA.

PATRI

)o(

PATRI PATRIÆ
CONSTANTISSIMO AC FORTISSIMO,
PRINCIPI
BELLO ET PACE
MAXIMO,
PATRVM VIRTVTE
AC IMMORTALIBVS SVIS
DE BONO REIPVBL.
MERITIS
AD ORBIS GVBERNACVLA
EVECTO,
QVEM DEVS SERVET AC SOSPITET,
HERO SVO ATQVE ASSERTORI
GRATIOSA CLEMENTIA INDVLGEN-
TISSIMO
FIDEM ALLIGAT
ET SVBJECTISSIMI OBSEQVII PIGNVS
DEPONIT
ÆTERNA ANIMI RELIGIONE
DEVOTISSIMA
ACADEMIA LEOPOLDINA.

INter effuſiſſima orbis incolarum gaudia, quibus ſummam rerum MAIESTATI VESTRAE delatam gratulantur, CAROLE Imperantium MAXIME noſtra pariter exſurgit pietas, & ſuae quoque ſubjectionis admitti deſiderat officium, Neque dubitat Auguſti ſui Genio cum votis demiſſi cultus indicibus, hanc nuncupare operarum collectionem, tametſi alienum forte videri queat, hoc armorum procinctu, ad bella juſtiſſima aliquando conficienda, pacemque, quae tuta ſit ac ſalutaris Imperio, conſtituendam parato, artis noſtrae delicias, & ſtudii rerum naturalium ſuavitatem ingerere. Novimus enim & illuſtribus jam diu documentis habemus perſpectum, in graviſſimis etiam occupationibus amoeniora literarum commercia neutiquam diſplicere, cum miro conſilio & providen-

videntia ſic omnia juſtis piisque legibus ſint temperata, ut ejusdem Sceptri nutu, quo tot ſubjectarum nationum ac gentium regimina diſpenſantur, ſcientiarum pariter atque artium, ſine quarum cultu nec magnae forent, nec felices respublicae, praeſidia conſtabiliantur. Igitur nihil ſane videbatur magis optandum, quam ut Glorioſiſſimo & cunctis ſaeculis Veneranda VESTRAE MAIESTATIS Nomine hae lucubrationes inſignirentur, cujus Virtus in omni vita ſpectatiſſima illud ſupremae Dignitatis faſtigium promeruit, quo nihil quidquam DEO propinquius in terris reperitur; cujus etiam Ingenium omnibus illis dotibus abunde eſt praeditum, quae in Supremo Orbis Chriſtiani Monarcha vel optari poſſunt, vel mente duntaxat concipi, ita ut in rerum adhuc geſtarum commemoratione nihil obvium, nihil vulgare, ſed ampla omnia, praeclara,

formam redactum, editis longe saluberrimis de contentione litigantium aliquando finienda, & jure sine tergiversatione dicundo, constitutionibus, quibus veluti columnis perpetua felicitatis publicae duratio firmabitur. Vidimus aerarii exactius subductas rationes, ac modum impensarum in iis cumprimis ex aequo remunerandis positum, qui militando pro patriae salute stipendia merentur; omnia denique, quae ad tot Imperiorum administrationem pertinent, ea Sapientiae, summaeque Prudentiae dispensatione ordinata, ut nihil perfectius cogitatione concipi, nedum optari queat, aut a DEO precibus efflagitari. Brevi nos pariter visuros auguramur disciplinam ad optimas vivendi normas instauratam, & corruptos populi mores prudentissime ad censuram revocatos, ut inertia, luxu, dissipationibus desinant diffluere, quorum salus in eo versatur, ut re-

preſſa libidinis omnis licentia intra modum ac terminos ſuos coherceatur. Quidni fas ſit inde ſperare felicem temporum reparationem, rebus Imperii interrita CAESAREI Animi Conſtantia & Fortitudine in veterem dignitatem atque ſplendorem reſtitutis, & ſi qua impedimenta abs hoſtibus ſubjiciantur, iisdem, junCta Principum atque exercituum concordia, citius ac fortius, quam hactenus potuit fieri, ſupprimendis, ubi, quod in propinquo eſt, Reges Europae in priſtinum voluntatis conſenſum Divinis auſpiciis reducti coierint, & auctoritate poſthac cumprimis MAIESTATIS VESTRAE roborati, conſtitutis ubique juſtae dominationis finibus, ſtabilem demum reddiderint populis & ſaeculo felicitatem. Jam vero, tametſi haec omnia ſilentio fuiſſent involuta, ſumma tamen ope nitendum erat nobis, ut haec ſedulitatis noſtrae farrago Auguſtis pedi-

bus ſubjiceretur, ne iſthaec elapſa periret occaſio, quantum Divorum CAESARVM, LEOPOLDI atque IOSEPHI munificentiae debeamus, publice profitendi, animumque declarandi aeterna propterea religione devotiſſimum. Propenſae ILLIUS in doctrinarum ſtudia Gratiae ortum debet ſuum Academia & incrementa, quibus per annos bene multos in communem utilitatem & aliquam ſuae induſtriae laudem efflo-ruit. HUIUS ſub tutela & auſpiciis conſervata fuit per illum temporum graviſſimorum, quae exitium minari videbantur bonis literis, decurſum, ut nec animos poneret cura boni publici promovendi ſollicitos, nec ſpem prorſus abjiceret, fore aliquando, ut compoſitis turbis ac bellorum tumultibus, grata Muſis reducerentur halcyonia. Nunc cum optatae jamdudum illa ſpes pacis aliquanto propius affulſiſſe intelligatur, erectae rurſus in praeclara men-

tes,

tes, hactenus bellorum & difficultatum variarum aerumnis preſſae, altius ſurgunt, & quicquid diuturna meditatione longoq; medendi uſu fuit obſervatum, id in commune bonum ingenua liberalique manu porro ſibi exiſtimant conferendum. Itaque, quod Principum obſequiis, civiumque & exterorum officiis implicati, non citra valetudinis noſtrae & rei familiaris diſpendium, opus quondam ſuſcepimus, in eo pertexendo nunc pergimus, eo certo alacrius, quo magis hortatu ac precibus multorum, tanquam ſtimulis, concitati, in id nobis omni ſtudio enitendum eſſe putavimus, ut aliis pluribus, non nobis duntaxat ſolis vixiſſe videamur. Quanquam enim magnum hoc & ſumme arduum provinciae munus eſſe ſciamus, judiciorum tamen ſeveritate minime deterriti, quidquid periculi eſt, ſubire, ingeniique ac ſedulitatis vires experiri honeſtum cumprimis & generoſum eſſe du-

ximus, cum non obſcurum id eſſe poſſit, quo MAIESTAS VESTRA favore ac indulgentia virtutis ſtudioſos & literarum amantes ampleƈtatur, qua itidem cura extinƈtas, aut certe frigeſcentes, optimarum artiũ diſciplinas in priſtinum honorem ac decus cupiat reſtituere. Servet hanc DEVS OPT. MAX. mentem, qui dedit, & MAIESTATEM VESTRAM Chriſtianae Reipubl. bono diu concedat incolumem, ut longos per annos feliciſſime emetiatur Gloriam, quam Patrum Virtute, nec minus incomparabili Conſtantia & Fortitudine immenſam ſibi comparavit; & poſtquã univerſum terrarũ orbem quam diutiſſime praeſentia beneficiisque ſuis beatũ reddiderit & bonorum omnium copia affluentem, tum demum, praeclaro Summae Virtutis exemplo poſteris relicto, factaque Imperii in Sobolem Auguſtam propagine, fulgentiſſimas quoque in Caeleſti Regno conſequatur Immortalitatis coronas.

PRÆFATIO.

POst ſexennalem moram, quam varii fortunæ inſultus nobis invitis impoſuerunt, ad priores reverti labores cum datum ſit, eosdemque alio ſub titulo, ob certas rationes mutato, continuare animus ferat, nobiliſſimorum Collegarum, aliorumque celeberrimorum Medicorum atque Eruditorum, quos Germania aliæque exteræ regiones venerantur, benevolentiam non poſſumus non ſollicitare, ut quæ in re medica & phyſica rariora fideque digna ipſis occurrunt, gratioſe nobiscum communicare faveant, neque in tenebris æternum ſepulta ut iſta remaneant, patiantur, ſed in DEI gloriam, artis medicæ naturalisque ſcientiæ ſplendorem & augmentum, nec non proximi ſalutem, quisque, non ſine perennaturæ propriæ famæ incremento, ſic luci publicæ exponere dignentur. Scimus equidem, non omnia, quæ hic leguntur, pari & ſingulari curioſitate delicato cuivis genio ſe commendatura eſſe, ſua tamen utilitate haud prorſus ea deſtitui non minus perſpectum habemus. Benigniora autem judicia experiri ſi contingat, alacrius, &, ubi

Cælum aurea pace nos beaverit, Magnatumque clementia animaverit, felicius Curioſorum palato nos eſſe ſatisfacturos ſperamus & ſpondemus.

CATALOGVS
NOBILISSIMORVM DOMINORVM,
in Academiam Cæsareo-Leopoldinam Naturæ Curiosorum ab Anno MDCXCIII. hucusque receptorum,

& quos Fata nobis iterum eripuerunt, signo † notatorum.

A. MDCXCIII.

† Dn. D. Johannes Kunckelius, Consil. metall. Reg. Sueciæ, dictus Hermes III.

A. MDCXCIV.

Dn. D. Conradus Bertholdus Behrens, Physicus Hildesiensis, d. Eudoxus.
Dn. D. Godofredus Schulzius, Physicus Schmôllensis, d. Archelaus.
Dn. D. Carolus Raygerus, Archiater Posonienſis, d. Philo II.

A. MDCXCV.

Dn. D. Martinus Antonius à Thran, Prof. Publ. Viennensis, d. Agapius.
Dn. D. Ioh. Georg. Ioseph. Schwaller, Physicus Soloduranus, d. Alexio.
† Dn. D. Ernest. Fridemannus Schelhas, Poliater Wezlariensis, d. Anaxagoras.
Dn. D. Carolus Lombardus, Archiater Ducalis Saxon. d. Philetes.
Dn. D. Christianus de Helwich, Poliater Vratislaviensis, d. Empedocles.
Dn. D. Ioh. Georgius Hoyer, Physicus Mûlhusinus, d. Apollodorus.
† Dn. D. Ioh. Ludovicus Apinus, Prof. P. Altorfinus, d. Nomus.
Dn. D. Maximilianus Preus, Physicus Vratislaviensis, d. Iapis.

A. MDCXCVI.

Dn. Lic. Ioh. Helfricus Iungkenius, Physicus Mœno-Francofurtanus, d. Apollonius.
† Dn. D. Pyrrhus Maria Gabrielli, Prof. primar. Senensis, d. Straton.
Dn. D. Christianus Ludovicus Gôckelius, Archiater Badensis, d. Alexippus.
Dn. D. Ioh. Menradus Vorwaldther, Prof. P. Ingolstadiensis &c. d. Polybius.
†. Dn. Paulus Bocconus, Nobil. Panormitanus, & Monachus Cistercienſis, d. Plinius II.
† Dn. D. Ioh. Baptista Herrmannus, Archiater Princip. Liechtenstein, d. Philistion.
Dn. D. Fridericus Hoffmannus, Consil. & Archiater Reg. Prussicus &c. d. Democrates.

An.

A. MDCXCVII.

Dn. D. Ioh. Iacobus Franciſcus Vicarius, Profeſſ. P. Friburgenſis, d. Anaximander.

Dn. D. Ioh. Baptiſta de Wenckh, Phyſicus Græcenſis, d. Lycus.

Dn. D. Ioh. Michael Surgant, Phyſicus Viennenſis, d. Cleophantus.

Dn. D. Ioh. Iacobus Scheuchzerus, Poliater Tigurinus, d. Acarnan.

† Dn. D. Philippus Fraundorffer, Phyſ. Bruna-Morav. d. Herodicus.

A. MDCXCVIII.

† Dn. D. Chriſtoph. Gottwaldt, Poliater Gedanenſis, d. Aſclepiodotus.

Dn. D. Philippus Sigismundus Stoſſius, Arch. Pruſſicus & Medicus Cüſtrinenſis, d. Androcydes.

† Dn. D. Ioh. Henricus Starckius, Arch. Pruſſicus, & Prof. P. Regiomontanus, d. Soranus.

Dn. D. Wilhelmus Henricus Waldſchmiedt, Prof. Publ. Kilonienſis, d. Diocles.

Dn. D. Ioh. Craffto Hiegell, Archiater Trevirenſis, d. Geſius.

A. MDCXCIX.

† Dn. D. Matthæus Blaw, Prof. P. Friburgenſis, d. Pauſanias.

Dn. D. Fridericus Chriſtianus Cregutus, Prof. Publ. Hanovienſis, d. Marcellus.

† Dn. D. Georgius Bagiivus, Prof. P. Anatom. Romanus, d. Thales.

Dn. D. Gottlieb Budæus, Poliater Budiſſa-Luſatus, d. Menodotus.

Dn. D. David Lichtenhahn, Archiater Ducalis Saxon. d. Cleombrotus.

A. MDCC.

† Dn. D. Ioh. Fridericus Ortlob, Prof. P. Lipſienſis, d. Democedes.

Dn. D. Georg. Erneſtus Stahl, Prof. P. Halenſis, d. Olympiodorus.

Dn. D. Ioh. Caſparus Grimmius, Arch. Duc. Saxonic. & Poliater Lipſienſis, d. Crito.

Dn. D. Philippus Liberius ab Hulden, Phyſ. Neoforenſis Sileſ. d. Praxagoras.

Dn. D. Ioh. Baptiſta de Werloſchnigg, Poliater Lincii Auſtr. d. Metrodorus.

A. MDCCI.

Dn. P. Udalricus Staudigl, Ord. S. Benedicti in Bavar. d. Pittacus.

† Dn. D. Petrus Hotton, Prof. P. Lugduni Batav. d. Cratevas.

Dn. Ioh. Marius Creſcimbenus, Abbas Romanus, d. Idmon.

† Dn. D. Ioh. Baptiſta Gründler, Phyſicus Vnguarienſis Hung. d. Marbodæus.

† Dn. D. Ioh. Wilhelmus Romberg, Phyſicus Manheimenſis, d. Patroclus.

A. MDCCII.

Dn. D. Christianus Maximilianus Spener, Consil. & Med. Reg. Prussicus, d. Clidemus.

Dn. D. Ioh. Henricus Hottinger, Poliater Tigurinus, d. Salustius.

Dn. D. Michaël Ernestus Ettmüller, Prof. P. Lipsiensis, d. Alexias.

A. MDCCIII.

Dn. D. Antonius Pacchionus, Prof. P. Anatom. Romanus, d. Pelops.

A. MDCCIV.

Dn. D. Ioh. Melchior Verdries, Prof. P. Giessensis, d. Anaximenes.

Dn. D. Sebastianus Vörster, Archiater Electoral. Moguntin. d. Charicles.

Dn. D. Ioh. Burckard. Mögling, Cons. & Archiater Duc. Würtenbergicus, d. Leonides.

Dn. D. Caspar. Comelinus, Med. Botan. Amstelodamensis, d. Mantias.

Dn. D. Ioh. Leonhardus Scherlinus, Phys. Bambergensis, d. Thrasyas.

Dn. Lic. Ioh. Samuel Carl, Poliater Oringa, Hoënloicus, d. Asclepiodorus.

Dn. D. Ioh. Iac. Mayr a Mayerburg, Poliater Scaphusanus &c. d. Eudemus.

A. MDCCV.

Dn. D. David Christian. Valther, Medicus Dresdensis, d. Menander.

Dn. D. Georg. Sigismundus Pogatschnigh, Poliater Labacensis, d. Hygienus.

Dn. D. Gottlob Schober, Poliater Holmiensis, d. Agathocles.

Dn. D. Andreas Myrrhen, Arch. Erpacensis, d. Hiero.

Dn. D. Fridericus Ruyschius, Prof. P. Amstelodamensis, d. Philotimus.

Dn. D. Carolus Nicolaus Langius, Poliater Lucerna-Helvet. d. Archibius.

Dn. D. Godofredus Klaunig, Poliater Vratislaviensis &c. d. Eubulus.

A. MDCCVII.

Dn. D. Ioh. Adamus Lospichler, Archiater Salisburgensis, d. Polyarchus.

Dn. D. Vlricus Sigismundus Nimptsch, Poliater Vratislaviensis, d. Menemachus.

Dn. D. Samuel Steurlin, Physicus Schleusingensis, d. Agrius.

Dn. D. Gottlieb Albrecht, Polyater Vratislaviensis, d. Diagoras.

Dn. D. Michaël Angelus Morus, Poliater Senensis, d. Rubrius.

Dn. D. Ioh. Maria Lancisius, Archiater Pontificius &c. d. Cæsarius.

Dn. D. Antonius Vallisnierius, Prof. P. Patavinus, d. Philagrius.

A. MDCCVIII.

Dn. D. Fridericus Kaltschmidt, Poliater Vratislaviensis &c. d. Protarchus.
Dn. D. Petrus Wolfartus, Prof. P. Marburgensis &c. d. Polyænus.
† Dn. D. Dominicus Gulielminus, Prof. P. Patavinus, d. Athenæus.
Dn. D. Ioh. Baptista Morgagnus, Medicus Forolivensis, d. Marinus.
Dn. D. Ioh. Iacobus Bajerus, Prof. P. Altorfinus, d. Eugenianus.
Dn. D. Petrus Mangoldus, Medicus Basileensis, d. Heraclitus.
Dn. D. Iohannes Scheuchzerus, Medicus Tigurinus, d. Philippus.
Dn. D. Ioh. David Mauchartus, Physicus Marbacensis, d. Plistonicus.

A. MDCCIX.

Dn. D. Ioh. Ernestus Waltsgott, Physicus Provinc. Suidnicens. & Iaur. d. Glauco.

A. MDCCXI.

† Dn. D. Ioh. Gottlob Nüssler de Nüssler, Archiater Duc. Saganensis &c. d. Ctesias.
Dn. D. Leonhardus Hurterus, Poliater Scaphusanus, d. Diophantus.
Dn. D. Samuel Battierius, Prof. P. Basileensis, d. Erotianus.
Dn. D. Ioh. Henricus Helcher, Physicus Suidnicensis, d. Hierotheus.
Dn. D. Ioh. Matthias Müllerus, Physicus Cünzelsavensis, d. Gorgias.
Dn. D. Ioh. Conradus Michaëlis, Poliater Hanovensis, d. Sophocles.

A. MDCCXII.

Dn. D. Ioh. Christianus Lehmann, Prof. P. Lipsiensis, d. Antenor II.
Dn. D. Ioh. Adamus Genselius, Physicus Sempronensis, d. Diodorus.

CATALOGUS
NOBILISSIMORVM DOMINORVM,
Qui pro duabus primis Centuriis Ephemeridum physico-medicarum Observationes communicarunt.

DN. D. SYLVESTER SAMVEL ANHORN de Hartwiss, Archiater Sangallensis, *Academicus Curiosus.*
DN. D. CONRADVS BERTHOLDVS BEHRENS, Medicus & Senator Hildesiensis, *Academicus Curiosus.*
DN. D. MATTHÆVS BLAW, Med. Professor P. in Vniversitate Friburgensi, *Academicus Curiosus.*
DN. D. IOHANNES FRIDERICVS BLAW, Physicus Friburgensis.

DN. PAVLVS BOCCONVS, Nobilis Panormitanus, *Academicus Curioſus.*

DN. D. IOHANNES CONRADVS BRVNNERVS, Conſiliarius & Archiater Sereniſſimi ac Potentiſs. Dn. Electoris Palatini &c. *Academicus Curioſus.*

DN. D. GOTTLIEB BVDAEVS, Archiater Ducalis Saxonicus, Phyſicus Provincialis ordinarius Marchionatus Luſatiæ ſuperioris, *Academicus Curioſus.*

DN. D. ELIAS CAMERARIVS, Conſiliarius & Archiater Ducalis Würtenbergicus, Profeſſor P. in Vniverſitate Tubingenſi, *Academicus Curioſus.*

DN. LIC. IOHAN. SAMVEL CARL, Practicus Oeringenſis, *Acad. Curioſus.*

DN. D. MICHAEL ERNESTVS ETTMüLLERVS, Med. Profeſſor P. in Vniverſitate Lipſienſi, *Academicus Curioſus.*

Dn. D. GEORGIVS FRIDERICVS FRANCVS DE FRANKENAV, Profeſſor P. regius Hafnienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. GVSTAVVS CASIMIRVS GAHRLIEB von der Müllen/ Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis Boruſſiæ Archiater, *Academicus Curioſus.*

DN. D. IOH. ADAM GENSELIVS, Phyſicus Sempronienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. MARCVS GERBEZIVS, Poliater Labacenſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. SAMVEL GRASSIVS, Phyſicus Vratislavienſis, *Academiæ Nat. Cur. Adjunctus.*

DN. D. IOHANNES CASPARVS GRIMMIVS, Sereniſſimi Ducis Saxo-Iſenacenſis Archiater, & Poliater Lipſienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. LAVRENTIVS HEISTERVS, in Vniverſitate Altorfina Profeſſor Publ.

DN. D. CHRISTIANVS DE HELWICH, Poliater Vratislavienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. IOHANNES MAVRICIVS HOFFMANNVS, Sereniſſimi Marchionis Onoldino-Brandenburgici, & Principis Solisbaco-Palatini Conſiliarius & Archiater, nec non in Vniverſitate Altorfina Med. Profeſſor P. *Academiæ Nat. Cur. Adiunctus.*

DN. D. IOHANNES GEORGIVS HOYERVS, Poliater Molhuſinus, *Academicus Curioſus.*

DN.

DN. D. LEONHARDVS HVRTERVS, Poliater Scaphuſanus, *Academicus Curioſus.*

DN. LIC. IOHANNES HELFRICVS IVNGKEN, Phyſicus Mœno Francofurtenſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. IOHANNES FRIDERICVS KHERN, Phyſicus Varasdinenſis in Croatia, *Academicus Curioſus.*

DN. D. GODOFREDVS KLAVNIG, SACRÆ CÆS. MAIESTATIS, & Sereniſſimi Principis Palatini Caroli &c. Medicus, Poliater Vratislavienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. IOSEPHVS LANZONVS, Protomedicus & Profeſſor Ferrarienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. SAMVEL LEDELIVS, Phyſicus Nobilitatis & Civitatis Grunbergenſis Sileſiæ Infer. *Academicus Curioſus.*

DN. LIC. ROSINVS LENTILIVS, Archiater Duc. Wurtembergenſis, & Protomedicus Stuttgardienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. MICHAEL FRIDERICVS LOCHNERVS, Comes Palatinus Cæſareus Nobilis, Medicus Noribergenſis *Ephemeridum Naturæ Curioſorum Director.*

DN. D. IOHANNES ADAMVS LOSPICHLERVS, Celſiſſimi & Reverendiſſimi Archiepiſcopi Salisburgenſis Conſiliarius & Archiater, *Academicus Curioſus.*

DN. D. IOHANNES DAVID MAVCHARDVS, Phyſicus Marbacenſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. GODOFREDVS DAVID MAYERVS, Poliater Vratislavienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. CHRISTOPHORVS DANIEL MEZGERVS, Eminentiſſimi ac Celſiſſimi Cardinalis de Lamberg Epiſcopi & S. R. I. Principis Paſſavienſis Conſiliarius & Archiater, iuxta & Practicus Ratisbonenſis.

DN. D. MICHAEL ANGELVS MORVS, Poliater Senenſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. GEORGIVS CHRISTOPHORVS PETRI AB HARTENFELS, Comes Pal. Cæſareus, Conſiliarius & Archiater Elect. Moguntinus, Conſul primarius & Phyſicus Erffurtenſis, Vniverſitatis & Fac. Med. Senior, ac Profeſſor P. *Academicus Curioſus.*

DN.

DN. D. GEORGIVS SIGISMVNDVS POGATSCHNIGH, Poliater Labacenſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. VITVS RIEDLINVS, Reipublicæ Vlmenſis Phyſicus, *Academiæ Nat. Curioſ. Adiunctus.*

DN. D. ANTONIVS MARIA SAPORITVS, Medicus Genuenſis.

DN. D. GVNTHERVS CHRISTOPHORVS SCHELHAMERVS, Sereniſſimi Ducis Holſatiæ Archiater, Med. Prof. P. primarius in Vniverſitate Kilonienſi, *Academiæ Naturæ Curioſorum Adiunctus.*

DN. D. IOH. IACOB SCHEVCHZER, Medic. & Mathef. Prof. Publ. Tigurinus, *Academicus Curioſus.*

DN. D. GOTTLOB SCHOBERVS, Regii Collegii Medici Holmienſis Aſſeſſor, Poliater Lipſienſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. LVCAS SCHROECKIVS, Comes Palat. Cæſar. Nobilis, Phyſicus Auguſtanus, *Academiæ Nat. Curioſ. Præſes.*

DN. D. SAMVEL SLOTZIVS, Phyſicus ordinarius Cibinii Tranſylvaniæ.

DN. D. SAMVEL STEVRLINVS, Phyſicus Saxo-Naumburg. Hennebergicus, Provinc. & Schleuſingenſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. GODEFREDVS THOMASIVS, Medicus Noriberg. ordin. *Academicus Curioſus.*

DN. D. MICHAEL BERNHARDVS VALENTINI, Med. Profeſſor P. in Vniverſitate Gieſſenſi, *Academiæ Naturæ Curioſorum Adiunctus.*

DN. D. ANTONIVS VALLISNIERIVS, Med. Profeſſor P. in Vniverſitate Patavina, *Academicus Curioſus.*

DN. D. DAVID CHRISTIANVS VALTHER, Practicus Dresdenſis, *Academicus Curioſus.*

DN. D. IOHANNES MELCHIOR VERDRIES, Profeſſor Publ. in Vniverſitate Gieſſenſi, *Academicus Curioſus.*

DN. D. IOHANNES IACOBVS FRANCISCVS VICARIVS, Med. Profeſſor P. in Vniverſitate Friburgenſi, *Academicus Curioſus.*

DN. D. REINHOLDVS WAGNERVS, in Regia Hafnienſi Medicinæ Practicus.

DN. D. IOHANNES CASPARVS WESTPHALVS, Præfecturæ Delitſchenſis & Bitterfeldenſis Phyſicus, *Academicus Curioſus.*

OBSERVATIONVM PHYSICO-MEDICARVM ACADEMIÆ CÆSAREÆ LEOPOLDINÆ NATVRÆ CVRIOSORVM CENTVRIA I.

OBSERVATIO I.

Dn. D. GVSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP VAN DER MüLLEN.

De

Fractură ſpinæ dorſi admirandâ, in Viro quinquagenario, octo annos ab illâ fractură ſuperſtite, poſt obitum demum exenteratione detectâ.

DEcuriæ ſecundæ Ephemeridum Medico-Phyſicarum, anno decimo Obſ. 80. inter alia de opio ſingularia, Viri cujusdam eruditione ac prudentiâ politicâ apprimè nobilis mentionem feci, quâ ut & aliis inſignibus virtutis togatæ meritis Conſiliarii aulici titulo ornatus, ac nobilitatis, à quâ prædeceſſores ejus bellorum Germaniæ diuturniorum calamitatibus aliisque perſecutionum injuriis, patriâ

exules ac sedibus suis avitis exuti desciverant, instaurationem Regis sui Serenissimi gratiâ, æger licet & valetudinarius in Equestrem Ordinem paucis ante obitum annis evehi promeruit, qui continuo opii & opiatorum usu valetudinem admodum afflictam per plures annos aliquatenus tolerabilem sibi reddidit. Hic paucis ante obitum diebus morti se vicinum animadvertens, seriò aliquoties post obitum cadaver suum aperiri, ac in causas mille malorum, quibuscum valetudo ejus tot annos conflictata fuerat, inquiri mandaverat, imprimis quid dorsi sui spinæ annos ante circiter octo acciderit, & unde dextrorsum ac sinistrorsum obliquata & aliquatenus incurvata, staturam sui corporis tres penè digitos transversos breviorem quàm ante fecerit: Medio enim sanitatis adversæ stadio cæteras inter afflictiones tussi ferinâ correptus, intempestâ aliquando nocte excitus vehementissimè tussiens, violentâ illâ thoracis ac dorsi conquassatione fragorem in dorso cum dolore, quasi baculus aliquis confringeretur, auditu perceperat, sed præter dolorem, quem sane acutum senserat, quid actum nec ipse, nec quisquam alius vel conjecturâ assequi poterat, quibusdam vertebrarum dorsi exarthrosin quandam insignem factam suspicantibus, sed asseverare non audentibus. Satis itaque postquam 20. Augusti An. 1704. cesserat, ego, qui per plures annos illi, utpote affinitate mihi satis propinquè juncto, medicus fueram ordinarius, & Dominus D. Horch/ Aulæ Regiæ Medicus, qui postremis morbi diebus curæ ejus rationem quoque habuerat, ut evisceration i ejus interessemus, vocato Chirurgo Aulico Hulspax, unà cum filio meo Medicinæ tunc Studioso, nunc Doctore manus sectioni adhibentibus. Abdomine primùm aperto, omentum pinguedine flavâ vestitum intestinis derelictis ac aliquousque detectis, extra naturalem situm, sinistrum versus latus provolutum ac quasi conglomeratum, intestina satis benè constituta invenimus, nisi quòd quâ parte Cystidi, felle ferè vacuæ, vicina à bile effusâ flavo colore tincta essent; Verùm cum diutino morbo ob pronum corporis situm thoracis regio & costarum unà cum diaphragmate deorsum solito magis vergeret, ac viscera abdominis potiora, ventriculum nimi-

nimirum & epar, aliquatenus tegeret & absconderet, sicque illa ulteriori liberæ lustrationi quadantenus subtraheret, hinc pectus simul aperiendum erat: Quo facto ventriculus cum epate primò se offerens, superficie exteriori præter naturam rubente, inflammatus quasi apparuit, tunicæ ejus admodum erant tenues, chartæ paulò robustioris crassitiem vix æquantes, interior hinc inde albicans, maculis nigricantibus variata, ac venulis livescentibus hinc inde disseminatis interstinctæ, plicis autem omninò destituta. Quæ facies omnibus ferè Thee potûs helluonibus continuis ac diuturnis, me sæpius hoc in cadaveribus illorum exenteratis, ipsius quoque Doctoris Bontekoë, Magni illius, dum viveret, Thee Patroni & Encomiastæ, observante, familiaris & quasi propria est. Epar equidem quoad cætera sanum, nisi quod circa cystidem gilvum, ac parenchyma ejus exiguis sparsim calculis distinctum. Pancreas sine notabili labe, lien flaccidus ac livido fuscoque colore fœdatus. Renum uterque copiosa pinguedine stipatus, sinister dextro minor, benè aliàs constitutus, paulò tamen flaccidior, dexter debito major & turgidior, plurimis per substantiam hinc inde purulentam disseminatis exiguis candicantibus glandulis fœtus, cujus pelvi quatuor diversæ magnitudinis calculi, quorum maximus quadratus, sed inæqualium laterum, ad pisi mediocris ferè magnitudinem ascendens, inhærebant. Reliqua contenta absque insigni vitio. Quibus omnibus tandem exemtis, diaphragmate quoque à costis priùs, mox & à mediastino & pulmonum lobis, quibus in dextro præsertim latere firmiter valdè coaluerat, ægrè separato, ac sterno perinde ad claviculas usque levato & reclinato, pulmonem tam siniſtrum quàm dextrum & coloris exterioris lividi & parenchymatis ratione planè à naturali statu alienatum, duris quibusdam grumis, glandularum instar scyrrhosarum refertum, dextro imprimis lateri mediante pleurâ, hîc admodum crassâ, tam valide connexum, ut vix, nisi insigni molimine, scalpelli & digitorum ope, ab illâ divelli ac separari potuerit, uterque phlegmate viscido & pene purulento scatens. Tentatâ in superiori dextri pulmonis regione

prope claviculam ſeparatione, cum ſcalpello, quod digitis non valuerat, perficere Chirurgus anniteretur, ac incautius illud profundè nimis adigeret, ex apoſtemate illic latente & caſu hoc aperto, magna puris ſinceri copia regurgitare cœpit, cujus ſcaturiginem ulterius indagaturi in ſinum incidimus fiſtuloſum, pulmoni circa tracheæ inſertionem continuum, à ſummitate pleuræ (membranæ aliàs inſtar ſatis tenuis, hic verò & in toto pectoris latere dextro præter naturam admodum denſæ ac tergoris bovini mediocris craſſitiem æmulantis) ex unâ parte pulmoni, ex alterâ coſtis firmiſſimè cohærentis, ac quaſi duplicatæ, cujus per medium, tumoris ſaccati ſpecie, ſupernè ultra pollicem latum, paulatim procedendo capaciorem, ſub & à claviculâ ferè, ad diaphragma usque deorſum verſus deſcendentem, ibique infernè palmum latitudine fermè æquantem, atque ſpinæ dorſi contiguum, hic loci & ad medietatem usque ſuæ longitudinis materiâ ſpiſsâ ac ſebaceâ, quale ſteatomatum contentum eſſe ſolet, inde verò paulò liquidiore, ac ſuperne planè purulentâ aliquousque refertum, tuſſis illius contumacis ac diuturnæ, ut & doloris ac ardoris in dextro thoracis, quem inter ſcribendum, qui labor ipſi officio efflagitante ferè perpetuus, jugiter perpeſſus fuerat, latere menſæ incumbendo moleſti fomitem, & ingentis illius, de quâ mox, rupturæ originem atque cauſam. Cor tandem in mediaſtino ac pericardio benè ſatis conſtitutis, magnum, bovinum ferè proportione æquans, ſed flaccidum patuit. His demum omnibus ſeparatis ac è cavitate thoracis exemtis, ſpinâque dorſi ſimul ab integumentis ac adjacentibus vaſis majoribus, ut & ductu thoracico nudatâ obſtupuimus adtoniti, dorſi nonam circiter vertebram cernentes non luxatam, ſed in ipſo medio transverſim, eâ, quam ſchema (*Tabul. I.*) additum exhibet, figurâ fractam, non exiguâ fiſſurâ aut ſuperficiali, ſed grandi, totam vertebræ partem ſuperiorem ab inferiori divaricante, adeò ut earum interſtitium extremum digiti minimi apicem aut pennam anſerinam facilè admitteret, margines utrinque tam ſupernè quam infernè aſperis & aculeatis à rupturâ apicibus armati ac

quaſi

Obſ: XXX.



a Teſticulus humanus Oſſeus
b ejus cavitas intern
c ſuperficier extern in qua caruncul oſſe pisi magni tudine

A. Fractura Spinæ dorſi, ejusq cum ſinu fiſtuloſa communi catio,
B. Sinus per mediam pleuram deſcendens fiſtulatus
C. Fiſſura ſinuâ iſti ſcalpello imperoviде inflicta, ê grâ pus effluens illum prodidit.
D. Os ſterni ſuperfaciem reclinata.
EE Claviculorum commiſſura.

F Cortæ fract & reclinatæ quo ſpinæ fractura evidentius patent.

Obſ: I.

quaſi dentati, explorantibus ſpiculis ſuis obnoxii, ipſa ſubſtantia interna & ſuperior & inferior cruore à recenti quaſi fractura roborans, nullo tot annorum ſpatio ſubnaſcentis calli vel veſtigio apparente, unde præſentium nonnulli cariei aliquod indicium ſuſpicati ſunt, indeque fracturæ initium deducere ſategerunt, meum tamen id hebeſcentem jam viſum effugiſſe fateor. Res ſanè ſummè admiranda, & quæ omne ratiocinii acumen eludit, quî calamitoſo hoc ſpinæ dorſi fractæ ſtatu octo circiter annos æger hic vivere ac ſupereſſe potuerit, nullo ſpinalis medullæ læſæ aut interceptæ manifeſto apparente indicio, nullo externo inſigni incommodo, niſi quod, ut ſuprà relatum, ſtaturâ ob curvaturam ſpinæ parum decurtatâ, cernuus aliquantulum incedere ac ſedere cogeretur; Cæteras tamen tam naturales, quàm animales corporis ut & animæ functiones & actiones durante valetudine tam enormiter afflictâ, utut patienter admodum toleratâ, ritè ſatis, imò valdè exactè obire atque exequi valuerit; Nonnunquam etiam æſtate, ſudo ac ſereno cœlo, liberioris aëris capiendi ergò eſſedo extra pomœria vehi ſuſtinuerit. Num compar huic exemplo Hiſtoria Medica ullum habeat, ego ſaltem valdè dubito.

(*Berolino Auguſtam Vind. miſſa.*)

OBSERVATIO II.

Dn. PAULI BOCCONI,

De

Materia ſimili Lithomargæ Agricolæ, aut Agarico minerali Ferrantis Imperati, quæ in cavitate quorundam ſaxorum aut ſilicum in Diſtrictu Civitatis Rothomagenſis, & Portus Gratiæ in Normanniâ invenitur.

LApides, quos vulgus Normanniæ Bizetz nominat, ordinariò duritiem & conſiſtentiam ſilicis, ſuperficiem interdum albam, modò rubeſcentem, aut inſtar boli vel gypſi ſubcroceam, figuramque irregularem obtinent, vel oblongam, cum utraque ſuperficie convexa, aut rotundam inſtar Perſici, vel etiam nodoſam,

ſam, & quaſi oſſibus animalium ſimilem. Reperiuntur pleni & ſolidi, atque ſubſtantiâ aliquâ heterogeneâ ſilici ſimili conſtant, in medio maculâ quadam aut ſigno albo, oculum repræſentante, notantur; ſunt tamen alii, qui hujus maculæ loco cavitatem in medio habent, pulvere plenam, qui Lithomargam Agricolæ, medullam ſaxi, vel Agaricum mineralem Imperati refert.

Magnum eorum numerum diffregi, in quibus ſemper nunc pulverem album, vel pallidum, nunc carneum vel rubeum, verſus flavum inclinantem inveni: interdum ipſo hoc in pulvere parva corpuſcula ipſiusmet hujus lapidis comparuerunt, quæ cylindrum aut bacillum, pyramidem vel corpus ubique in ſuperficie corroſum præſentabant, conſiſtentiâ & duritie ſiliceâ, atque ex utraque parte concavitati affixa. Quandoque bacilli tales aut pyramides angulares erant & uncinati inſtar characterum Syriacorum. Aliâ vice diffracti hi ſilices quasdam concretiones cryſtallinas figuræ hexagonæ exhibebant, quæ ſuperficiei cavitatis inhærebant, prout excreſcentiæ cryſtallinæ hexagonæ in medio majorum lapidum Ægyptiacorum, nomine Melonum di noſtra Dame proſtantium, obſervantur. Inveniuntur etiam lapides tales carnei coloris, ad Chalcedonium & Achatem accedentes: quibus disruptis, quandoque in pariete interno concretiones inſtar parvorum tumorum adparent, qui puſtulas rubentes, prout in variolarum principio erumpunt, referunt. Alios diffregi, qui parvorum horum corpuſculorum aut pulveris loco, nucleum vel globulum ſemiinduratum & poroſum inſtar tophi aut margæ habebant; aliquando nucleus talis parieti cavitatis adhærebat; aliâ autem vice ab eo ſolutus erat, ceu in Aetite contingere ſolet, id quod ad conſiderandam novam corporis heterogenei & ſolidi in vacuo & concavitate illorum lapidum productionem nos permovet; de quibus breviter in Muſeo meo phyſico & experimentali diſſerui. Quandoque loco pulveris hujus lutum aliquod rubrum & impurum deprehendi, quod terram & locum, in quo lapides iſti medietate ſuâ infixi fuerant, colore æmulabatur. Notavi eosdem lapides, qui lutum rufum & vile con-

tine-

tinebant, foramina & sinuositates ad cavitatem & centrum usque penetrantes habere, per quas lutum prædictum intrasse videbatur. In aliis lapidibus pulvis vel lithomarga rufa observabatur, cui globuli, acicularum capitula magnitudine æquantes immiscebantur; unde opinionem Cartesii circa compositionem multorum solidorum corporum verisimilem esse judico. Expertus sum globulos, qui in lapidibus Cornu Ammonis dictis, & ab Olao Wormio in Museo suo, nec non à Bauhino in historia baln. & font. Bollens. descriptis occurrunt, quamvis omnis globulus sit exiguus & minimus instar ovorum piscium, juxta observationem, quam in libro meo: Recherches & observations naturelles, Amstelodami apud Janssonum & Waesberg A. 1674. impresso, occasione, ubi de Cornu Ammonis, & Coralii rubri Dioscor. compositione differui. In medio unius horum durorum lapidum inveni frustulum ferri unciæ dimidiæ longitudine, & aciculæ crassitie, nec non superficie parumper rubiginosâ, quia cavitas, cui infigebatur, non habebat locum, quantus ad recipiendum & continendum illud requirebatur; & in toto hoc lapide non erat nisi sola illa cavitas, ubi frustulum illud erat locatum & inclusum, sine ullo pulvere aut lithomarga. Reperi etiam in cavitate talium lapidum aquam & lutum invicem mixta, quæ aqua aliquot ante diebus per aliqua foramina aut subtilissimos poros intrasse videtur, quia paulò antea ingentes pluviæ deciderant; inveni quoque alium ad oram fluvii Diepdale, super quo plantula raphani palustris, foliis in profundas lacinias divisis Bauh. prodr. creverat, suasque radices in cavitatem lapidis, luto impuro plenam infixerat. Disruptis insuper aliis, frusta eorum & fragmenta examinavi, quæ ex partibus admodum densis erant composita, notavique, ibidem aliquos poros à superficie convexitatis usq; ad concavitatis superficiem tendentes, ad modum sinuositatum albarum, quæ lithomargâ albâ plenæ erant; & cum aliquot frusta, quæ silicis duritiem habebant, calcinassem, de lithomargâ me certiorem reddiderunt; hæc cinerei erat coloris, eâque pori & sinuositates replebantur. Talis ac præcedentes observationes

nes

nes mihi persuadent, quòd omnes Margæ, Terræ, & pulveris, quem Lithomargam vocamus, species in solidis istis, non intraverint usque ad centrum vel cavitatem lapidum, nisi mediante aquâ, quæ ipsis pro vehiculo inservit, & quòd per poros à circumferentia usque ad centrum & cavitatem penetrent; unde color crustæ vel superficiei ordinariò, antequam lapidem diffringamus, colorem Lithomargæ vel terræ inclusæ nobis monstrat, quia tam superficies lapidis, quàm Lithomarga aut Terra semper colorem luti vel terræ obtinent, in qua lapis reconditus fuerat.

Chimia nobis viam sufficienter sternit ad dissolutionem & filtrationem omnium corporum densorum pro separatione partium puriorum, ceu nobis natura simplici modo demonstrat, & ego jam propositurus sum. Ubi in Melitensi insula senem aliquem Equitem aquam filtrasse recordor per tria mortaria, quæ ex poroso aliquo saxo, quod ex Dominio Veneto, uti referebatur, provenit, confecta fuerant: aqua hæc per poros primi mortarii destillabat in secundum, & inde in tertium, sicque prædictus Dominus se aquam prorsus puram pro potu, magno suo cum commodo, obtinere profitebatur. Circa primam nostrorum lapidum compositionem credo, eundem per unionem terræ & aquæ in parvis massulis fieri, quarum superficies induratur per juxtapositionem partium, quæ juxtapositio ab atomis vel moleculis reiteratur, atque ab aëre & aqua, quæ successive in eos cadit & desuper colatur, quin & locum ac situm eis tribuere potest, præcipitatur. Causa, ob quam in medio cavitas spectatur, est, quòd materia sub hac crusta, dum exsiccatur, imminuitur, inque pulverem reducitur, qui crustæ jam induratæ & consolidatæ adhærescit, postea verò à partium juxtapositione tumuli hi aut massæ terreæ augentur & indurantur; atque ad modum, quo earum induratio & fixatio perficitur, fiunt ista saxa vel silices cum irregulari figura secundum figuram & cavitatem loci & modulum, ubi indurantur.

Prima corporum solidorum compositio quandoque fit per

strata

ſtrata plana aut parallela, ceu in diverſo Achate & Jaſpide, & in omnibus lapidibus planis conſpicitur ; quin & hæc compoſitio aliquando in ovalem figuram ſe adoptat, uti in lapide Geode atque ætite obſervatur ; aliàs etiam in prismatis figuram, quod in cryſtallo & talco contingit. Frequenter in cavitate noſtrorum ſaxorum corpus heterogeneum deprehendi, inſtar craſſæ pilæ, quæ poroſa erat & lapidis arenarii ſubſtantiam aliquantum induratam habebat, naturam quoque & colorem margæ ſaxatilis oſtendebat ; id quod novam productionem monſtrat, quæ fit ex partibus lithomargæ, per poros circumferentiæ externæ verſus centrum, ubi particulæ depoſitæ per ordinem juxtapoſitionis ſe uniunt. Illi, qui aquæ nomen agentis principalis, & principii materialis in compoſitione partium in lapidibus & ſolidis dederunt, non errarunt, egoque per has annotationes ſum in eo confirmatus ; conſidero autem eam quaſi vinculum, aut medium introductivum ad coordinationem partium figuræ differentis, atque ad productionem ſtratorum, quæ omnium horum ſolidorum corporum baſin efficit in magno ſubjectorum numero, quæ mente non poſſunt concipi aut melius exprimi, quàm per verba additionis partis ad partem. Saxa à continua exhalatione effluviorum terreſtrium formari, Ariſtoteli volo concedere, ſiquidem natura diverſimodè operatur ; ſed ipſum loqui velle de corporum ſolidorum productione credo, quæ in locis ſulfureis contingit, ubi incruſtationes & concretiones ab exhalatione partium volatilium productæ reperiuntur. Ad margines aquarum mineralium Aponenſium, non procul ab urbe Patavio, ut & Balneorum ſulfureorum civitatis Saccæ in Sicilia, nec non alibi, ubi thermæ exiſtunt, incruſtationes ſatis duræ obſervantur ; & hæc productionis lapidoſæ ſpecies ſine dubio fit non ſecus ac aliæ per partis ad partis additionem. Dn. Abbas N.N. doctiſſimas & optimè fundatas annotationes fecit ſupra tale ſubjectum, in ſuo Itinere Italico, & ecce, quæ mihi communicavit: Duobus circiter milliaribus Italicis à Tibure, in via Romana rivum invenimus, qui

oriebatur ex aliquibus paludibus ter centum passibus à viâ, ad dextram, ubi Tiburi Romam itur, fluebatque per canalem saxo incisum. Dictum nobis fuit, in paludibus istis esse insulas natantes, vel fluctuantes, & revera parvulas tales vidimus prorsus perfectas, alias imperfectas, aliasque tantùm quasi inchoatas; observavimus ex juncis & plantis palustribus simul collectis, & super aquas natantibus compositas, & crustâ aliquâ albicante obductas, quæ eas uniebat & cooperiebat: crusta nobis videtur formata ab exhalatione aliqua, aut materia sulfurea viscosa, glutinosa & lutosa, quæ continuò ex fundo aquæ calidæ prodit, semperque ei miscetur: stratum hoc primum augetur secundo, & ab herbis aliis, quæ ibidem se etiam adjungunt; crescuntque postea desuper, prout supra oras paludum plantæ palustres; quando hæc aqua tali corpori se adfigit, ubi subsistere & se firmare, ac postea exsiccari possit, crusta hæc induratur, lapidescit, totque producit strata, ut canalis rivi citò obturaretur, nisi iterum emundaretur. Lapis hic aut concretio satis est spongiosa & porosa, licet dura & ponderosa, &c. Vides sufficientem discursum de ordine, quem natura tenere potest in formatione saxorum nostrorum Rothomagensium, & Lithomargæ vel Medullæ saxatilis in eis latentis. An. 1665. cum in Mililli essem, loco inter montes Hyblæos sito, sacellum S. Mauri adii, quod duabus leucis gallicis inde distat; Sacellum hoc in medio rupis excavatæ, coloris lutescentis, & quasi similis lapidi arenario visitur, in cujus fissuris observavi materiam instar amyli, friabilem, cujus ultra libram collegi, eamque inter meas curiositates adservo. Hanc Parisiis cum Dn. L'Emery, ob eruditum Cursum chymicum satis noto, & in Anglia cum Dn. Carolo Howard de Norfolk, Dn. Cardinalis de Norfolk fratre, nec non cum Dn. Carolo Hatton, Equite, Londini sub Lithomargæ nomine ex Melillo Siciliæ communicavi; eundem quoque obtuli P. Honorato Fabro S. J. cum Romæ Pœnitentiarius esset in Basilica S. Petri, viro in Physicis doctissimo, rogans, ut eam, conferendo cum illa ex silice supradicto, quam itidem videndam ipsi dederam, examinaret,

naret; quod etiam præstitit. Sed redeundo ad meam observationem, margam hanc, dum eam ex rupe desumsi albam, & facilè in pulverem, ceu frustula amyli, comprimi aptam reperi; quin & in aëre ad modum calcis vivæ, dum aëri exponitur, dissolvebatur. Has Stenomargas Gallicas & Siculas in classem terrarum medicinalium alcalicarum, ob saporem earum & consistentiam repono, & utramque ejusdem naturæ cum terra Lemnia, Agarico minerali, & Lacte lunæ Imperati, non tantùm quia linguæ admotæ eidem adhærent, sed etiam ob tenuitatem, mollitiem, albedinem, & saporem, esse judico. Observamus etiam Stenomargam hanc ex montibus Hyblæis desumtam instar floris farinæ teneram esse, cui in hoc passu Bolus communis comparari nequeat. Dn. Gualterus Charleton, Medicus Anglicus, ejusdem est sententiæ, ceu in ejus Onomastico Zoico, Londini An. 1666. impresso videri potest. Generatio Lithomargæ nostræ Siculæ & Normannicæ certè ejusdem naturæ esse mihi videtur, cum idem habeant principium, & per eundem modum sint producta: Etenim si in silicem terra hæc alba, mediante aquâ, à superficie silicis in centrum ejusdem est derivata, altera quoque in rupibus montium Hyblæorum quæ invenitur, per idem medium vel aquam fuit introducta, quæ nempè à montibus delabitur, & per aliquas sinuositates progrediendo secum abducit minores terræ particulas, easque in fissuris rupium quasi filtrando deponit. Pulmentum farinaceum, quod in Sicilia pro infantibus coquitur, mixtura aliqua est ex farina & jure, cujus juris in locum substituunt aquam communem cum oleo, ac animalium pinguedine, quam Siculi Sarini nominant; quod pulmentum, aut polenta ut benè paretur, aquâ calefieri debet, usque dum ebullire incipiat, tum farina cum unâ manu paulatim inspergitur, alterâ manu tudiculam tenendo, materiamque agitando: illi, quibus dexteritas & experientia hujus deest, sæpe loco polentæ, quæ instar gelatinæ liquidæ aliàs esse solet, magnum numerum glomorum vel globulorum, esui ineptorum producunt. Pro hac polentæ specie ordinariò aliam farinam, quæ se-

mola vocatur, adhibent, & globuli, pilæ vel glomi, qui à præpoſterâ præparatione reſultant, in medio ſunt poroſi, in ſuperficie verò compacti, unctuoſi & lubrici; per hoc experimentum quodammodo concipio, qua ratione productio & compoſitio ſilicum noſtrorum fieri queat, nempe per fruſtum alicujus luti aut exiguæ maſſæ: ferri fruſtulum, quod in medio lapide, craſſitie aciculæ, inveniſſe me ſupra retuli, confirmat, primam compoſitionem & maſſam lapidis ex fruſtulo luti, aut parvæ maſſæ fieri, ſiquidem non aliud aderat foramen, per quod ferrum hoc intrare potuiſſet, unde veriſimile eſt, incidiſſe illud in hanc primam luti maſſam, cum adhuc mollis lapidem iſtum produceret. Ferrantes Imperatus lib. 5. hiſt. nat. cap. 41. de Stenomarga vel Agarico minerali diſſerens, hanc terræ ſpeciem in albedine ſua terram Calcimoniam æquare, fragilem & mollem eſſe refert, & quæ ex ſpecu eruta in pulverem reſolvatur, cum ſit corpus tenerum & fibroſum; quod cum tempore inſtar calcis vivæ aëri expoſitæ in pulverem abeat: hæc terra aut Agaricus mineralis pariter linguæ adhæret, utilisque eſt in curandis ſanguinis vomitu & fluxu muliebri, eidemque uſui, cui Terra Lemnia & Samia inſervit; idem Autor cap. 1. dicti libri Galenum adducit, qui expreſsè ad inquirendam terram Lemniam, in Inſulam iſtam navigaverat, eamque ad vulnera tum vetera, tum cicatrici inducendæ contumacia, inſuper ad viperæ, omniumque ferarum morſus, nec non adverſus venena adhiberi ſcripſerat, de quibus plura in lib. 9. de ſimpl. medic. facult. diſſerens videri poteſt.

OBSERVATIO III.

DN. D. JOHANNIS JACOBI FRANCISCI VICARII,

De

Hydrope Pectoris feliciter curato.

MArtinus Zimmerman hujus urbis civis & lanio annorum circiter 50. temperamenti cholerici, vinis tam nativis quàm aduſtis ſeu liquoribus ardentibus plusquam Cereri deditus, ad

hos

hos usque annos ferè inordinatè vixit. Hic 4to Mensis Februarii An. 1704. difficultatem respirandi cum enormi satis tussi, præsertim, dum deambulabat, sensit, ita quìdem, ut sæpius sese suffocari crederet, à quo, dum requievit, aliqualiter allevari se arbitrabatur, iterumque se recolligebat: Hæc symptomata, nempe tam respiratio difficilis quàm tussis, de die in diem ingravescebant, ita ut tandem noctu vix per integram horam in lecto dormiret, quâ elapsâ expergefactus jam jam suffocationem imminere existimabat, inde quasi suffocationis metu plenus sese in lecto erigere, atque ita respirationem instaurare, & quidem per totam subsequentem noctem coactus fuit; dum tussiit, clangorem & murmur circa cor observavit: in frigore respiratio difficilior, in calore blando verò liberior erat. In dextro hypochondrio circa jecinoris regionem, & dolorem & subinde tumorem affectus illius nuncios sentiebat; ad vesperas semper pejus se habebat; pedes successivè intumescebant, subinde & brachia, facies apparebat pallida & tumida, appetitus exiguus, sitis verò sat clamosa, os quoque subinde siccescebat, pulsum habebat tensum & debilem, urina crassa & tincta, pauca, nec quantitati potûs ullatenus correspondebat, cæterùm totus videbatur cachecticus, imò & fœdâ ichorosâ scabie infectus.

Hydropem pectoris adesse ex infra in scholio allatis rationibus ratus curam hoc modo divina aspirante gratia die 15. currentis mensis aggressus fui; 1. ad gravissimam respirationem sublevandam, diuresimque promovendam præscripsi seq. ℞. aqua cinn. spirit. ʒß syr. de hyssop. ʒj oxymell. squill. ʒij liq. C.C. succin. ziß vini hispan. ʒiß m. signetur **Lufft-Mixtur öffters ein Löffelvoll zu nehmen;** dein ℞. succin. alb. ppt. ʒij milleped. ppt. ℈iv. ocul. cancr. ppt. ʒj sacch. alb. ℈ij macis. gr. vj m. f. pulvis. Signet. **Harntreibend Pulver 3mal des Tags allezeit ein starcke Messerspitz voll in warmer Brühen zu nehmen.** Dein ℞. succ. alb. ppt. cinnab. antimon. ppt. ana ʒij milleped. ppt. ℈iv. ocul. cancr. ʒj sacch. alb. ℈ij, Sal. Tart. vol. ℈j macis. gr. vj m. f. pulv. sumat in jusculo carnis ter in die, quantum largior cultelli cuspis capit;

quo præprimis collectionem aquositatis per urinam eliminare, spasmosque penes se insinuantes demulcere intendi. 16. Manè dixit, melius se habere in hypocausto calido dormiendo quàm frigido, quippe hac nocte se uno tractu ad 3. horas somno indulsisse, pergat præscriptis medicamentis. 17. Negotiorum causâ exiit per horam, nox verò satis gravis erat, quæ insequebatur. 20. Hucusque ferè omnia in eodem statu permansere, substitui loco liquoris CC. succinati spiritum Sal. Ammon. anisatum, & quia respiratio omninò difficilis erat, suasi ℞. ther. cæl. turbethi mineralis ana gr. iij m.f. pil. n. v. ad vesperas tamen respiratio erat difficillima & anhelosa, & orthopnœicorum more tantummodo in lecto sedere cogebatur, pillulis nondum purgabatur, & quia anxietas summa erat, metusque suffocationis imminebat, ad humores viscosos incidendos &c. præscripsi sequens, præsertim dum observarem, pulsum totum esse inæqualem, remittentem & parvum, ℞. aqu. asthmat. ʒj chærefol. ʒiß, cinam. ʒiij acet. squill. ʒj gum. ammon. acet. par. ʒij, syr. de hyssop. ʒj sal. succin. vol. gr. vj m.f. potio pro 2. dosibus. 21. Mane videbatur totus alacris, respiratio enim & liberior, & facilior, & pulsus laudabilior, urinaque, quæ hucusque valdopere tincta & crassa erat, conspiciebatur tenuior, & naturalior ac copiosior, mandavi igitur, ut noctu rursus unam dosin jam dictæ mixturæ cum gummi ammoniaco assumeret, cæterùm pulverem continuaret. 22. die, nox præcedens denuò fuerat valde gravis, & respiratio anhelosa, ut totus orthopnœicus in lecto fuerit, postquam tantum per unicam horam prius dormivit, ordinavi ergò potentiorem mixturam talem: ℞. aqu. asthmat. ʒiß, hyssop. ʒj, oxymel. hellebor. min. Gesneri ʒij, syr. de hyssop. ʒj, gummi ammon. ppt. ʒiij, Acet. destill. ʒvj m. Signet. **Lufftmixtur öffters ein Löffel voll zu geben**/ qua respiratio alleviari videbatur, & mucus per os excernebatur, urinaque copiosius fluebat; continuavit hanc aliquamdiu cum euphoria singulari. 26. Cum conquereretur de dolore quodam circa regionem hepatis, ordinavi emplastrum de nicotiana q. s. pro scuto hepatico anody-

no

no & resolvente; ad vesperas, cum antea ob expiationem conscientiæ multum loquendo se defatigasset, respiratio difficilis adeò invaluit, ut nisi ad aërem liberiorem frigidum extra hypocaustum, à succenso in fornace igne, nimis fervidum, se contulisset, certò suffocatum iri se crederet, ordinavi has pillulas: ℞. Extr. ther. cæl. absinth. ana gr. v. Mercurii dulcis gr. xvj m. f. pil. n. ix, noctu capiendas, quibus & bene dormivit, & maximo levamine quater purgatus fuit, multaque serosa copiosissimè dejecit; hucusque & fere etiam posthac per aliquod tempus jam magis jam minus manus, pedes & facies tumuerunt, & scabies duravit; repetiit supra jam descriptum pulverem hoc modo: ℞. pulver. prius ordinati integram descriptionem, adde milleped. ppt. ℈ij, Tart. solub. ʒj M. Interea res ferè in eodem permansit, ac tametsi subinde melius se habere videretur, attamen totus leucophlegmaticus mansit, urinaque parcior fuit. 2. Martii exhibui ℞. turbeth. miner. gr. iv extr. pap. errat. gr. iij, m. f. pulv. quô copiosissima aquosa insigni cum levamine dejecit non sine debilitate tamen: his parum proficientibus maximam spem ponebat in potione quadam olim post colicam convulsivam ad everrendas quisquilias utilissima, quam altero mane exhibui, quæ talis erat: ℞. fol. senn. elect. ʒij, rhei elect. ℈ij, liq. ℈j, sem. coriand. gr. xv, mann. elect. ℥iß crem. Tart. ʒß m. f. l. a. cum s. q. aqu. cham. infusum, manè levi ebullitione facta, colaturæ leniter expressæ adde syr. de cichor. cum rhab. ℥j, aqu. cin. ʒj m. hac potione copiosa flava & viridescentia dejecit, & profectò satis commodè se habere sibi videbatur, & præsertim dolor hypochondrii imminuebatur. 4. Tandem Martii ordinavi hunc succum seu mixturam: ℞. syr. de hyssopo, jujubis, ana ℥iß spir. Sal. Ammon. anis. ʒiß succi nasturtii aquat. ℥iij m. sumat sæpius cochlear unum aut alterum, præsertim in respiratione difficiliori; hisce tamen non obstantibus ægrum vix ac ne vix quidem aliqualiter alleviatum sensi, pulsus enim non solùm inæqualis, ut hucusque, sed & parvus, & insuper remittens permansit, maximaque cordis angustia & dyspnæa (licet hucusque mercurialia sæpius exhibita

bita fuerint) ursit, pro quorum symptomatum allevatione ordinavi tales pulveres, de quibus sextâ quavis horâ unum sumebat, ℞. milleped. ppt. ʒj cinnab. antimon. ʒß sacch. alb. ℈j m. f. pulv. divid. in iij doses æquales, à quorum continuatione magnum sensit solatium, cum urina nonnihil copiosior efflueret. En tandem historiæ catastrophen! quippe ex improviso febris quædam ad vesperas se insinuavit, quæ cum singulari horrore incepit, eumque intensi calores insecuti sunt, ita ut etiam de nocte deliraret; igitur, cum interea vinum lymphatum & decoctum sarsæparillæ bibisset, dedi talem potum: ℞. Syr. viol. ℥iß, Nitr. ppt. ʒij, Aquæ flor. acac. ℥j, m. in ein halb Maas Wasser zu thun/ pro potu ordinario: Altero die remiserunt symptomata hæc febrilia, satisque alacris sibimetipsi & adstantibus videbatur, respiratio liberior, urina turbata, sicque immunis erat toto illo die ac nocte insequente, placidè dormiit, tertio verò à febre die rursus rigor obvenit, cum æstu insequente, ita ut typum veræ tertianæ præ se tulerit, quare in ipso æstûs paroxysmo mixturam talem sæpius cochleatim exhibendam ordinavi: ℞. Aqu. plantag. scorz. ana ℥iß, cin. ʒj, Antimon. diaphoret. ʒj, bez. min. ℈j, conf. alk. ʒj Syr. cit. ℥iß m. quâ febris cum copioso sudore citius cessabat; quô visô ad febrem profligandam hanc mihi sæpius salutarem visam mixturam in forma electuarii præscripsi: ℞. Conf. flor. cichor. ℥j, cort. chinchin. ʒiij, cinam. ℈j, arc. dupl. ʒj, diaph. martial. ℈ij, syr. de pomis q. s. m. de qua sumpsit tempore intermissionis quarta quavis horâ Nucis moschatæ magnitudine; hoc medicamento tantum effeci, ut altero die febris omninò mitis fuerit, & vix per horam durarit, quâ elapsa satis alacris erat, nisi quòd nares parum sanguinis plorarint, & corpus adhuc cachecticum manserit, sed continuato ad aliquot dies electuario ter tantum de die sumendo & habitus corporis in melius abiit, & scabies evanuit. Posthac manè & vespere Tinctur. chalybis ad 40. guttas assumpsit, ad mensam verò vinum medicatum confortans (cui ʒiij rhabarbari immixtæ fuerunt) pro primo haustu bibit, ita successivè athleticus factus est, ut omnium animos in

stupo-

ſtuporem (qui priorem morbi ſtatum cognoverunt, & viderunt) raperet; copiosè autem ſatis urina his ultimis temporibus fluebat.

SCHOLIUM.

MAgnâ, meherclè, imò maximâ in hiſtoriis morborum medicis fideliter deſcribendis circumſpectione & cautelâ opus eſſe, mihi perſuaſum habeo, quippe hæ fundamentum curationum nobis ſuppeditant, præpoſterè verò communicatæ illud evertunt. Hiſtoriæ baſes ſunt univerſalium præceptorum ſeu aphoriſmorum, axiomata quoque efformant, & ſi ratio debita & requiſita accedit, etiam Medicis titulum illum *Experientiſſimorum* largiuntur: Econtra laqueus injicitur inevitabilis, dum candida ſcribendi methodus hiſtorica deficit, quo ſequaces Medici in eminentem, ſed, heu! deplorandum humani generis non ſolùm labyrinthum, ſed etiam in ipſius vitæ barathrum & ruinam ducuntur, ac præcipitantur: dum etenim errat obſervator & ſcriptor, errat & alter, qui hujus premit veſtigia, & quidem in ſe innocens, quia potius culpâ authoris authoritatem jam habentis, quàm propriâ. Conſcientiæ itaque meritò quivis, ea, quæ minùs exactè prius annotavit, orbi litterato propalare (quia prudentioribus ſubinde riſum movet, vel in ſequaci alienæ culpæ fit particeps) ſibi ducat, & potiſſimum ſi credulum nimis imitatorem fuerit nactus. Generoſi Medici officium apud omnes prudentes ſit, non cuivis ſemper hiſtoriæ ex dictis jam rationibus aſſentiri, ſed & inſuper rationem (resne nempe & huic conformis ſit?) in conſilium trahere; dolendum profectò, multos quin & innumeros adeò hodiè ſcribendi, nomenque ſuum divulgandi pruritu (ut orbi, modò non *Heroſtrati* more, innoteſcant) laborare, ut hiſtoriam quandam à plebe ſeu vetula quadam, aut indocto ſcarificatore vel hiſtrione ipſo obiter tantùm perceptam, aut à ſeipſis, ſed crudè & nudè annotatam Reipublicæ medicæ mox pró veriſſimâ & ad leges genuinæ methodi (à qua tamen ſæpius totô cœlô aberrant) elaboratâ (aut nimis temerarii, aut ni-

mis creduli, sed hem! qui citò credit, citò decipitur) venditare audeant; hinc optandum quidem, sed difficillimè sperandum, ut plures tales à similibus communicationibus aut scriptis desisterent, cùm & in accuratissima phænomenorum ac circumstantiarum in morbis evenientium observatione nihilominùs magna adhuc controversia, majusque de re allata dubium exoriri queat, ut modò in sequentibus abundè patebit.

Tametsi Authores ferè omnes, etiam ipse divinus cæteroquin *Cous* noster, qui unicum locum habet, uti & *Galenus*, quantum saltem mihi deprehendere licuit, vel nihil vel saltem parùm omninò de hydrope pectoris tradant, attamen possibilem esse, imò revera dari multæ testantur per anatomen factæ experientiæ, ut & ipsæ nostræ *Ephemerides* Decur. 2. an. 6. obs. 210. p. 419. sat superque nos edocent: *Hippocrates* quidem *lib.* 2. *de morbis*, hujus affectus obscurè & quasi sub ænigmate mentionem feciſſe videtur, inquiens: *Si hydrops in pulmone fit, febris & tussis tenet, & acervatim respirat, & pedes tument, & ungues contrahuntur, & patiuntur talia, qualia is, qui suppuratus fit*; en! licet affectum nostrum apertis verbis non expresserit, credibile tamen est, eum per hydropem pulmonum non nisi pectoris, id est cavitatis, intelligere voluisse: videtur enim ponere hîc partem contentam, ut continentem insinuaret, de cætero enim longè facilior hujus tam gravis aliàs morbi curatio; aquæ etenim levi negocio (imò multò leviori quàm in pituita crassa) tussi excernerentur, brevem nactæ viam: Huic doctrinæ diagnosticæ *Coi* etiam sese conformat nobilissimus ille Observator *Pet. Poterius* Andegavensis obs. & curationum cent. 1. c. 2. pag. m. 11. dicens: *Hydrops pulmonum asthmate, tussi, cum dolore pectoris, diuturnitate temporis persistente cognoscitur, etiam oris fœtore, cui æqualis pedum tumor accedit.* Testatur itidem collectionem aquæ in pectoris cavitate dari ipse meus olim familiaris, *J. Jacob Wepferus* Ephemer. Dec. 2. an. 10. obs. 170. ubi in adolescente grandinibus pulmonum & phthisi laborante cultro anatomico dissecto annotavit, quòd sublatô sternô dextera pectoris

ctoris cavitas aquâ ſubflavâ limpidâ ad menſuram circiter aut ℔iij pendente plena inventa fuerit, qui affectus verus pectoris hydrops nominari debet; ne verò diutiùs benevolum lectorem in re (nempe fieri collectiones aquæ in thoracis cavitate) adeò manifeſtâ, nec rationi abſonâ, imò & multifariis experimentis obſervatâ, atque à multis Scriptoribus confirmatâ detineam, ad rhombum, quem ſingulariter intendo, tranſeo, quibusnam nempe notis diagnoſticis affectus hic ſatis abſtruſus deprehendi queat, potiſſimum autem, an genuina hucusque ſigna pathognomonica, eſſentialia dicta, ab authoribus talia agnita vera dentur nec ne, inde & utrum morbus patientis noſtri revera pectoris hydrops intitulari potuerit. Hoc dum præſtare intendo, ſignis diagnoſticis ſeparabilibus & aliis quoque morboſis caſibus communibus tantisper miſſis, ſolummodò ea, quæ ſeparari ab affectu nequeunt, & characteriſtica ac infallibilia cenſentur, nempe morbum ſpecificè deſignantia examinare conabor.

In his autem, quæ hucusque attulimus, ni fallor, non obſcurè nobis ſigna dicta ob oculos ponuntur, quippe dum è fundo fontem Hippocraticum ſupra allegatum expiſcor, mehercle clarè mihi eadem innoteſcere ſuſpicor, idem enim divinus *Senex* eadem non in febre, nec in tuſſi, nec unguium contractione, aut iis, quæ ſuppuratis ſunt familiaria conſtituere videtur, hæc enim accidentia aliis quoque ſunt communia affectibus, potius unicè *pathognomonica* eſſe vult, 1. quòd *acervatim reſpirent*, & *pedes tumeant*, ſaltem ſucceſſivè; hunc in finem etiam ipſe ſupra citatus *Poterius* aſthma (id eſt, acervatim factam reſpirationem) adducit, cui & aliqualis pedum tumor accedit; ipſe ſupra etiam allegatus & laudatus *Wepfferus* dicta obſ. p. 328. n. 9 in hæc deſcendit verba: cùm aliàs *in hydrope pectoris affecti non poſſint niſi erecti ſpirare, imò tandem vix per momenta ipſis in lecto permanere concedatur, quin id progreſſu temporis aucta eveniſſet aqua, nullus dubito, quia jam ſatebatur ſibi melius foras, quàm in lecto eſſe*: Propiùs, ecce! ſolertiſſimus hic Vir & Magnus Apollo ad eſſentialem hydropis noſtri diagnoſin accedit,

dum non solùm asthma affirmat, sed insuper Patientes hosce non nisi erectâ cervice spirare, adeoque orthopnœicos fieri, imò nec stabilem iis in lecto concedi locum, sed extra hunc anheloſam quidem, faciliorem tamen quòd traducant vitam, asseverat; en habes signa morbum nostrum inseparabiliter comitantia! Addamus tamen adhuc sagaciſſimum quendam hujus sæculi scriptorem Romanum *Baglivum*, qui in praxi medica ad priscam observandi rationem revocanda p. m. 219. hæc habet: *Signa hydropis pectoris valde obscura sunt, & dubia, si tamen æger dyspnœa afficiatur horâ somni potissimum ingravescente, ita ut post paucas horas somno impensas derepentè expergiscatur, expergefactus suffocari se sentiat, fenestras aperiat, & liberum aërem exoptet, pro certo & infallibili signo habeas, ægrum hydrope pectoris laborare, nam & pedes intumescent, aliaque signa minus constantia aderunt; & si fidem tibi præstare noluerit, subsequens morbi progressus, & apertio cadaveris de solida hac veritate eos erudiet.* Itaque luce meridianâ clariùs nobis innotescit, *signa* nostra *pathognomonica* unicè esse asthma post somnum ingravescens, ita ut paulo post extra lectum morari patientes oporteat, cui dein facilè œdema pedum &c. accedit; adeoque quis adhucdum de pectoris hydrope in nostro Patiente controversiam moveret? & tamen movet sequens fere similis, saltem quantum videbatur, historia, quæ minùs asserta nostra signa characteristica approbat; ea talis est: Quidam non vulgaris Prosapiæ Vir, annorum 54. incirca, postquam quasi à pueritiâ castra secutus, aulæque admotus fuit, inordinatam (ut his in casibus communiter fieri consuevit) duxit vitam, ita ut tandem *Lyæi* quàm *Cereris* amantior esset, præsertim verò spiritus ardentes & aquas vitæ (antequam ad quietem noctu se componeret) in satis notabili copia, ad unum aut alterum vitrum cottidiè, etsi vino generoso absque hoc satis satur, potavit, earum tamen usque dum erat animi dotium, ut etiam, si fieri posset, ejus manes veneraremur: Hic ab aliquo tempore in acclivi & scalarum ascensu, aut paulò vehementiori corporis agitatione notabilem sensit

respi-

reſpirationis difficultatem & dyſpnœam, ita ut per tempus aliquod ſatis anheloſus quietè ſubſiſtere coactus fuerit, donec ſcilicet ſic demum omnia in pacatum redierunt ſtatum; ſeq. mixturâ eundem diuturniori ſublevavi tempore, ℞. aqu. chamom. ℥iſß, cinam. ℥ß, ſyr. cort. aurant. ℥iij, Elix. propriet. dulc. ʒj, Spirit. Sal. Amm. aniſ. ʒiſß, conf. alkerm. complet. ℈iv m. de qua de die bis, rarius ter cochlear plenum aſſumpſit, penesque aperitivis & abſorbentibus in uſum tractis commodè ſatis vitam usque ad 27. Febr. traduxit, donec tandem reaſſumptâ antiquâ vivendi conſuetudine ingens pedum œdema & tumor ſupervenit, quem tamen (cætera enim ſibi leviora credidit) & ipſum ob animi conſtantiam ita toleravit, ut adhuc fere ſuis muniis ſaltem domi fungi, converſari & obambulare quiverit. Affectus hic quamvis in hanc usque horam benignè ſatis adhuc eum tractarit, brevi tamen funeſtam fore cataſtrophen, ſequentia meritò nobis metum incuſſerunt: vix enim tranſiit una ac altera ſeptimana, heu! dyſpnœa ita adaucta eſt, ut poſt unam, 2, 3, rarò 4. horas ſomni, lectum deſerere, ac in ſella reliquam noctis partem erectus tranſigere cogeretur, idque poſtmodum frequentius contigit; ita quoque, ut hora ſomni metum incuſſerit; atque licet eadem fere (ſaltem non multum diſpari) quô ſupra memoratus Patiens tractaretur methodo, nil tamen, ad minimùm vix quidpiam ſenſit levaminis, præterquam quòd unâ & alterâ vice, præſertim poſt aſſumpta laxantia mercurialia, ad 4. vel 5. horas in lecto morari licuerit, brevi tamen in antiquum devolvebatur ſtatum, ſuffocationisque metum ſub ſtragulo paſſus eſt; facies ſatis liveſcebat, maximè verò appetitus proſternebatur, interdiu tamen aliquo tempore potum deſeruit. Interea mercurialibus plurimùm obſervavi juvari, ſi verò ſolummodò mp. de hiera cum agarico ad gr. xij & magiſt. jalap. gr. i mercur. dulc. gr. xv. in pillulas redactis uſus fui, copioſam quidem excretionem etiam per urinam expertus, attamen inflammari ægrum obſervavi, hinc ſolùm Rhei extractum mercurio dulci commiſcui; penes verò decocta, infuſa, mixturas, pillulas, pulveres &c. diureticos

& antihydropicos ac antiasthmaticos præstantissimos quosvis adhibui, diætâ simul exactâ imperatâ, affectus tamen nihilominùs incrementum sumpsit, omniaque in deterius abire palam fiebat: Juratssem ego ex jam allatis signis characteristicis inductus, infallibiliter ægrum hydrope pectoris laborare, & potiùs *Apollinem* mihi iratum cupivissem, quàm ut ab hac mea opinione dimoveri me passus fuissem; sed jurarunt & magna hujus ævi Medicinæ lumina, Illustris noster *Pæon* primus, eximium archilycæi Basileensis membrum &c. ac Illustre multorum Decus *Meyerus* Schapffusianus, ambo mihi & amicitia, & familiari conversandi consuetudine conjunctissimi, Venerandissimi, qui & in tam difficili processu mecum in consilium vocati de hydrope pectoris (utpote de signis pathognomonicis, ab omnibus aliis receptis, securi:) nequaquam, licet alteri etiam de tuberculis duris suspicio obvenerit, dubitarunt, licet ambo de ægri salute desperarint, atque licet ambo provinciam suam pro virili susceperint, saniss imaque consilia suggesserint: Res denique eò ad incitas redacta fuerat, ut 22. Maji oriente Sole totus livescceret, ac mirum in universo corpore algeret, sudorque syncopticus enormis supervenire; pulsus penes erat perexilis, atque respiratio tam difficilis, ut quovis momentô orthopnœicus suffocari existimaretur: In arenâ ergò consilium quærendum erat, nec majori cujusdam medicamenti compositioni (omnis etenim mora mihi periculosa videbatur) studere oportuit, quare eidem summis in angustiis constituto, ac sacrô viaticô simul munito Tinctur. bezoard. Michael. guttas xxxx in pauco vino exhibeo, brevique post repeto, quo unico tantùm profeci, ut quasi ex tumba redivivus cum stupore omnium rediisse visus fuerit, omniumque conscius immensas de triumphato hoc tam funesto paroxysmo grates DEO rependeret, ita ut & ego ipse mirum hunc & insperatum effectum plurimùm admirarer; Rediit tamen posthac sæpius miserandus hic circuitus, atque ad 3. septimanas semper huic Tinctur. victas præbuit manus, donec tandem morbus obstinatissimus & hujus eluſit efficaciam, quippe pedum tumor multum increscebat &c.

ita

ita ut tandem ſponte ſcarificationem olim propoſitam expetierit, quæ tametſi facillima eſſet, copioſaque ſatis educeretur aquâ ſubflava, non ſolùm nil levaminis tumoris reſpectu, ſed & nec dyſpnœæ interpolatæ ſenſerat; ſitis hucusque ſatis aucta creſcebat; Tincturâ hucusque tam ſalutari lædebatur, ita ut ſolis ſuccinatis, caſtoreatis, & cinnabarinis inſiſtere oportuerit; hîc in dextro pede ſupra tarſum ſcarificatum tribus ante obitum diebus, livor levis tamen (tametſi partes hactenus camphoratis eſſentiis &c. ſedulò foverentur) apparebat, areſcebat ſimul lingua, pulſusque deficere cœperat, appetiit tum & bibit aquam fontanam copiosè & cum guſtu, & ſua opinione cum levamine, gangrænam enim internam vel maximè urgere, mortemque præ foribus eſſe, facilè conjecturare erat, quippe tandem 20. Junii, ſui totus compos, vix advertentibus circumſtantibus placidiſſimè in *Domino* obdormivit, cujus anima ſpe omnium beatis illata ſedibus æternùm cum ſuo Creatore triumphat.

Expectas, ut credo, Benevole Lector, nunc coronidem, cur ſcilicet hanc priori oppoſuerim hiſtoriam? en cape: Licentiâ diſſecandi cadaveris, veritatisque indagandæ conceſsâ, mox apertionem unà cum meo Filio & ipſo Profeſſore Medico aggreſſus, diviſo abdomine omentum in conſpectum venit fœtidum ex flavo fuſcum ac putrilaginoſum, inteſtina omnia tota quanta inflammata, unaque cum meſenterio idem omenti factum ſubibant; glandulæ omnes, quotquot erant, valdopere conſpicuæ prominebant, & ſimul cum pancreate totæ induratæ erant; uterque ren magnitudinem naturalem multùm excedebat, atque in dextro notabilis incepit putredo; Lien erat quaſi inſtar pilæ, totus conglobatus, non longus, mirum ponderoſus ac durus; Hepar videbatur perſpicuè ſcirrhoſum atque magnum, & exceſſivum habebat pondus; Cyſtis tamen fellea liquidam continebat bilem in juſta quantitate, nec cujusdam calculi vel minimum deprehendebatur veſtigium; Veſica urinaria erat tota compacta, minoris quaſi digiti craſſitie ac parva, nec dabat ulli dilatationi tentatæ locum; In cavitate abdominis vix ℥ij aquæ

laxi-

lixivialis deprehendimus. Apertô thorace (quàm fallacia sunt subinde diagnostica!) imprimis nec ʒj aquæ aut seri inveniebatur, & quidem hoc in utroque latere; dein aqua pericardii fuerat sat copiosa & nonnihil quasi crocô tincta; Cor verò naturalem magnitudinem multùm superabat, parenchyma autem integrum ex flavo albescebat, satisque durum conspiciebatur; polypus in ejus ventriculis saltem notabilis nullus comparebat; In aorta autem plurimus tactu deprehendebatur tartarus & quidem artificialis quasi, ac inæquales superficies præ se ferens, velut parietibus dolii adhæret, frustillum satis notabile hîc ex basi decerpsimus, notabilemque aortæ partem taliter infarctam eximus, & adhuc dum in spiritu vini asservatur, Tartarus hic quousque digitô in reliquam aortæ partem inquisivimus, idem erat deprehensus; sinister pulmonum lobus ex livido totus nigrescebat, dissectus ichorem spumosum sanioſum & fœtidum copiosè fundebat, ita ut de tuberculis suppuratis non dubitaverim, dexter lobus verò undique & mediastino, & pericardio & pleuræ adhærebat, totusque putrilaginosus erat. Ultra, ob negotia alia, non perreximus. Quid modò emolumenti ex hac mea utriusque casus descriptione in forum medicum redundare queat, per seqq. Corollaria exponam.

Corollarium primum; Ex iis, quæ hactenus in scenam produximus, uti non dubito, argues me non minimæ in assignanda signorum de hydrope pectoris pathognomonicorum qualitate vel temeritatis, vel negligentiæ, regeresque cum eadem in secundo non verificata fuerint subjecto, nec in prima proposita historia hydropicum pectoralem fuisse, & quidem, ut ipse tibi lubens concedo, non immeritò, uterque enim & orthopnœicus post breviorem somnum factus, & uterque pedum oedemate correptus fuit: At paulisper mentem tuam suspende, creditoque, hoc ipsum me ad hanc observationem paulò fusius enucleandam invitâsse, cùm re intimius mecum pensitatâ, & utroque casu inter se ritè collatô, luce meridianâ clarius cognoverim, primum (tametsi secundus patiens nullum hydropis pectoralis vestigium habe-

habere in apertione cadaveris deprehenſus fuerit) tamen eodem infallibiliter laboraſſe, nec ab hac mea opinione unquam divelli me patiar, aut ſi pati oportet, vix ulli amplius authori fidem dabo: Habe nunc, quibus meam firmem ſententiam, videlicet 1. *Cous* textu ſupra in ſcholio notato inter ſigna verè deſignantia ponit: *& acervatim reſpirat, & pedes tument, &c.* ubi non fruſtra reſpirationem acervatim factam tumori pedum anteponit, utpote quòd illam priorem tempore œdemate pedum agnoverit; Hunc in finem etiam ipſe ſolertiſſimus *Poterius* omnium primò *aſthma* adducit, ultimoque tandem ait: *Cui æqualis pedum tumor accedit*; huc collimat & ſæpius jam laudatus *Wepfferus*, qui ſignum characteriſticum expreſsè denotat dicendo: *Cùm aliàs in hydrope pectoris affecti non poſſint niſi erecti ſpirare &c.* Omnium autem clariſſimè deſcribit bene fatus *Baglivus*, inquiens: *Signa hydropis pectoris valde obſcura ſunt* &c. ut ſupra, ubi dyſpnœam maximè primo ponit loco, & intumeſcentiam pedum ſubſequi ſtatuit, ita ut impoſterum de duobus hiſce ſignis hydropis pectoralis pathognomonicis, ordine tamen dictô ſibi ſuccedentibus dubitare nefas foret, adeoque & nos de primo caſu rationabiliter judicavimus.

Corollarium ſecundum; Fortè adhuc dum dubitabis? dum curam hujus tam funeſti & exitialis affectûs ad morbos incurabiles, omnem Medici ſolertiam eludentes, relati etiam impoſſibilem cenſebis; at nec hoc me movet; ſcio equidem non paucos eſſe, qui vel ex propria ſocordia, aut etiam inſcitia, eam in medendi methodo ſedulitatem, ut finis ſubſequatur intentus, aut non adhibent, aut mox (nî omnia ſtatim ad votum ſuum fluant) affectum omnem reſpuere curam ſibi imaginantur: at peſſimô reverà conſiliô, in perniciem generis humani tendente. Nî manifeſtò nobis inſanabilitas pateat, Medici profectò, quibus ſalubriora finxit præcordia Titan, non tam levi deſperant negotio, nec ægrum tam inconſultò mox relinquunt, ſed prognoſticô quidem cautô muniti omnem movent lapidem, ut tandem, quæ aliis factu impoſſibilia videntur, eruant, quod & ego ten-

tavi, & feliciter absolvi; admittendam esse velut possibilem hydropis pectoralis curationem, in testem rursus mihi assumo bis jam celebratum *Baglivum*, qui de bilis natura p. 240. hæc habet: *Ita nuper virum 40. an. ætat. hydrope pectoris cum ingenti pedum, femorum, faciei & manuum tumore, maxima spirandi difficultate, febre, vigiliis &c. laborantem, adhibitis innumeris è classe mineralium remediis per annum circiter, & à Medicis urbis desperatum, sola decoctione nonnullarum plantarum & peculiari præparatione oxymellis squillitici* (quod forte cum Helleborato coincidit) *eductô per urinas copioso serô, mensis spaciô perfectè sanavimus cum solertissimo doctissimoque practico Matthæo Palillio &c.* adeò ut reverà de simili cura nullum modò nobis supereste queat dubium.

Corollarium tertium, observâsti à theriacâ cœlesti majus suffocationis periculum adfuisse, utique ob opium, tanquam principale aliquod ingrediens, idcircò ab ea imposterum abstinui, rationem ipse tibi formabis: econtrà reperi gummi ammoniaco, & oxymelle helleb. min. *Gesneri* &c. multùm alleviari, quapropter doses horum subinde auxi.

Corollarium quartum; docemur itidem utroque casu, nil magis quàm mercurialia, sed aliis levioribus tamen v. g. Extracto Rhei commixta conferre, ex adverso, quod præprimis in secundo casu videre est, purgantia facilè inflammationem minitari aut parere, quod ex subsequenti intensiori siti, oris ariditate &c. facilè conjecturatur, veluti clarè in exhibita MP. de hiera cum agarico gr. xij mag. jalap. gr. i. mercurii dulcis gr. xv in pillulas efformatâ, contigisse inveni; adeoque, quamvis authores multi sint, qui commendent, illis tamen minus assentior, præsertim in iis subjectis, in quibus metus est latentis cujusdam viscerum labis, aut secretionum insigniter labefactatarum: at in quibus hic metus deest, in iis adhucdum locum purgantia sibi vendicare poterunt.

Corollarium quintum; Tandem & ex ultimo casu clarè innotescit, etiam scarificationes, & similes torturas externarum par-

partium in hydropicis tumentium vel periculosas esse, vel saltem non necessarias ; periculosas in hydropicis vitiô visceris organicô, vel communi laborantibus ; non necessarias in iis , qui eadem integra & illibata habent, & à levi quadam seu saltem à causa quadam procatarctica tumorem corporis contraxerunt: Exempla fere innumera in medium producerem, ni laconicè scribendi animus esset ; pauca idcirco annecto : Primum sit noster ultimus æger, cui licet leviſſimæ etiam, ita ut vix cuticulam transfoderint, incisiones factæ sint, & in avertenda gangræna strenuè allaboraverimus , nihilominùs tamen averti non poterat. Annecto secundum: Adolescens ann. 19. circiter, hydropicus fectus olim fuit in scroto usque ad interiorem membranulam, ex quo vulnere adeò copiosè effluxit aqua, ut lipothymiam horrendam brevi à sectione intervallo pateretur, recollegit tamen sese, & alleviatum ac quasi restitutum existimaverat, dum tumor scroti, qui antea capitis recens nati magnitudinem æquabat, vix nucem juglandem referret, succesſivè verò paucos intra dies intendebatur sitis, urgebant inquietudines, supervenêre levia tamen deliria, & tandem exhaustis viribus fatis cessit : Dissectum cadaver ingentem fœtorem ex sphacelatis partibus spirabat, heparque singulariter totum, quantum scirrhosum fuit, ac innumeras ex acinis glandularum induratarum prominentias præter aliarum partium vitia exhibebat. Memini tertiò me per Numina adjuratum mulieri cuidam pauperi , atque omni præsidio destituræ ex aliorum defectu remediorum, pedes majori ex parte scarificasse, quæ quidem inde multum alleviabatur, cùm verò defensiva juxta mandatum meum (quibus utique diutius spirâsset) debitè non applicarentur, binos intra dies defunctam fuisse, mihi referebatur. Adduco quartum exemplum, quod vix ante duos contigit menses. Insignis Religiosus plethoricus , cùm æstate præteritâ ob intensissimum æstum & plurimum , & diversissimi generis potum diu noctuque ingessisset, atque cæteroquin nonnihil valetudinarius esset, destituitur paulatim appetitu, intensior fit sitis, vires labefactantur &c. tandemque in hydropem universi

incidit, quem medicamentis, quantum poteram, juxta artem applicatis in tantùm adjuvi, ut multa remitterent ſymptomata, & ſatis commodè viveret, pedum tamen tumor ſemper augebatur, ut tandem in ingentem molem (nec huic credo integra fuiſſe viſcera) excreverint. Hic, cùm defenſiva extrinſeca, exſiccantia, diſcutientia & reſolventia incaſſum à me adhiberentur, exin omni conatu remedium (me ſimile utpote ferale reſpuente) externum ad deplendas ſeroſitates, & conſequenter tumorem imminuendum quæreret, quæſivit & invenit; ecce illud! utriusque pedis ſuræ interiori applicantur veſicatoria, excitantur veſicæ, aqua ſtillat in deſiderata copioſa quantitate, pedes ſucceſſivè detumeſcunt, magisque mobiles fiunt, inde de triumphato hoſte cum jubilo triumphus canitur: Uti autem ego ſuperveni, eumque inviſi, velut Tantalus totus ſitibundus erat, os continuò ficceſcebat, ſomnus aderat, attamen irrequietus, & nonnunquam delirabat, atque dum deligabantur partes veſicatæ, totæ carbonis ad inſtar quaſi erant, niſi quòd inſigniter adhuc ichorem fœtidum plorarent, ſed & inferior pedum pars audaciam hanc luebat, dum hinc inde maximus livor & ſuggillatio ſphaceloſa adfuit, quô malô tandem intra 7. dies piiſſimè obiit, qui utique aliàs diutiùs vivere potuiſſet, licet non ſupervixiſſet. Exempla longè numeroſiora in medium proferrem, quibus hanc meam mentem me confirmare poſſe perſuaſus eſſem, ſed dum me tuâ, B. L. patientiâ jam abuſum fuiſſe mihi imaginer, abrumpo filum.

(*Friburgo Brisg. Auguſtam Vind. d. 24. Dec. An. 1705. miſſa.*)

OBSERVATIO IV.

Dn. D. MATTHÆI BLAVV.

De

Petroleo, certo contra napelli virulentiam antidoto.

REfero, quod experientia certa rerum magiſtra commonſtrat, ex qua tanquam ab effectu in notitiam rationis & cauſarum deve-

devenire, haud erit difficile. De napello notum est & apud omnes Botanicos in confesso, plantam esse noxiam & venenatam, tamque malignæ indolis, ut illi antidotum esse à nonnullis negetur, ejusque usus tam internus quàm externus, tam pro hominibus quàm pecoribus, summè nocivus censeatur, ac propterea prohibeatur. Quosuper videri possunt varii Auctores Botanici & observatio à Dn. Lentilio descripta in miscellan. medico-pract. Libr. 2. pag. 381. Quamvis autem napellus tantam habeat in se virulentiam, provida tamen & mirabilis natura sollicita est contrarium ipsi jungere antidotum, anthoram nempe ceu thoræ (quo nomine & napellus audit, quamvis quidam differentiam faciunt inter thoram, & napellum flore phœniceo) inimicam, quæ propterea vulgò Giftheil appellatur, & ordinariò ad napellum solet excrescere, & quoad flores convenire. Naturali huic & virtutis innatæ antidoto multi laborârunt simile & æqualium in effectu virium invenire alexipharmacum, quod napelli virulentiæ resistat, & qualitates ejus noxias emendare valeat. Sic Augustani in pharmacopœiæ suæ prolegomenis Isagogicis cap. 8. de venenis eorumque antidotis scribunt: napello præter acetum, species diamosch. dulc. diambr. lapis Bezoar resistunt. Et ambram quidem napelli vim frangere multi referunt; inter quos vid. Heurnius &c. Sic Prævotius in lib. de venenis & eorum alexipharmacis inter antidota contra napellum refert primò ambram gryseam, & anthoræ radicem, item rad. cappar. putamina glandium, moschum odoratum, lap. Bezoar & muscas napelli flores depascentes, quas singulariter & alii deprædicant. Alii lapidem Bezoar & Smaragd. napelli veneno resistere asserunt &c.

De muscis napelli floribus insidentibus eosque depascentibus casualiter inventis, & à Principe quodam tam contra napellum quàm alia venena miro effectu approbatis, mira scribunt Botanici, quorum fides experientiæ relinquitur, quid autem de talpâ illâ seu mure subterraneo napelli radices devorante (quam in montibus vallis Ananiæ propè Tridentum magnâ industriâ & labore se cepisse gloriatur Matthiolus) censendum sit, judicium

ſuſpenditur. Quamvis autem præfati Authores hæc & alia contra napellum referant antidota, rationes tamen ſpecialiter aſſignant nullas, in quo napelli conſiſtat virulentia, aut in quo antidotorum qualitates fundatæ ſint, ſed ex Veterum hypotheſi occultas ſupponere videntur ; nam proprietates ſeu qualitates manifeſtas quod attinet, multi ex mente Avicennæ referunt Botanici, napellum calidum & ſiccum eſſe, & quidem in quarto gradu, anthoram autem pariter calidam & ſiccam eſſe deſignant: cùm verò ſimile non agere ſoleat in ſimile, idcirco venenoſitatem napelli, & virtutem alexipharmacam anthoræ à prædictis qualitatibus dependere, nemo prudenter judicabit. Utrum verò napellus herba calida & ſicca dici poſſit, hoc non immeritò in dubium vocari poteſt; nam effectus (à quibus hæ qualitates emanant, & herbæ tantum effectivè calidæ aut frigidæ, ſiccæ vel humidæ nominantur) hoc planè non comprobant; nam in iis, qui napellum aſſumpſerunt, legimus, quod ſequentia horrenda fuerint obſervata ſymptomata: laſſitudo *nimirum in toto corpore*, debilitas & compreſſio cordis, ſudor frigidus in fronte, motus convulſivi, frigus extremorum, lethargus, aſphyxia, & color faciei ſublividus &c. Sed iſti effectus omnes certè ex calore haud producuntur, nam venena calida & acria potius inflammationes, eroſiones, reſolutiones & humorum diffuſiones, ſanguinis fluxus, æſtuationes, dyſenterias, agrypnias, deliria &c. procreant; econtra verò ſymptomata ſupra recenſita, ex aſſumpto napello obſervata, potius ex humorum & ſpirituum fixatione, ac ſanguinis coagulatione proveniunt, ita ut ab effectu veroſimilius judicare liceat, venenum napellicum hoc ipſo, quod effectivè non calefaciat, ſed ſummè refrigeret, inter frigidiſſima venena locum habere, & ab acido ſummè fixo ac coagulativo dependere &c. Laborârunt propterea artifices, ut contra ejusmodi frigida & coagulativa venena vegetabilium & ſpecialiter contra napellum, ope artis chymicæ adaptatum invenire poſſent remedium ceu antidotum, utpote cujus virtus effectus producat effectibus napelli contrarios, quod conſequenter calefacere, acidum corrigere, fixa-

fixationem volatilisare & coagulationes resolvere posse aptum natum sit, ac naturæ alcalicæ volatilis esse debeat; in quem finem (uti expertissimus Boyle ex alio annotavit phil. experiment. exercit. 5. § 16. pag. m. 208.) per Sal. Tart. volat. plerorumque vegetabilium venena, nominatim napellum levi digestione corrigi & innoxium reddi recommendatur, & (quamvis in eo loco experientia tunc sumi non potuerat) ex dictis rationibus non improbatur. Sed ut ad petroleum deveniam, de quo in titulo observationis fuit facta mentio, notæ sunt ejus vires pro usu tam externo quàm interno. Est nimirum petroleum utrumque tam album quàm rubrum (inter quæ tamen album & clarum præferendum) nobile penetrans, fervidumque resolutivum; hinc naphtham vocarunt veteres, quia flammam facilè concipit, nam subtilissimam bituminis continet substantiam: & propterea est naturæ calidæ, resolutivæ ac penetrativæ, & tam per se quàm cum oleo succini destillato junctum in affectibus nervorum frigidis paralyticis ac spasmodicis egregium est remedium, prout in mensium obstructionibus & calculo &c. quòd autem napelli virulentiæ validè resistendi vim habeat petroleum, præter rationes supra ab effectu utriusque allatas, sequens comprobat experimentum: succus è napello expressus si commiscetur cum aqua, eam nigro colore tingit; si idem succus commiscetur sanguini calenti, eundem mox coagulat & condensat: si verò sanguini à succo napelli coagulato affunditur petroleum, tunc coagulatio statim resolvitur; quod certo argumento est, petroleum contra napelli venenum verum esse antidotum &c. Et quamvis occasio ulteriorem sustinendi probam defuerit, dubium tamen non est, in animalibus securè id tentari posse & certiorem fieri experientiam, si modo post assumptum toxicum non nimis serò exhibeatur antidotum, quæ causa est, quòd multorum alexipharmacorum etsi in se satis validorum activitas impediatur aut retardetur.

(*Friburgo Brisg. Augustam Vind. d. 27. Decemb. Ann. 1705. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO V.

DN. D. SYLV. SAM. ANHORNII
DE HARTWISS.

De

Febri ictærica chronica, cum Colica ventriculi.

ILluſtriſſima Domina Baroniſſa de P. 36. annos nata, temperiei quam vocant, ſanguineo ſulphureæ, animi corporisque dotibus, quæ ſexum longè ſuperant inſtructa; ex hoc ſolo infelix, quòd conjugium ſortita ſit ex animorum diſparitate maximè infauſtum; affectuum moderamen licet ad ſtuporem usque calleat, ſenſit tamen excedentium quandoque pœnas. Nonus labitur annus, quo ex febre malignâ dubio eventu, ſine ſenſu dudum & convulſa decubuit. Deo benedicente, ſedulâ Graviſſimi Reipubl. Curienſis Prætoris D. D. Bavierii operâ, paulatim priſtinæ ſanitatis recuperavit vigorem. Mœror animum gravius ſubinde confecit; hinc ſpecies affectûs hyſterici per artus, per viſcera quandoque deſæviens. Ad ſponſalia Perilluſtris Domini Fratris, liberi Baronis de H magnificè peragenda, confectioni pretioſiſſimorum Sacharatorum interfuit, in hiſce guſtandis palato indulgens, ſtomacho cœpit malè habere, anxietates ſenſit & oppreſſiones; adhibuit domeſtica uterina & ſtomachica cum levamine; redeunte acrius ex quovis paroxyſmo Cardialgiâ, antispasmodica præmiſſo Emetico feliciter in uſum ducta ſunt. Cœpit tamen abhinc delaſſari, menſibus defraudari, & repetitis venæ ſectionibus ſanguine largius detracto, aurigine ſuffundi. Præſidia non neglexit Celeberrimus ſupra nominatus D. D. Bavierius, quæcunque præſentiſſima hoc in morbo perhibentur. Succeſſum res pluries habuit, quem ſpe & votis conceperat; at vel quæ erant faſtidia quotidie devoranda, vel quòd diætæ minùs fuerit obſervans, firmam non diu conceſsêre valetudinem: levi datâ ansâ Cardialgia, ſpaſmi abdominis & icterus rediêre. Celeberrimi in arte Viri conſilium rogati, quivis ſpecifica ſua antiicterica, creber-

creberrimo ſucceſſu probata, omni ſtudio commendavit. Excellentiſſimus multorum Principum, Urbisque Lindavienſium Archiater, D. D. Millerus præmiſſo Emetico adhibuit martialia ſanguinem & ſuccos corrigentia in forma pulverum; Electuarii & pillularum plurima, ex hauſtu decocti ſpecifici amari ſumenda, tandem etiam ſuccos ex herbis ſcorbuticis expreſſos & alia; non deguſtavit modò hæc ſingula vice unâ & alterâ, ſed pertinaciſſimo uſu quævis ad plures menſes continuavit; impetratum ſubinde eſt, ut omne malum evanuiſſe videretur, & menſis ſpatio conſopitum eſſet; rediit tamen utplurimum deterius. Anno 1699. ad Thermas Fabarienſes ſe conferens, balneum bene tulit, potum non item. Paroxyſmus febrilis cum Cardialgia & ventris tormine, quem ſemper nova Aurigo excepit, & ſolito vehementior & diutius protractus accedebat, ut omnium opinione non vice unâ, labiis jam anima pallidis oberraret; pernitioſum Curæ effectum dum hauſtis protinus undis experiretur, maluit maturo diſceſſu ſuæ conſultum vitæ, quàm ſe tanto diſcrimini diutiùs expoſitam; ad ſuos denuò confugit ſanitatis cuſtodes, probatiſſimos in arte Viros: aliâ jam viâ morbum aggredi ſtatuerunt, per Regium illud antifebrile, Corticem Peruvianum in ſubſtantia & infuſo exhibitum, peſſundare fomitem febrilem pertentantes. Sociato anodynorum & ſpecificorum aliorum ad ſpasmos dolorificos conſopiendum uſu, ſic morbum devicerunt, ut per integros plures menſes conquieſceret; modò non penitus expungi poterat ictericus in facie & oculis character. Aſperrimâ hyeme recreationis ergò trahâ in diſſitum vecta, nec circa Diætam ſuæ valetudinis hic & alibi memor, peccatum gravi recidivâ mox luit. Febris cum intenſiſſima Cardialgia, tormine & ſubſequente ictero, quovis ſexto, tandem quinto & quarto die præcisè rediit: ad priſtina digreſſum eſt auxilia. Sic Siſyphi Saxo in usque æſtatem Anni 1700. volutato, ſalſulis expurgato corpore, Acidulas experiri ſtatutum eſt: bibit ex ipſo fonte quotidiè menſuram & ſupra: deterior redditus eſt primis diebus morbi ſtatus. His in anguſtiis verſanti, præſens tum temporis

Excellentiſs. D. D. Zieglerus, Practicus apud Tigurinos percelebris, Emeticum ei propinavit, quod inſignem æruginoſæ bilis amurcam crebriore vomitu expulit: abhinc melius potum tulit, & paroxyſmi ad ſeptimum usque diem moras tenuêre, nec ut olim vehementes fuêre. Surrexit natura vix dum in novas vires, en nova ſe offerunt pejora prioribus ſymptomata. Jam ad hoſtem impugnandum vocatus Clariſſimus Curiæ Rhætorum Medicus, D. D. Kohlius, ex hoc campo vix felicior rediit: exiſtimabat Exercitatiſſimus Vir, ſanguinis lentorem, craſſitiem, acorem vix certius correctum, turbatam vitalem œconomiam reſtitutum, & laticis oleoſo-ſulphurei craſin exaltatum iri, quàm ſtrenuo volatilium uſu. In hoc perſtitit menſis ſpatio diligentiſſimè; aſt ad extremum potius diſcrimen deducta res eſt: paroxyſmi exin fæviſſimè, cum epigaſtrii concuſſione convulſiva quaſi vivum quid intus tumultuaret, quovis triduo rediêre. Placuit hinc Illuſtriſſimæ Dominæ, ad me quoque deferri morbi contumacioris hiſtoriam, & ne quid curæ prætermiſſum videretur, me ſibi advocari. Diem adventûs uti magno deſiderio exſpectabat, ita percommodè eundem egit. Facies fuit cum corpore ubique flaveſcens, corpus notabiliter emaciatum, ſtomachi confinia prætumida, duritiés in quoquam viſcere notari non poterat, ferum tenue affatim ſputabat, ſtomachus crebrò ructus ſonoros emiſit, urina ſulphure cœnoſo refertiſſima nigricabat, feces alvi cineritiæ erant, & compactæ, non tuſſiit, non difficulter reſpiravit, vires ad deambulandum ſufficiebant. Pridie adventûs mei irâ & terrore commota plures ſanguinis grumos prævià tuſſi rejecit. Paroxyſmi quos binos eâdem hebdomadâ ſuſtinuit, cœteros & doloris vehementiâ & ſymptomatum inſuetorum concurſu ſuperâſſe viſi ſunt. Ordiebantur cum oſcitatione, ructibus, ſputatione, oppreſſione ſtomachi & dolore epigaſtrii inter confinia hepatis & lienis concluſo. Hic paulatim usque adauctus eſt, ut ſtomachus præſertim quaſi chelis cancrinis (ſunt verba Illuſtriſſimæ Dominæ) morſicarentur atque conſtringerentur. Tandem cum frigore extremorum in impe-

impetuosos motus prosiliit abdomen, & continuato ictu atque subsultu ab umbilico versus stomachum, sæpè plures horas miseram misserrimè exercebat. Defervente spasmorum ferociâ fervebat totum corpus, pulsus magnus & fortis, non tamen naturali celerior observabatur. Somno obrepente omnia conquiescebant, & mox totum corpus novo quasi croco profundè suffusum apparuit. Urina ante paroxysmum clara, jam aspectu horribilis ex viridi nigricabat, sensimque aliquid de tincturâ crassiore deposuit, usque dum præ foribus existente novo paroxysmo, penitus clarescceret. Amicè deliberatum hinc est cum Amplissimo loci Prætore, Excell. D.D. Bavierio, Viro de Patriâ insigniter merito. Febris uti quidem icterica nobis nuncupatus est affectus, non tamen ejus vel genii vel accidentis dolorifici, vel spasmi ventris admirandi, adhuc dum vera patuit causa. Visum est nobis acidum sylvestre, à succo bilioso effatuato & ad duodenum exitu præcluso minus contemperatum, sufficere ad deducenda hinc singula phænomena, quæ Illustrissimæ Dominæ Patienti obveniebant. In hoc ergò amicè convenimus, eam medendi methodum esse prosequendam, quæ apta sit ad duumviratum in ventriculo & intestinis restituendum, succum nempe bilioſum acuendum, volatilisandum, fluxilem reddendum, & reserato ductu cholidocho ad duodenum ablegandum, ut restituto ejusdem cum succo pancreatico amico connubio, concoctiones, digestiones, secretiones restaurari, sicque amicabilis inter solidas & fluidas corporis partes, quies & harmonia conciliari possit. Decocto Lindani anticterico primas hic dedimus partes, cujus mane cyathum hausit. Sub vesperam exhibita est dosis pillularum ex croco ♂ aperitiv. cum extracto fumariæ & Castorei paratarum. Ad symptomatis urgentis, spasmi & doloris ferociam mitigandam aqua hysterico-anodyna parata est, per intervalla cochleatim sumenda. Fato hæc singula ita propitio data sunt, ut novam denuò convalescendi spem sumeret, alvo indies ter & quater cum palpabili εὐφωρίᾳ commotâ, & paroxysmo inducias octo dierum concedente. Hujus ut voti sui

compos fieri commodius liceret, die 29. Auguſt. 1700. Sangallum ſe contulit, (ſuadente id cum Illuſtriſſimo Domino Parente, Excellentiſſ. D. D. Bavierio, Viro per ampliſſimam Praxin in & extra Patriam, atque negotia Politica nunquam non occupatiſſimo) quò in ædibus meis quotidianæ mutationes exactius obſervari, conveniens Diætæ regula teneri, & neceſſarius in medicamentis exhibendis ordo inſtitui poſſit. Advenientis Illuſtriſſ. Dominæ crura, ad genua usque inſigniter tumuêre, icterus vix notabilis, urina modicè tincta, feces alvi cineritiæ erant. Remedia continuantur.

Die 30. Auguſt. alacris fuit, exſpatiando ſe exercebat, avidè comedit, cibum benè tulit, noctu quietè dormiit, alvum ter reddidit. D. 31. repetiit hauſtum matutinum decocti, unde flatus & tormina, fecum retentio. In prandio aliquantum Vini Malvatici deguſtat cum intincto pane ſacharato; mox tormina invaleſcunt, Cardialgia, frigus extremorum, & præſertim dolor exquiſitus circa hepatis regionem ſentitur; injectum Enema, & data eſt mixtura hyſterico-anodyna, circa veſperam ſiluit dolor, & ſomnus obrepſit; circa ſextam pulſus concitatior obſervatus, æſtus membra occupavit; redditum eſt clyſma cum liquamine albido; dormiit totâ nocte; manè vegeta ſurrexit, ſed toto corpore multâ aurigine perfuſa. Sic menſem Septembrem totum transegit, ut nempe paroxyſmus octavo die, etiam exacto regimine obſervato, & alvo quotidiè laxatâ, nihilominus rediret. Solvuntur paroxyſmi largo ſudore, unde pruritus in toto corpore, quem frictionibus ad ſanguinis usque profluvium lenire conatur.

Die 17. & 24. ſiſtentibus ſe paroxysmi prodromis, ſcilicet oſcitatione, cardialgiâ, ventris lancinatione, ructibus, ſputatione, quibus ſe junxit ſpaſmus in pedum digitis exquiſitè dolorificus, decocti Chamomillæ vulgaris hauſtum propinavi, & Clyſma ex eodem cum Ol. Chamomill. & lumbricorum mixtum injici curavi. Ventriculo Galbanettum impoſui, unde mitius affligebat dolor vix in horam protractus; febris autem non minus intenſa

fuit,

fuit, & postero die urina ut hactenus spissa, faciesque profundè flavebat. Tentatum proin etiam est, decantatum illud cuporiston ex lactis vaccini ablato cremore ʒvj Saponis Venet. ʒiß, & Syrup. de marrub. ʒß. Potui ordinario infundebantur summitat. absynth. marrub. urtic. & salviæ, quibus non pronuper ex Ictero paroxysante emaciatissimus restitutus perhibebatur; externa quoque & per magnetismum operantia quæcunque in usum vocata sunt. Sed dum omnem hactenus eluſit operam affectus, & nihil responsi ad repetitas meas ab Excell. D. D. Bavierio, ob sui absentiam fortè, impetrare licuit, Celeberrimos in arte Æsculapios, Magnificum D.D. Lucam Schrökium, Sacr. Cæsar. Majest. Archiatr. Comit. Palatinum &c. Nobilissimos item, Excellentissimos & medendi dexteritate longè lateque conspicuos, D.D. Mejerum Schaffusiensem, & D. D. Millerum Lindaviensem, perscriptâ ad illos morbi historiâ ad communicandum consilium seriò rogavi. Unanimis Virorum Excellentissimorum sententia fuit, Cortice Peruviano non fugari solùm, sed & deleri atque extingui posse fermentum febrile, tantorum causam malorum.

D. 1. Octobris dum circa noctis duodecimam paroxysmus Colicus cum extremorum refrigeratione & subsequente æstu denuò, sed singulis postremis mitior accederet decocti Chamomillæ hausta placatus, hoc magis audacter ad Antidoti febrilis usum accessimus, ejusque periculum fecimus, manè & vesperi ejusdem ʒß cum flor. Sal. amm. ϑß ex hausta decocti Chamomillæ exhibendo, & sese ad levem madorem componendo; tulit usum non sine fructu. Per nares prodiit insolita flavæ mucaginis quantitas, appetitui & viribus robur accessit, & universæ functiones alacrius expediri visæ sunt. Dum jam in vado se crederet constitutam & nihil minus exspectaret, circa vesperam D. 8. sputatio & ructus redierunt, non nisi jusculo hausto lectum petiit; noctis horâ secundâ extrema frigere cœperunt, & quod in omni glisente paroxysmo observatum, inanis ad alvum reddendam stimulus urgebat, ructus frequentes, tormina & in

utroque hypochondrio spasmus exquisitus, tantaque tandem Epigastrii commotio, mox extensio, mox vehemens retractio, & versus umbilicum pulsio accessit, ut citra disruptionem intestinorum tantam violentiam fieri concipi vix posset.

D. 9. summo mane injecta sunt clysmata unctuosa anodyna, factæ inunctiones: internè data sunt Opiata theriacalia, tandem antispasmodica oleosa, tubulum intestinalem blandè demulcentia, referantia; at omnia incassum; non solùm hanc diem & noctem duravit paroxysmus, sed etiam

D. 10. totus venter extumuit, & maximè sub utroque hypochondrio, hepatis & lienis regione tumor singulariter extuberans exquisitissimi sensûs observabatur, qui dolorum immanitate Illustrissimæ Dominæ, aliàs adversa quævis ad stuporem patienter ferenti, clamores & ejulatus expressit quasi in partu difficili constitutæ; interim membra cadaverosè friguerunt, vires corporis & animi defecerunt, pulsus elanguit, & proscriptâ omni spe vivendi inter preces & solamina adstantium hunc & sequentem diem transegit. Tumor utriusque lateris, propter quem in neutrum se latus flectere poterat, pro hepatis & lienis inflammatione nobis primùm imposuit, unde quod crebrâ experientiâ compertum habemus, linteamina aceto calente imbuta utrique tumori admovimus, pro tubuli intestinalis à triduo constipatissimi, nec clysmata reddentis relaxatione, Oleum in Colica spasmodica eximii usûs, quod Perillustri, Serenissimi Electoris Palatini Archiatro, toto Orbe Celeberrimo D. D. Brunnero acceptum debemus, per trium horarum intervalla cum jusculo carnis exhibitum est.

D. 11. Vomitus liquaminis vitellini accessit, dum is crebriùs urgeret, ad hunc inhibendum & morbum iliacum præcavendum pulvisculi absorbentes cum opii afflatu dati sunt. Oleum anticolicum sedulò continuatum est: circa vesperam cum horrore totius corporis alvus officium fecit, prodierunt glandes crassæ, induratæ, nigricantes, liquamine bilioso fœtidissimo exceptæ,

ceptæ, & concrementis calculosis pluribus refertæ, noctu breves somni subrepserunt.

D. 13. Charissimam Dominam Filiam visitatum accessit Illustrissimus Dominus Parens: vidit illam extremè debilem, at ex limine mortis paulisper ereptam: continuatus est olei anticolici cum Syrup. rosar. S. S. permixti usus: alvus liquida moleculis compactissimis confusa jugiter fluebat: putatus hepatis & lienis totiusque ventris tumor insigniter imminutus est: dolores graviores mitescebant: corpus æstuare ac inter somnum interruptum sudoribus perfundi cœpit.

D. 14. & sequentibus, viribus fractissima continuo sudore madebat, pulsus celerior, sitis intensa, dolor ab hepate ad lienis regionem satis adhuc exquisitus, protuberantia, quæ pro hepatis inflammatione vel in arte versatissimo imposuisset, multum secessu crebro diminuta, sed acriter sensibilis perstitit; & quid dicam? nullus in corpore locus erat, qui non spasmorum ferociâ exercitus, sopito paroxysmo tristem doloris ideam reliquerit; pectus, nucha, scapulæ, brachium dextrum, totusque venter vix attactum ferebant, corpusque ad sceleti formam extabuit. Paroxysmus hic, quo fortè nemo & crudelius & longius sævientem vidit unquam, terminatus est cum Ictero, nigro verissimè dicto: lotium percrassum & turbidum, odore felium urinæ persimile, totum locum inficiebat, ut singuli accedentes hypocaustum à Cato permictum dicerent. Tumorem autem ventris in utroque hypochondrio singulariter prominentem & sensibilem, ex solius intestini Coli infarctu productum, motuque illo in ventre convulsivo incarcerata scybala & flatus ab irritato Archæo, motu peristaltico aucto, de loco in locum protrusa fuisse, donec exitus per inferiora pateret, uti dubium nobis non fuit, ita hoc ex fundamento destitum non est, reliquias in Colo hærentes jugi usu Olei anticolici Syrup. ros. S. mixti, per epicrasin expurgare, donec tædium illam & nausea caperet remedii, quod ad Perillustris s. n. D. D. Brunneri dictamen paratur ex ℞. Flor. Chamomill. vulg. papav. rh. fol. nasturt. aquat. summit. meliss. rec. ana

ana Mß. lumbricor. terr. n. lx. Balsam. Peruvian. 3ß. Vin. alb. generos. ℔ß Ol. amygd. d. ℔j coquantur, simul ad vini consumtionem Ol. Colatum serv. ad Vitr. ter quotidiè ad ʒj in jusculo exhibendum.

Ad vires reparandas juxta Cremorem hordei maximè analepticum, cum carne vitulinâ & gallinâ ad mucaginem coctum, & quater de die sorptum, etiam Gelatina Corn. Cerv. parata est sequentem in modum: ℞. C.C. rasp. ʒiijß fol. meliss. Veron. beton. flor. borrag. ana Mß sem. fœnic. ʒj. coq. in aq. fontan. ℔iiij. ad medias, postmodum add. Conserv. rosar. r. ʒiß passul. min. apt. mundat. ʒj. bulliant adhuc aliquantum, postea colentur & serv. in vase fictili in loco frigido, de qua sumantur mane horâ septimâ, & vesperi horâ quintâ cochlearia duo, superbibendo jusculum ex cremore hordei analeptico; inunctiones secundum coli tractum diligenter continuatæ sunt; clysmata non neglecta.

D. Solis quæ erat 20. alacrior ac hactenus, cibos in prandio avidè sumsit, vini modicum cum decocto rad. Chin. & passulis hausit, ex hoc murmura ventris audita sunt. Clyster injectus est, qui ab intestino recto, quasi vi magnâ abreptus, versus stomachum tendere putabatur: novi paroxysmi protinus comparuêre prodromi, oscitatio, ructus sonori, sputatio, Cardialgia, (colica ventriculi Mortono de phthisi icterica nuncupata) spasmi Coli mites fuerunt, & impetus ille spasmodicus planè abfuit, sine dubio propter Colon reseratum & expurgatum, motu peristaltico imperturbato existente. Bihorio sic transacto, æstus occupavit artus, & largo sudore paroxysmus finiebatur.

D. 21. multum virium ex hoc paroxysmo sumsisse videbatur sibi; plurimus dolor disparuit, tangi ubique quàm hepatis regione sine dolore potuit, quam partem continuo stringi spasmo quærebatur, urina, quæ hactenus accessione finitâ profundè nigricans, fœculenta, limosa comparuit, jam non nisi benè crocata exstitit. Non exiguam redeuntis sensim ad frugem valetudinis spem fecit Illustrissimis & Excellentissimis supra nominatis Viris, quos consilio adhibueram, paroxysmus hic tantum prio-

prioribus mitior & tranquillior decurrens: proinde infusi anticterici (quod Mortonus in Phthisiologia p. 8. habet) corticis Peruviani accessione exaltati usum interpositis subinde laxantibus commendârunt. Sumsit haustum mane & vesperi cum Pulveris Cachectici à Celeberrimo D. D. Millero, amico æstumatissimo transmissi, & ceu specificarum virium, longâ praxi probati ʒß.

Qui D. 27. paroxysmus accessisse debuerat, diem postposuit, & d. 28. inter prandendum cum ructibus, oppressione stomachi & frigore extremorum rediit, dolores vero penitus abfuere. Circa quintam vespertinam sudor paroxysmum finiit, & somnus plurium horarum obrepsit. Ut verò Augiæ hoc Coli stabulum penitius extergeretur, & fermentum febrile extingueretur, juxta infusi ♂ anticterici Chin. Chin. exaltati usum, alvus segnior per epicrasin potiunculâ ex ol. amygd. d. & Man. opt. ana ʒiß. decoct. fl. chamomill. ʒiiij. (cujus aliàs vires in pertinacissima Colica deprædicari satis non possunt) etiam clysteribus injectis sollicitabatur, & hepatis regione à dolore & spasmis nondum immuni, Emplastrum Norimbergense impositum est; & quidem cum successu, ut paroxysmus quivis diem postponens, tandem ad usque undecimum diem protraheretur; mitior quævis accessio fieret, excrementa nigerrima prodirent; flatus copiosi, indicium inchoatæ digestionis per inferiora secederent, urina clarescceret, & bonæ notæ indicia præberet, singulæ functiones alacrius expedirentur, & sic Dei Max. ex gratiâ singulari, fausta quæque apparerent. Succrescente sic, lento quamvis progressu, vigore, Illustrissima Domina se domum portari medio Decembri, in Lectica curabat: ex molestia itineris, non tam tempestate horridâ, quàm casu lecticæ, equis profundâ nocte in via glaciata hærentibus, cum tædiis aliis, quas devorare cogebatur satis acerbis, resuscitatum denuò scintillavit malum. Febris rediit cum colore icterico singulos paroxysmos excipiente, & colico dolore non quidem acerbo: bono cum omine inceptum intentionis scopum prosequi, tantò minùs destitimus, & tandem curæ optatum colophonem imposuimus, semel hebdomadatim

extergendo intestinorum tubulum, per pulveris Rhabarb. v. ʒj. Cæteris verò diebus manè & vesperi hausto sequentis decocti absorpto: ℞. Rad. Chelidon. maj. Vincetox. gentian. ana ℥ß. folior. marrub. absynth. Cichor. flor. Centaur. min. ana Mß. Cort. Ch. Ch. ℥ß. limatur. ♂ in nod. lig. ℥iß. Zedoar. galang. ana ʒj. Incis. coqu. in B. M. per hor. ij. cum aq. font. & Vin. alb. veter. ana ℔ijß. Colatur, servetur ad usum. In potu ordinario frustum ⊙ candentis sæpius erat extinctum. Diæta conveniens injuncta. Sic sensim correctâ succorum quoad crasin & motum anomaliâ; fermentis viscerum ad genium redeuntibus, sanguine ad elaterem suum magis magisque exaltato, & turgescentiæ naturalis indicia exhibente per narium frequens stillicidium, & appetitu naturali ad cibos boni succi redeunte, qui prius non nisi in absurda ferebatur, in vado salutis omnia constituta videbantur, sed en! hæmorrhagia narium incrementa sumens indies, cum intercurrentibus animi deliquiis, perterruit de novo Illustrissimam Dominam Baronissam, ut me 15. horarum itinere distantem advocare decerneret: maturatum est iter.

D. 16. Februar. 1701. adveniens, vidi lectum circumstantes sanguine junctos, extrema perpetim exspectantes: ut verò pulsum satis bonum comperi & animi præsentiam, fausta quævis sperare jussi, quamvis ex largiore sanguinis profusione viribus fractissima existerer, & pedes œdemate tumerent. Data est Mixtura ad hæmorrhagiam Sylvii; parata sunt Cardiaca temperata, juscula cum Endivia cocta, Gelatinosa & alia reficientia: cessavit hæmorrhagia, & vires fatiscentes restituebantur. Continuatus hinc est quotidianus decocti Martial. amaricantis & Pulv. Rhabar. hebdomadarius usus, quò penitius succi vitales à croco peregrino depurarentur, salia lixiva cicurarentur, viscedines & lentor sanguinis attenuaretur, bilis præsertim Sulphur effatuatum acueretur, tubulus intestinalis referaretur, extergeretur, bilis egressus in duodenum proliceretur, & sic etiam naturalis menstrua per loca consueta evacuatio promoveretur. Nec nos intentio fefellit; desperata valetudo sensim reversa est, & post tot hostium

ſtium deſideratum exſilium ovans cum triumpho rediit ſanitas, quâ hucusque intemeratè & cum ſtupore eorum fruitur, qui eam ex ſeſquiennali morbo emaciatiſſimam, & peregrino colore deturpatam, nunc verò athleticè valentem & nitidiſſimam conſpexêre.

OBSERVATIO VI.

Dn. D. SYLV. SAMVELIS ANHORNII DE HARTWISS.

Abſciſſa Coli portio non lethalis.

CRaſſorum inteſtinorum vulnera quamvis paſſim occurrant apud authores vel ſponte naturâ, vel per ſuturam conſolidata atque curata, inteſtinum tamen per medium ſectum, abſciſsâ ejusdem portione curam admiſiſſe, inter rariora meretur poni, quæ occurrere poſſunt obſervationum monumenta. Caſus hic obtigit in Johanne Kreſſenbuchur, Turgoviâ Utvillano, juvene 26. annorum. Hic An. 1694. mente adhuc & corpore ſanus, ex annonæ caritate famis miſeriam expertus, clibano piſtoris adſtans, & paniculum inibi relictum videns, jubentibus ſociis clam irrepſit, panem petiturus & ſtomachum latrantem placaturus: verùm ceu vapore ceu fornacis calore mox inibi obmutuit: diuturniore morâ perterriti circumſtantes, vocato Piſtori rem exponunt: hic ſine morâ pedibus extractum frigidâ largiter perfudit; ex quo motus convulſivi totum corpus prehenderunt; in habitum exinde Caducus erupit, & per paroxyſmos modò ſemel, etiam bis de die miſerum concuſſit, interdum unius & duarum hebdomadarum inducias conceſſit; perverſis tandem cerebri poris fatuitatem induxit. Die 16. Maji 1700. per ſeptimanæ ſpatium totus amens cum furore fuit, nudus ubicunque aufugere potuit, excurſitabat, & ne vim ſibi inferret, cuſtodiri debuit. Ex inſtitutâ venæ ſectione placabilior factus de dolore in latere hypochondrii ſiniſtro magnas querelas movet; quem atrocius ſævientem paroxyſmi Epileptici pro-

dromum expertus est; precibus non rarò institit, ut sibi cultro venter aperiretur. Die Mercurii ante Festum Pentecostis Anno 1700. (uti hoc cum totâ casûs historiâ consignatum mihi tradere placuit plurimùm Reverendo loci Parocho, Dn. Joh. Henrico Erni, Tigurino) solus in hypocausto relictus cultrum arripuit; ventrem palmam supra umbilicum magno ictu non modò perfodit, sed & portionem intestini trium circiter unciarum à vulnere propendentem abscidit, & ceu quid actum sit celatus infrà mensam projecit, seque ad fornacem proripuit. Pater superveniens conspecto cultro, deterius quid sibi illicò ominatus, filii manus cruentas de ventre abripit, & rem attonitus videt. Vocatus loci Chirurgus, Dn. Joh. Conrad Vogt, portione intestini abscissi conspectâ mortis prognosticon tulit, & Cardiacis refocillato Patiente, utramque intestini partem ex vulnere propendere permisit; donec de illa certus esset, perquam sordes exirent. Re satis exploratâ, post plurium dierum decursum, inferius intestinum in ventrem intrusit. Superioris verò extremitatem probè observari jussit, ne simul ad interiora recederet, & excrementa in cavum abdominis deponerentur. Sic tandem solius benignæ conservatricis naturæ providentiâ, nemine hoc per artem intendente factum est, ut extremitas intestini sauciati cum vulneris orificio coalesceret, & sexto jam anno, tanquam ex podice equino expressis prius rutilantibus rugis, excrementa alvina & flatus sine ullâ molestiâ hâc viâ reddantur, per anum verò ne minimum quid excernatur, nisi quod primis diebus liquaminis cruenti secessit. Ante quinquennium circiter in vicinam vocatus, nolui occasionem ipsum visendi negligere: fatuus erat, moribus incompositis & vultûs torvi; ligamenta detracta fero maduêre; ex miro hoc podice palmam supra umbilicum existente compresso, serum fermentans spumosum & graviter nares feriens, cum granulis hordeaceis & avenaceis exibat. Sic viribus valuit, ut negotia rusticana in campis & pratis obiret; à triennio verò, dum in piscinam suffocaturus sese prosiliit, jussu Magistratûs vinculis domi custoditur, ubi fila ducendo vitam

agit

agit. Paroxyſmum Epilepticum ſi frequentius patiatur, & ſitim extincturus largius bibat, plurimum aquæ potæ per locum hunc exit. Jam viribus fractus & emaciatus haud multum à fati limine abeſſe dicitur, quod cum ipſo Parentes unicè vovent.

OBSERVATIO VII.

DN. D. SYLV. SAMVELIS ANHORNII DE HARTWISS.

Ad Hæmorrhagiam ex dente evulſo remedium.

HÆrent dentes aliquando ita fortiter & profundè alveolis ſuis infixi, ut etiam expertiſſimis in hoc artificii genere magiſtris, licet ſuperato feliciter labore, ex hæmorrhagia vix compeſcibili famæ diſpendium quandoque immineat. Non pauci ſunt, quibus conſtringi laceratæ arteriolæ nullâ arte potuerunt, donec cum meliore vitæ theſauro, ipſam vitam exſpirarent. Facilè & haud unquam fallens auxilium ad reprimendum fatale hocce diluvium, hic addidiſſe tantò minùs lectori diſplicebit, dum ejusdem pluries in deſperatiſſima hujusmodi ſanguinis ad usque deliquia profuſione, vires præſentiſſimas expertus ſim. Eſt verò hoc nihil aliud, quàm nucis juglandis particula accenſa, & flagrans alveolo dentis extracti indita. Nî ſtatim voto effectus reſpondeat, ſecundâ & tertiâ vice eſt hoc repetendum, & nucleus fortiter alveolo imprimendus, quo læſa arteriola tangi, & calore ejus conſtringi commodè poſſit. Sic ſine ullo excitato dolore omnis hæmorrhagia in momento ceſſabit. Patiens verò per horas aliquot quietus manebit, nihil maſticabit, minùs calidum quid hauriet, potius de aqua ad hæmorrhagiam Sylvii aliquid per horas deguſtabit, donec vires paulatim redeant, & ſanguinis fervor remiſerit.

OBSERVATIO VIII.

Dn. D. SYLV. SAM. ANHORNII
DE HARTWISS.

Raucedinis remedium.

EX lymphæ in glandulis laryngis incraſſatæ vitio, tempore nebuloſo & hyberno, ſæpius noſtris vox rauca evadit, & ſubinde præſtantiſſimorum medicaminum vim eludit. Ancilla nuper per plures menſes raucoſa, me conſilium rogavit. Suaſi hauſtum ſeri lactis calentis manè & veſperi: à primo potato cyatho vox clarior evaſit. Tentavi idem in aliis, & hactenus ſpem nunquam fefellit, ſed plurimis in inſtanti auxilium attulit.

(*Sangallo Auguſtam Vind. d. 29. Januar. An. 1706. miſſa.*

OBSERVATIO IX.

Dn. D. GODOFREDI KLAVNIG.
De
Sulphuris Antimonii aurati virtute antivenereâ.

ANtimonium, juxta famoſiſſimi Baſilii Valentini effatum, haud immeritò comparatur circulo, cui neque principium, neque finis, & in quo quantò plus quis quærit, tantò plus ſemper invenit, nec ſufficit hominis vita ad perſcrutanda & indaganda omnia, quæ in antimonio latent, arcana & myſteria. Non vacat hîc rimari abditas hujus mineræ gazas, quibus in ſui admirationem allicere ſolet Auri fame tentatos Alchymiſtas, ut ipſis etiam eo nomine primum ens Auri ſpeciosè ſatis dicatur. Sufficiat mihi medicas inquirere vires, quibus nunquam radicitus eruendis Antimonium pollet ſpecificè, adeò quidem, ut debitè à Paracelſo in Chirurg. mag. Part. 2. tr. 3. c. 5. p. m 67. extollatur, quod uti Aurum, ita etiam hominem repurget ab omnibus ſordibus. Hujus

jus veritatis evidentiſſimum documentum hupertimè mihi in ſulphure antimonii aurato, quod more ſolito ex ſcoriis reguli cum aquâ ſimpl. coctis, debitè præcipitatis & edulcatis præparavi, ſequenti in caſu experiri licuit. Accedebat Vratislaviam Svecicarum Copiarum Centurio, ætate circiter quadragenarius, qui ex impuro coitu gonorrhæâ, hâc ceſſante ſiniſtri inguinis bubone & nocturnis tibiarum capitisque doloribus vexatus alicujus Chirurgi noſtratis opem implorabat. Hic ex artis ſuæ regulis buboni emplaſtro; doloribus autem lignorum decocto ſuccurrebat, haud tamen felici cum ſucceſſu. Adhibitis enim per ſeptimanam modò dictis remediis; bubo quidem multum diminuebatur, dolores vero capitis pariter atque tibiarum oſtocopi horis quieti dicatis adeò profundè & tantâ cum ferociâ augmenta ſumebant, ut ſomnum debito tempore capere amplius non valeret miſerrimus, qui tamen interdiu de nullâ niſi laſſitudinis moleſtiâ querulas traheret voces. Spe itaque de Chirurgo conceptâ fruſtratus meum efflagitabat conſilium, anxiè petens, ut cruciatibus ferè intolerabilibus citò obicem ponere allaboratem. Hæc mecum animo volvens recordabar, Illuſtriſſimam Fœminam ante tres annos pari contagio infectam ſulphure antimonii aurato aliquoties ſumto integerrimæ ſanitati reſtitutam; quapropter idem hîc tentare conſultum ducebam. Cum verò prælaudatæ curæ circumſtantias & remedia exactè imitari mihi proponerem, ſulphuris antimonii aurati granis ſex anaticam portionem pulveris ſtomachalis nobilis ex Minſichti armamentario confecti, addidi, quam doſin horis matutinis tertiâ quâlibet die cum decocto aliquo lignorum exhibui. Quod, cum primâ vice ageretur, ſaburra omnis generis impuritatum per binos vomitus & tres ſeceſſus ejiciebatur, ſecundam doſim ſequebatur triplex alvi dejectio cum ſudore adhuc moderato, reliquas verò excipiebat ſolùm largiſſima diaphoreſis, quæ tamen, uti prædictæ evacuationes, procedebat ſine notabili virium proſtratione. Interim omnia correſpondebant voto; vix enim quinquies uſus erat hoc medicamento, ex quo ſe prædicabat perfectè ſanum.

Haud

Haud quidem diffiteor, me ad ferendas ſulphuri antimoniali ſuppetias decocta ex lignis ſeriò imperâſſe, fruſtraneo tamen cum conatu; quam primùm enim exoptatam hujus ſulphuris ſentiret efficaciam, penitus abſtinuit ab uſu decoctorum, quæ primis etiam diebus durante hâc meâ curâ, quam parciſſimè guſtavit. Quapropter vix ambigo aliquam ſulphuri antimonii aurato adſcribere virtutem in corrigendo & exterminando miaſmate ex impurâ venere lymphæ ſanguinique illato, etiamſi adhuc dubius ſim, an ſecundum Paracelſum in chirurg. mag. Part. 3. l. 5. p. m. 90. in liquore mercuriali, aut quâ in parte lateat ſalus, quâ Venere ſauciatos beat antimonium.

(*Vratislavia Auguſtam Vind. d. 14. Febr. An. 1706. miſſa.*)

OBSERVATIO X.
DN. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.
De
Spiritûs vini accenſi vi diſploſivâ inſigni.

IGnem quemcunque ad deflagrationem ſpatium ſufficiens & liberum aërem requirere, ſecus verò extingui, qui neſcit, quotidiana doceri poterit experientia. Eſſe verò φλόγιζα quædam, quæ, utcunque accenſa, denegatum ſibi ſpatium ultrò quærunt, etiam cum diſploſione obſtaculorum, vel unus pulvis tormentarius, aut pulvis fulminans, imò ejusdem energiæ aurum, abundè demonſtrant. An verò & Vini ſpiritus in hunc cenſum hactenus ſit relatus, neſcientem me peritiores informent. Experientia me docuit, quantum valeat, anno abhinc quinto, cum quidam ex familiaribus, per literas mihi accerſito, totus pallidus ex terrore prægreſſo, quæſtionem proponeret: an crederem ope ſpiritus vini dolium poſſe diſplodi? Mirantem me, & ignorantiam fatentem in cellam deducit, monſtrat dolium novum, affabre factum amphorarum Würtembergicarum tredecim, cujus poſte-

poſterior fundus totus, non ſolùm bis per transverſum aſſularum in medio erat diffractus, utut ad trium pollicum ſpiſſitudinem accederet, & quidem tantâ vi ad murum, quatuor pedibus diſtantem, alliſus, ut fragmenta penitus eſſent obtuſa, ſed & exterior ejus margo totus in fovea, quam die Gargel vietores vocant, remanſerit, ſimulque repagulum, eine Spange/ quod obſtiterat, removerit, clavosque ferreos id firmantes tam fortiter aſſulis impegerit, ac ſi fortioribus graviſſimi mallei ictibus eſſent impulſi. Quærenti mirandæ hujus rei cauſam, refertur: aliquot menſuras ſpiritûs vini dephlegmati per vietorem dolio ingeſtas, & ſtudiosè omnibus dolii partibus affuſas, tum, ad delendum novi ligni ſaporem, vino aliâs communicandum, deſuper ſulphurato incenſi, occluſis omnibus, ex vietoris ignorantiâ, foraminibus, contra quam alias fieri conſuevit, his malis anſam dediſſe. Retulerunt poſtea aliqui, tantum fuiſſe exortum inde fragorem, ut vicini terræ motum crederent, admoniti verò ab alio vietore, rem ex odore vini ſpiritus ſubolfaciente, ex metu concepto in riſum ſunt ſoluti.

SCHOLIVM.

ITeratam ſpiritûs vini rectificationem non neceſſariam, imò damnoſam eſſe, cum celebris olim Chimiater, D. Jacobus Barnerus in chym. philoſoph. tr. 3. cap. 2. oſtenderet, *toties totiesque factum* eſſe monuit, *ut incautis admota candela, quò ſtrias decurrentes viderent, accenſus fuerit ſpiritus*, utpote qui vitris deſtillatoriis incluſus, atque ob accenſionem in majorem expanſionem deductus, cum ſpatium ſufficiens haud inveniret, vitra non ſine fragore inſigni disjeciſſe compertus eſt. Et quis neſciat, ſæpe in aliis etiam laboribus chimicis materias in vitris reconditas, ſi vehementiori igne urgeantur, ſicque plus juſto reſolvantur, ob denegatum particulis rarefactis exitum, cum violentiâ & vaſorum ruptura viam ſibi quæſiviſſe? Unde idem hic contigiſſe veriſimile eſt, dum ſpiritus vini dephlegmatus dolii lateri-

Mo.Bot. Garden,
1902.

bus intus adfusus, à superingestâ sulfureâ flammâ incensus fuit; cujus particulæ hinc admodum rarefactæ, dum amplius spatium occupare opus habuerunt, nec ob occlusa à victore foramina illud invenerunt, cum magno isto fragore & fundi disjectione exitum molitæ fuerunt.

L. Schröck.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

De

Experimento novo circa lachrymas vitreas.

ULtra decennium jam excurrit, cum oblatas fortunâ à vitriario lachrymas vitreas emerem, eo fine, ut otio dato, experimenta Sturmiana, in Collegio Curioso P. II. Tent. VI. proposita, tentarem. Dum verò hæ in mensa positæ commodum tempus expectant, affertur fortè vitrum satis spissum aquâ plenum, ad os manè eluendum. Incessit animum cupido tentandi quid eveniret, si lachryma vitrea, aquæ immersa, frangeretur, credebam verò futurum, ut aqua in altum assiliret. Sed præter spem, cum insigni fragore, dissiliit fundus vitri, aquam continentis, in plusquam centum frusta, & aqua contenta subitò per mensam diffluens, vix locum fecit scripta & libros removendi, & à madefactione nocivâ vindicandi; superiori margine vitri, qui tamen lateribus lachrymæ fuerat oppositus, integro manente, manifesto argumento, omnem ejus vim deorsum tendere. Tentatum postea idem in aliis vitris, semper eodem cum successu, ut & in iisdem oleo repletis, sed minori cum fragore & paucioribus fissuris, cum tamen vitrum liquore vacuum, utut tenuissimum, semper illæsum maneret. Rem hanc, an aliis quoque prius tentatam ignarus, mihi ad minimum novam, ad b. Joh. Christophorum Sturmium data occasione perscripsi, is verò ex meis literis,

teris, neſcio quo fato, per fundum vitri diffractum, non fundum vitri aquam continentis, ſed lachrymæ vitreæ intelligens, reſpondit quidem benevolentiſſimè, ſed ἀνύσως, ob me non intellectum. Et licet poſtea diverſis intervallis, bis ad eum ſcriberem, ſemel per amicum, alterâ vice per veredarios miſſis literis, reſponſum non tuli; ut credam eum meas non accepiſſe. Additas verò tum, ex meo ingenio, phœnomeni explicationes hac vice ſupprimo, expectans alius cujusliber ex Academicis Curioſis ſuper hac re cogitata.

SCHOLIVM.

LAchrymas vitreas experimento ſubjeci in tenuiori, ideoque fragiliori vitro, non tantum quod lato, ſed etiam in alio, ſtrictiori quod in ſummitate orificio erat præditum; & quidem guttulas illas vitreas modò propius circa fundum, modò remotius tenendo, inſuper lachrymæ ventrem jam fundo, jam orificio vitri obvertendo; nullibi tamen diſſilientis lachrymæ impetus vitro rupturam intulit. Unde quæ cauſa rupturæ ſubſit, atque an ſingularis ſtructura vel figura pro phœnomeno hoc impetrando requiratur, hæreo. Quòd verò vitri fundus ſemper, nunquam autem ſuperior pars fracta fuerit, an fundi reſiſtentiæ debetur? cum is particulis lachrymæ diſſilientibus & impetuosè irrumpentibus, ob ſoliditatem ſuam cedere neſciat, ſecus ac in aqua in ſuperiori vitri parte conſtituta & facile mobili accidit. Nam omnem vim lachrymæ deorſum tendere, autopſia mihi confirmare noluit, quæ à diffractione in libero aëre facta particulas tam deorſum, quam ad latera, & ſurſum projici haud obſcurè oſtendit; id quod etiam *D. Rupertus Moray* in Angliâ obſervavit, guttulis nempe his fractis, ſi liberum quaquaverſum ſeſe extendendi ſpatium ſcintillæ inveniant, has in orbem diſpergi, vid. *Eph. noſtr. dec.* 1. *ann.* 2. *app.* quod eò evidentius comparebit, ſi in pyxide, cujus concavitas ubique pulticula farinacea &c. obliniatur, lachrymam rumpere libuerit, ubi ejusdem particulas ubique pulticulæ ſe intruſiſſe, conſpicitur.

L. Schröck.

OBSERVATIO XII.

DN. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

De

Experimento novo-antiquo circa pinguefactionem boum.

LEgeram aliquoties, nec tamen intellexeram, quæ habet Johannes Riolanus in Paralipomenis Enchiridii Anatomici, p. m. 483. *Scripsit Aristoteles Lib. de Hist. Animal. VIII. c. 7. Veteres boves facilius pinguescere, si incisâ cute insufflentur, statimque pastum ineant. Cui suffragatur Plinius L. VIII. c. 45. (pag. m. editionis Dalechampianæ 385.) his verbis: Lavatione calidæ aquæ traduntur pinguescere, & si quis, incisâ cute, spiritum arundine in viscera adigat. Quod mihi non est verisimile; corpus enim tumescere facilè potest à flatu, sed non inde pinguescere, imò morbis magis obnoxium erit. Tumor enim ille fallax & fucatus erit, non verus adeps, ut ipse narrat Aristoteles, Libr. I. Elench. Casaubonus L. V. Comment. in Athenæum, modum hunc insufflandi boves explicat. Olim Athenis quando ad celebrandam aliquam publicam solennitatem conveniebant, magna inter tribus de victimarum præstantiâ & choragio totius magnificentiæ, æmulatio fuit ac contentio. Itaque naturali victimarum altilium habitudine non contenti, artem adhibebant, quo pinguiores & opimiores viderentur. Incisâ bobus cute, spiritum arundine in viscera immittebant, pinguescere eos hac ratione autumantes &c.* Hactenus Riolanus. Rectè quidem, & sine dubio experientia duce, Aristoteles, non æquè benè Plinius & Casaubonus scripsere, & Riolanus, fortè notione visceris deceptus, verosimile non credidit, putans interiores corporis cavitates insufflari, quod sine noxâ utique fieri vix posset. Mihi, nova experientia suggessit sequentia. Rusticus quidam in pago hic vicino habuit boves duos perquam opimos, ita ut laniones nostrates emere non valerent, veriti, ut pretium æquivalens ex carnibus, inter rusti-

cos

cos potiſſimum vendendis, reciperent. Delata eſt rei fama ad lanionem aulicum *Sereniſſimi*, qui huc deſcendit, & boves emit propè centum florenis; admonitus verò poſtea de fuco ab inimicis poſſeſſoris, contractum diſſolvens, rem ad Conſilium Juſtitiæ ſuperius detulit. Unde mox mandatum ad D. Præfectum noſtrum emanavit, ut quantocyus in rem inquireret. Ruſticus in jus vocatus fatetur: Fabrum quendam ferrarium, non procul hinc diſſitum, facto in utroque amborum boum latere, juxta ſcapulam foramine parvo, ope cultelli, calamum anſerinum immiſiſſe, & fortiſſimè inſufflaſſe, unde primò tumor ortus, ovi gallinacei magnitudine, quem faber poſtea manibus ſedulò protruſerit, ad alias ſub cute partes, repetitâ deinde inſufflatione, usque dum totus bos primò in uno, mox & in altero latere ſubtumidus evaderet, deinde foramen ſedulò cerâ & lanâ obturaſſe. Boves hinc per triduum ſubtriſtes, ſine dubio ex dolore quodam, dehinc verò, evaneſcente tumore, alacres rurſus & voraciſſimos, tandem ſex hebdomadarum ſpatio, adeò opimos factos. Lanio aulicus emptionem recuſavit, at alius lanio emptos octoginta florenis, non vento, ſed copioſiſſima pinguedine refertos, magno cum fœnore, deprehendit. Retulit idem ruſticus, adhuc dum vivens, & me haud ita diu allocutus, ſe ſimiliter binas vaccas inſufflari curâſſe, & hinc egregium lactis, nam mulgebantur quotidiè, augmentum ſenſiſſe, atque fabrum iſtum ferrarium, quem hactenus conſpicere non licuit, hoc artificium jam à multis annis in propriis armentis exercere, ſed à violentiâ inſufflationis hernioſum factum. Videant tam Curioſi quàm Oeconomi, quid hac de re ſtatuendum ſit, aut ſperandum porrò.

SCHOLIVM.

NObiliſs Dn. Author huic ſuæ obſervationi An. 1708. M. April. ſeqq. ſubjunxit: *Generoſiſſimus quidam Baro, hippocomus expertus retulit, equos ſtrigoſos etiam interdum pluribus hinc inde in cute factis foraminibus inſufflari à malitioſis eorum poſſeſſoribus,*

bus, ut minus cautis obtrudant eò carius emptoribus, foramina cerâ & pice cum gossypio mixtis obturari, fucum verò strigili deprehendi, & equos nequaquam pinguiores hinc fieri, sed potius ægrotare. Ne de pinguefactione boum eadem arte instituta idem sit ferendum judicium, vereor.

L. Schröck.

OBSERVATIO XIII.

DN. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

Mors in olla, seu de cupreorum vasorum noxa.

REtulit mihi non semel Mater charissima, se aliquando gravidam insigni appetitu acetariorum captam, ad hunc plenariè satiandum, multum lactucæ, quæ agnina vocatur, mundasse, & in pelvi cuprea aceto & lardo paratam ad satietatem comedisse, sed sinistro eventu, cum tantus inde vomendi impetus succederet, ut viscera sibi excutienda viderentur; sublato simul in posterum appetitu nimio, & absque noxâ. Refricat hoc memoriam binorum exemplorum, mihi ante aliquot annos oblatorum, unum Generosissimæ Personæ, quæ volante equo, ob vomitus enormes, meum petierat consilium. Vix verò parata erant varia antemetica in pharmacopolio, cum alius accedit nuntius, referens: Coquam, Netricem & tres ancillas æque strenuè vomere, ita ut omnes anguli vomentibus perstreperent. Aperta tum simul causa, quod omnes in prandio caseum ex lacte vaccino, in cupreo vase factum comedissent, resque medicamentis à me missis paulo post in integrum restituta est. Alterum est Chirurgi, adhuc dum viventis, qui nonnihil temulentus vesperi domum rediens, cubitum ierat, mediâ nocte verò, ventriculum sibi evelli, & abdomen disrumpi clamitans expergiscebatur, sibique venenum datum querebatur. Intempestâ

nocte

nocte, ab uxore, ultima mariti, per convulsiones mox erupturas, metuente accersitus, exhibitis alexipharmacæ potionis cochlearibus duobus largissimus vomitus est secutus, isque aliquoties repetitus cum euphoriâ ægri. Causam ego rejeceram in crapulam, ille verò constanter negavit, & sui jam compos, retulit se, ex caseo, in cupreo vase facto, & in eodem mensæ imposito, adeò malè habere, saporem se cuperosum manifeste in ore sentire. Hi quidem omnes non malè adeò tulere; secus verò puella quædam annorum 4. ante decennium. Hujus pater anxius & sudore perfusus, ob vomitus filiolæ enormes, meum petiit consilium, referens manè saniissimam cum parentibus offam ex pane & aquâ comedisse, & alacrem postea cum æqualibus ludentem, vomere subitò ante bihorium cœpisse. Accepit antemética, sed domum rediens, in viâ accepit triste nuncium, filiolam interim expirâsse. Triduo abhinc ad me redux obtulit orbiculam orichalceam (& conficitur orichalcum ex cupro & cadmiâ, teste Agricola lib. 8. de naturâ fossilium) nonnihil æruginosam, quales equorum frænis affingi solent, **eine Buckel von dem Gebiß eines Pferd-Zaums**/ quam adhuc dum possideo, ex quâ filiola panem vino madefactum, cum æqualibus ludens comederit, & hinc illæ lachrymæ. Quid videatur Naturæ Curiosis expecto.

SCHOLIVM.

NOn ingratum esse poterit Naturæ Curiosis, si judicium D. Ludovici Testi, Medici nuper Veneti Clarissimi, quod de consimili observatione, quam noster Nob. D. Josephus Lanzonus in Ephem. Dec. 3. Ann. 7. obs. 102. de triga Monialium ex cibo in vase æneo parato, graviter læsis produxit, Italicè conscriptum, atque ab Ill. D. Ant. Vallisnerio &c. Præsidi communicatum, Latinis verbis hîc adponatur.

Butyrum & oleum ex cupro æruginem, quæ venenosa est, extrahendi vim habere, cum experientia abundè testetur, illud nostro in casu eò facilius evenire potuit, quia pasta, præterquam

quod

quod cum butyro & caseo esset parata, diu in vase æneo recondita fuerat. Ut verò evidentia rei compareat, partes ex quibus pasta fuit composita, ipsumque cuprum ordine examinabo.

Indubitata apud Hermeticos est veritas, ad mineralium generationem plus minus partium arsenicalium concurrere, easque separandas esse, si remediis inde conficiendis inservire debeant; qua sollicitudine omissa, non salutaria, sed humanæ naturæ letifera sint evasura. Experientia etiam ostendit, vegetabilia humida non destrui, nisi corruptiva præcesserit effervescentia, per quam acida, eoque facilius si calor externus accedat, reddantur.

Huic itaque veritati Pasta in præsenti observatione proposita subjacet, cum ex nobili vegetabili, quale triticum est, constat, & cujus subtilissimus pulvis, farina dictus, aqua humectatus, tenerrimum compositum producit, quod excoctum, ob crassam & insipidam naturam, modò vitiosam alterationem non subeat, sine dubio incrassandi & dulcificandi vim obtinet: Proterea inter alcalia referri debet, tantoque magis, quia summè proficuum in acribus defluxionibus esse comperitur. Non acutas tantùm rerum partes obtundit, sed in sanguinem etiam convertitur, quo subtiles partes ad ebullitionem pronas corrigit: quam sub subsequente fluidarum in massa sanguineâ dissolutione dum impedit, eoipso succorum quoque acrium productio inhibetur. Debito idcirco tempore & loco ubi pasta hæc præscribitur, salutare evadit remedium. Talem fortasse in finem panis ex farinâ frumenti fuit inventus, qui optimus est, si cum moderato fermento, sine sale, durus purusque fuerit: debitè is fermentatus & coctus, non tamen ad siccitatem usque, interius porosus & dulcis redditur, cum cibis acribus comestus superfluam eorum acutiem moderabitur, ideoque pro dulcificante æstimari debet.

Sed quia in compositis aliquando insoliti effectus observantur, ubi in causam eorum inquiritur, adparet, aut aërem cum tempore, aut aliam causarum symmetriam partium immutasse,

ita

ita ut hæ naturalem figuram aut situm dum perdiderunt, diversa pariter operatio succedat. Sic vel vilissimis ancillis notum est, quod tempore æstivo dum pastam conficiunt, si aëris injuriæ ea exposita relinquatur, non solùm acido odore, sed simili quoque sapore inficiatur: quæ hac ratione si acorem contraxit, apta evasisse dicenda est, quæ corrodere, non absorbere valeat, utpote quia in proprio naturali statu non est constituta. Superfluum autem cum sit in re tam clarâ prolixius esse, ad lactis considerationem devenio, ex quo butyrum, nec non caseus elicitur.

Quamvis inter corporis fluida lac sit nobilissimum & utilissimum, à quo tenerrimæ embryonis partes augmentum & nutrimentum accipiunt, imò postquam in lucem editus est, ab eo ipso lacte per totam vitam sustentantur, quin & gustui dulce adpareat, ideoque ab acido immune esse videatur: ratio tamen & experientia contrarium evincunt; dum illa docet, lac, si ex cibis in terra natis dependet, illud etiam in se reconditum habere, sicque chylo unitum in massam sanguineam derivari; hæc autem, præter ejusdem ad acescentiam proclivitatem, in albâ istâ dulcedine nigerrimum & acidissimum excrementum recondi observat. Jam veritatem hanc manifestè testatur serum à lacte separatum, in quo post destillationem excrementum nigerrimum & acidissimum remanet, evidenti argumento, illud etiam in parte caseosa reperiri. Ubi postea per coagulum caseosa hæc pars à serosa fuit separata, acidum eò magis in hac se manifestat. Hoc non obstante, caseus dum recens est, quia partes ipsius alcalicæ non sunt suppressæ, absque omni dubio dulcificandi vim obtinet. Verùm quia lac nec diu corruptioni resistere valet, nec in caseum converti, salis insperſione idem præcaveri solet; à cujus dissolutione terra in superficie remanet, acidum verò salinum ad interiora penetrat, seque dictis acidis conjungit: à quibus cum tempore partes alcalicæ fixantur, sicque compositum salsum, quod caseus dicitur, inde resultat; id quod ex gustu cognoscitur, dum instar aliorum salsorum corporum linguæ papillas vellicat;

unde cum per ætatem ad corrodendum aptus fiat, non amplius inter alcalica, sed corrosiva reponi debet: hoc autem ita se habere illi fatentur, qui ab aliqua ægritudine, quam corrosiva acredo excitat, adflicti, molestias crescere experiuntur, si caseum veterem comederint.

In butyri consideratione primò chimæra aliqua videbitur, si notabilem acredinem habere dicatur, cum sit pars delicatissima & revera flos purissimus lactis; idque eò magis, quia gustui est dulce, dolores optimè lenit, & acredinem temperat. Licet nobilissimos & alcalicos producat effectus, salem tamen acerrimum in se recondit. Et jam abunde notum est, butyrum in æstate acescere, unde taliter constitutum si edatur, fauces excoriat. Ast multò considerabilius est, quòd, cum aqua pura si butyrum lavetur, humidumque hoc à radiis solaribus aut igne evaporetur, acutissimum sal, parùm à caustico differens remaneat. Et quam non vim habebit hocce sal, cum ab aëris calore omnes butyri partes in acidas mutentur?

A vegetabilibus ad mineralia devenio, quorum unum est cuprum satis notum, alterum arsenicum, plurimùm, nec immeritò suspectum. Primum facilè in æruginem convertitur, quod viride æris vocatur, ut, quamvis minima aquæ portio, quæ ipsi adhæreat, brevi tempore saporem illum contrahat. Et quia letales eventus, venenatum esse viride æris, facileque à metallo separari, demonstrarunt, ut funestum malum impediretur, vasa ænea, quæ culinæ usui cedere debent, stanno obducere necessarium esse judicarunt. Quæ præcautio prudenter fuit instituta, cum Spagiria, per separationem partium cuprum constituentium, illud sulfure acido rubicundo, & vitriolo, acido caustico prægnante, abundare deprehendat. Ut itaque viridis æris, corrosivo tali præditi, separatio impediretur, cuprum stanno incrustare optimè instituerunt, utpote quod acido validè resistit, ideoque partium in cupro contentarum solutionem inhibet, ceu quotidiana id observatio edocet.

Cum ideò certa sit experientia, aquam simplicem viride

æris

æris à metallo hoc ſegregare, quantò majori facilitate per acidum ſeparabitur, eoque promtius, ubi leni igne adjuvatur? Horum idcirco conſideratione, ſequentes propoſitiones concedere cogimur:

Quòd paſta fuerit acida facta, dùm in æſtate plurimæ particulæ ſulfureæ ſupra modum accenſæ, per aërem diſperſæ inveniebantur.

Quòd eædem ſe paſtæ facilè inſinuarint, ejusque gluten rarefacere potuerint, eoque magis, quia diutius quàm per viginti quatuor horas particulis illis ſulfureis aditus fuit conceſſus.

Quòd unio ejús in tantum fuerit diſſoluta, ut principia eam conſtituentia promtè exaltari, ac liberè proprios ſuos effectus producere valuerint.

Sicuti confuſio hæc partes volatiliores & acutas vegetabilium ad motum tumultuarium excitavit, ita ſulfureæ arſenicales cupri in multò vehementiorem motum ab igne impulſæ fuerunt. Ab acutiſſimis itaque elementi hujus particulis paſtæ, butyri, & caſei liquefactio ſucceſſit, & ſimul cupri pori ampliores redditi ſunt, unde vegetabilibus acidis patentior aditus in cuprum conceſſus, atque arſenicalibus in metallo hærentibus ad faciliorem & copioſiorem exitum via aperta fuit.

Tot itaque acida corroſiva in paſta unita, poſtquam hæc in ventriculum pervenit, atque per fermentationem in chylum tranſiit, letalem in eodem tragœdiam inchoarunt; quæ antequam explicetur, neceſſarium eſt oſtendere, in quo arſenici vis conſiſtat, quia plus minus in omnibus mineralibus inveniri cuncti adfirmant. Quo in puncto, ne ab oraculo ignorantiæ, occultas qualitates innuo, idiotis tantopere venerabili, à prudentibus verò quòd veræ ideæ notitia eos deſtituat creditæ, reſponſum petamus, opportuna arripiemus media, quibuscum veritatem indagare licet.

In rebus obſcuris effectus ignoti cum illis, qui à cauſa manifeſta dependent, conferri ſolent, & quando utrique in pluribus circumſtantiis conveniunt, ignotam cauſam cum manifeſta ſimi-

litudinem habere posse, inde deducitur. Hoc primo tamen indicio non contenta virtuosa curiositas, ut eò magis res clara fiat, per mechanicam ex compositis principia separat, quæ oculis exposita evidenter eadem cognoscere facit. Circa arsenicum ideò postquam experimentales Philosophi, animalia ab eo intoxicata copioso aquæ potu se liberare observarunt, arsenicum esse validissimum exsiccans concluserunt, quandoquidem aqua, potentissimum humectans, ejusdem sit antidotus. Cujus conclusionis in confirmationem, mineralis hujus, ceu in cupro factum est, partium separationem instituentes, illud acutissimo sulfure & caustico sale abundare detexerunt. Rejectâ itaque occultâ qualitate, mortiferam arsenici operationem in excessiva siccante, & præpotente corrosiva virtute consistere decretum fuit, quo acidissimo sulfure & sale adurente corporis partes letaliter lacerare, atque ejusdem fluida devastare valent. Et quia duobus hisce violentis corrosivis cætera etiam in cupro contenta se uniunt, viride æris nomine veneni prudenter insignitum fuit.

Cum præterea pastam coctam & repositam, propter tot horarum tempore æstivo in vase æneo moram, acidis acutis & æruginosis partibus esse imbutam, atque idcirco venenatam, firmo stet fundamento, viride æris esse venenosum, sequitur. Quorum experimentorum veritatem aliis quoque exemplis auctoritas gravissorum authorum, adductæque rationes, aliis etiam temporibus confirmarunt.

Nunc modum considerare oportet, quo acor pastæ & sulfuris arsenicalis veneni Monachas adfligere & unam earum prosternere valuerit.

Dum itaque cibus iste in ventriculum delatus fuit, fermentum hujus cum illo se commiscuit, nec tamen naturalis & benigna fermentatio, per quam partes puræ ab impuris separari debuissent, sed tumultuaria ebullitio successit, quæ molesta inquietudine turbarum exortarum indicium præbuit; à qua pastæ acor silvestris, & sulfur cupri arsenicale se extricarunt, atque fermentum ventriculi immediatè pessundederunt. Hæc in libertatem

sic

sic pòsita, fibrillas, ab humido priùs defensas, ut primum impetum, quamvis non sine immenso dolore, tolerarent, invaserunt, quæ ob consumtum humidum suum aridæ & tensæ, ac ita multò sensibiliores redditæ, dolores acerbissimos concitarunt; à qua ventriculi adflictione pars cibi crassior, in qua salia fixa mineralia caustica (quæ dubio procul reliqua etiam salia fixa infecerant & corruperant,) hærebant, in intestina detrusa, fibras etiam eorundem torminibus laceravit; qua violentiâ spastici exorti motus, impetuosos vomitus & furiosas ventris dejectiones induxerunt; pro quibus nempe serositas abundè suppetebat, cum fibræ eâdem, quæ violentum sulfuris arsenicalis impetum aliqualiter impedire potuissent, privarentur, atque ita sulfuri isti easdem in præcipitem motum versas intestina concitare haud difficile extitit.

Talibus & tam copiosis evacuationibus, ad quas fortasse benigna lympha, partibus humectandis, massæ sanguineæ fluori concitando, & fixationi impediendæ aliàs destinata, fuit coacta, sitis molesta accessit, à solidorum confusione adaucta, ob quam nempe non cum eadem facilitate ab iis separari potuit, cum qua impetuosè evacuata fuit. Per violentas tot acutissimorum dissolventium irruptiones, quibus fluida & solidas corporis partes adgressa sunt, delicatissima spirituum structura dubio procul prostrata & deformata, purissimusque succus, à quo oriuntur, enervatus ac ferè destructus fuit. Si tali dissolutioni magnâ ex parte fluida sunt exposita, necessariò in genere venoso excrementa tenuia & crassa, sed mordacia abundarunt, undecunque in arteriis & venis turbida collectio solutorum succorum contigerit.

Ex tam singularibus præmissis, cujus naturæ, & quàm vehemens in vasis fluidorum impetus fuerit, nec non quàm effreni impetu idcirco confusè circulaverint, intelligi potest.

Deploratis hisce malis universalis accessit febris, cujus vera idea patescet, si orgasmi tam impetuosi & universalis authorum conditio perpendatur. Cum sulfura arsenicalia primatum obtinuerint, & cum fluida salia caustica mineralia, acidaque silve-

ſtria acutiſſima ſe commiſcuerint, ob congeriem tam perverſorum hoſtium, febrem hanc verum characterem malignæ febris habuiſſe, manifeſtum redditur. Admirationem itaque meretur, quòd una ſola ex tribus Monachis, quæ de cibo hoc comederunt, perierit, dum cauſæ tot malorum non ſolùm aptæ fuerunt, quæ ſpiritus & fluida, ſed partes etiam ſolidas deſtruerent, uti illi, quæ inde obiit, accidit.

Præſentes circa paſtam coctam conſiderationes fortaſſe inſufficientes videbuntur, ſi communis opinio perpendatur, quod agyrtæ ſimili paſta ſe præmuniant, quando ad conciliandam antidoti ſuæ contra venena fidem, eadem devorant. Uti (verum ſit, vel falſum,) experimentum hoc non rejicio, ita non tantùm paſtam coctam, ſed lac etiam, butyrum, aquam, modò in proprio ſuo & naturali ſtatu ſint conſtituta, optimam præbere antidotum ſtatuo. Verùm præſenti in caſu, in diverſo ſtatu paſta noſtra inveniebatur, quia maximam alterationem ab ambiente calidiſſimo ſubierat, viridique æris imprægnata fuerat. Tam longè ideo à vero aberat, paſtam hanc fuiſſe antidotum, ut potius corrodentium venenorum ſeminarium evaſerit.

Ut viridis æris vim venenificam confirmem, notabilem hiſtoriam præſenti noſtræ admodum ſimilem, jam ante quadraginta quatuor annos ab unico meo, in Medicina Doctore, excellentiſſimo D. Joſepho Vallisnerio, optimo tuo avunculo mihi narratam proponam. Omnes puellæ in domo SS. Trinitatis urbis Regii, in quam virgines urbanæ, patre & matre orbatæ recipiuntur, aliquando poſt prandium horrido vomitu, torminoſa ventris excretione, aliisque diris ſymptomatibus fuerunt oppreſſæ, ut veneficium ipſis accidiſſe crederetur. Præfato prudentiſſimo Medico in conſilium vocato, cum univerſalem illam adflictionem obſervaſſet, & quem cibum comederint, interrogaſſet, coctam paſtam, reſponſum fuit. Coquarum, an ollam ab immunditie expurgaverint, interrogatarum titubans reſponſio, dubium eum reddidit, an debita fuerit adhibita diligentia, idcirco ut in rei veritatem deveniret, ollam adportari juſſit,

jussit, in cujus margine cum ærugo compareret, universale & æquale malum à partibus venenatis æruginis dependere judicavit. Non obstante, simplicem pastam, nec diu in olla commoratam fuisse, haud parum difficultatis tamen cura attulit; & quid non factum fuisset, si butyro & caseo condita, per viginti quatuor, pluresve horas ab ambiente aëre alterata fuisset, sicuti nostro in casu accidit?

OBSERVATIO XIV.

DN. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

De

De Ischuriæ & Colicæ lethalium causa insolentiori.

CHirurgus quidam nostras, ætatis paulo supra quadraginta, abhinc sexennio, post varios scorbuticos insultus, & diuturnum Electuarii antiscorbutici usum, acidulas quoque verno tempore, tanta cum euphoria bibit, ut totus sibi restitutus, & quasi rejuvenescens videretur, uti quidem tam mihi quàm aliis retulit non semel. Die quodam alacrior, cum ante meridiem muneri suo debitè vacasset, in prandio sentit se subitò, & quidem repetitâ vice ad uriam reddendam stimulari, utut vix unciam simul excerneret, sed sine dolore. Paulo post rediit urinandi conatus, sed jam inanis, & post dolorificus, per omne momentum crescens, ita ut meum imploraret auxilium. Animo in varias cogitationes acto, & post multas interrogationes nihil aptum reperiens, suadeo usum Ol. amygd. d. cum ana Sir. viol. sed sine emolumento, quin potius æger ob doloris vehementiam, ejulare primùm mox vociferari cogeretur. Applicata varia, lenia diuretica, mucilaginosa, oleosa, sacculi, cataplasmata, sed omnia incassum. Ad vesperam successit alvi excretio, (dolore interim ex pubis regione ad umbilicum ascendente) primum ordinaria, mox liquida alia, tandem & hæc substitit,

secuta

secuta verò est colica, mox iliaca passio tanta, ut æger ad desperationem adigeretur, ego verò, & mecum omnes adstantes ad commiserationem & sudores. Omnia in pejus ibant ad mediam noctem usque, frustra ulterius adhibitis duobus clysteribus emollientibus & anodynis, atque omnibus aliis, quæ methodus medendi requirit. Secunda noctis hora, quæ erat decima quarta ab accessione, moritur, ferè nihil convulsus. Altero die cadaver aperui, inveni totum abdomen pure repletum, tenui, flavo-gryseo, adeò fœtente, ut deliquium & vomitus vix reprimerentur mihi & ministranti chirurgo. Erat simul adeò acre illud pus, ut digitos mihi arroderet, non secus ac ex forti lixivio fit. Exhausi nihilominus abdomen quoad licuit, & puris ferè mensuram dimidiam extraxi. Hepar, lien, renes, ventriculus, salva; intestina flatibus non adeò distenta, vesica vacua & contracta, pancreas scrophulosum & durum, Mesenterium plus centum abscessibus scatens, quorum prope triginta adhuc clausi, similem ei in abdomine saniem incisi fundebant, reliqui rupti, supra meoratam saniem profuderant. Nullus verò eorum nucem juglandem superabat, plerique avellanæ erant magnitudine. In aperto thorace, ob aliorum de phthisi opinionem, omnia integra. Sunt mihi & aliæ, ferè similes observationes, quæ alio tempore communicabuntur, ubi prius videro, quid alii hac de re sentiant, amicum enim & benevolum hic expecto Scholion.

SCHOLIVM.

NOn admodum dissimilem observationem *Joh. Georg. Schenckius lib. 3. observ. cap. de mesent.* ex *Thom. Mermanno* suppeditat, Virginis nempè, quæ in dolores colicis similes, & febri quotidie cum rigore insigni redeunti adsociatos incidit, atque post paucos menses marasmo consumta obiit; in cujus dissecto ventre ingens copia puris, quo mesenterium refertum ac quasi turgidum erat, erupit: & *Anton. Benivenius de abdit. morb. caussis cap.* 33. in mesenterio juvenis alvi torminibus enecti abscessum magnum,

magnum, in quo materia multa nigra fœtensque continebatur, invenit. Hoc autem Dn. Authoris in subjecto cum in massa sanguineâ multas acres particulas latitasse, tum perpessi scorbutici insultus, tum ipsa puris acredo innuant, non mirum, tam atroces dolores à pure ex folliculis ruptis in abdominis cavitatem effuso, & obvia nervosa corpora arrodendo in spasmodicas contractiones eadem irritante fuisse excitatos.

L. Schröck.

OBSERVATIO XV.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

De

Opii effectibus tribus diversis in eodem subjecto, eodem tempore observatis.

Ante decennium datam commodatò Bonneti Medicinam septentrionalem studiosius toto die, à summo mane perlegens, sub vesperam dolorem capitis obtusum, mox in locum processus mastoidei, dextri lateris se contrahentem, & sub clavi forma valdè affligentem nactus sum. Toleravi primò aliquandiu malum, aucto verò, in lectum me contuli, ante cœnam, nihil comesturus, nec ullus erat etiam mihi appetitus. Crevit verò paulo post malum adeò, ut ex pharmacopœia Extractum bezoardicum b. Camerarii petendum curârim. Non poterat statim reperiri Pharmacopœus, paulò ante domo egressus, recurrit itaque ancilla vacua, cum spe tamen, mox secutura quæ petieram. Doloris verò momentaneum augmentum admonuit, me in pharmacopolio domestico portatili, paucos ante dies, reposuisse frustulum opii crudi elegantioris; afferri curo, & ad candelæ lumen, ex splendidiori adeoque puriori parte, unguibus prope granum semis deglubo atque deglutio. Ecce! ad miraculum

mox omnis sistitur dolor, lætissimo mihi. Paulo post succedit tantus comedendi appetitus, imò voracitas, ut oblata ab uxore duo farcimina & plurimum hordei cocti, quod alias ternis mihi prandiis suffeciisset, quasi cum aliis vorando certandum esset, abligurirem velociissimè. Nec inde ulla noxa, aut, quod paulo plus justo comedenti mihi sæpius accidit, ventriculi tensio aut gravitas, quin potius mox in somnum prolapsus brevi rursus evigilavi, sed tota nocte modò de præliis, contentionibus, itineribus, modò conviviis, hortis, bibliothecis & aliis garriens, imò delirans, oculisque apertis, ut ab uxore, anxiâ de salute meâ, nullo modo ad mentem reduci potuerim. Summo mane ad me rediens, nihil ulterius incommodi sensi, dictorum & ab uxore relatorum sub somniorum specie reminiscens, & postea saniissimus. Sæpius verò eodem Clavo hactenus impetitus, opium crudum non amplius assumere sustinui, sed supra memorato extracto bezoardico hostem continuò profligare soleo. Quæ, si quis annotatione digna judicaverit, me habebit gratissimum.

OBSERVATIO XVI.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

De

Urinæ difficultate & Tenesmo à Venere nimiâ.

VIr quidam prope quinquagenarius, literatus, ab anno viduus, juvenculam duxerat. Paulo post nuptias sensit primò dolorem obtusum quasi ex frigore, in lumbis, mox urinæ difficultatem, tandem & tenesmum. Accersitus, dum in varia phœnomena inquiro, refertur nihil, quod mihi satisfacere posset, tenesmum tamen ex hæmorrhoidibus æger, quæ ipsi non adeò insuetæ erant, deducebat. Chirurgus tamen loco dolente inspecto, nihil se deprehendere asseveravit. Adhibita varia, quæ methodus medendi suggerebat, sed frustra. Dum verò de hoc

ægro

ægro forte cum alio, mihi amico colloquor, hic audacter causam retulit in nimiam, quam pro viribus hujus ægri, venerem, in juvenculæ gratiam, repetitam. Ridenti mihi propriam opposuit experientiam, sibique tum à quodam Antecessorum meorum oleum terebinth. ad ℈ß in jusculo datum, & exterius lumbis & pectini illitum cum euphoria, refert. Persuasit ut idem tentarem in meo, optimo cum successu, qui etiam postea eandem subfuisse causam, cum rubore confessus est.

OBSERVATIO XVII.
DN. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI,
De
Struma feliciter suppurata.

RUstica quadragenaria, à decennio bronchocelem pugni magnitudine contraxerat, ex sublevatione graminis madidi in caput. Ante octiduum post rigorem brevem quidem sed vehementem calor præternaturalis totius, sitis, lassitudo enormis, constipatio, anorexia, cephalalgia invaserant. Hactenus nullo usa est medicamento, cum verò summè jam (1702. d.3. Decembr.) sit debilis, & omnia in pejus ruant, petit consilium. ℞. Aq. angel. galeg. carduib. ana ℥ij. cinnam. sine vin. ℥j. Liq. CC. succin. ʒß. Tinct. bez. ʒj. anod. ℈j. Ant. diaph. ʒß. Sir. rub. id. ℥j. m. d. s. **Kräfftiges Wasser davon wol umgeschwenckt alle Stund zwey Löffel voll zu geben.** Biduo post refertur: eam mixturâ præscriptâ cum emolumento usam, heri melius habuisse, hodiè quoque sine calore præternaturali totius degere, appetitum rediisse, alvum sponte solutam. Sitim verò continuare, & collum totum rubere, bronchocelen maximè, ibique dolorem esse tensivum & pulsantem. Suasi mixturæ reiterationem, & ut bronchocelæ imponatur Emplast. diach. c. gum. atque malacticum ana mixta, desuper verò cataplasma ex emollientibus & radice scrophulariæ. Triduo ab-

hinc omnia pejora phœnomena ceſſant; tumor mollis eſt; & materia in eo fluctuans tangitur. Aperitur ergò lancettâ, prodit pus benè coctum, cum euphoriâ ægræ, & vulnus aliquandiu à Chirurgo apertum tenetur, adeoque mulier hæc non ſolùm à prædictis moleſtiis, ſed & à bronchocele penitus liberata eſt, collo jam adeò gracili, ac ſi bronchocele nunquam laboraſſet.

OBSERVATIO XVIII.

DN. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

De

Vulnere cordis ſingulari, lethifero.

MIles quidam ab Officiario glande plumbeâ, deſuper ex ſclopeto ſeu piſtolide per dorſum trajectus, mox, poſt vix tria prolata verba, mortuus conciderat. Viginti horis poſt mortem à me diſſecti, ſiniſtra thoracis cavitas tota, ſanguine nondum coagulato repleta, dextra vacua, quarta dorſi vertebra penitus conquaſſata, quinta aliquomodo læſa, ſunt inventa. Globulus verò per ramum arteriæ pulmonaris dextræ extra pericardium tranſiens, & in ejus cavitate deſcendens, intra pericardium in baſi cordis prope valvulas ſemilunares exierat, mox verò rurſus, prope auriculam ſiniſtram, per obliquum, in ventriculum dextrum ſe immerſerat, atque ſine dilaceratione columnarum & fibrarum ejus in parte acuminatâ cordis prorumpens, & intra duplicaturam mediaſtini tranſiens, inter cartilaginoſos proceſſus ſterni, qui cum quarta & quinta coſta combinantur, illæſa cute quieſcebat. Situm demortui, in quo fuerit, cum occideretur, vix capio, cor verò in diaſtole trajectum conjicio, & copioſum ſanguinem, quem ex dorſi vulnere mortuus exſudaverat, quôque thoracis pars ſiniſtra fuerat repleta, ex ſolâ arteriâ pulmonari prodiiſſe credo.

OBSER-

OBSERVATIO XIX.

DN. D. JOHANNIS DAVIDIS MAVCHARTI.

De

Vulnere hepatis enormi, tertio demum die lethali.

MIles quidam Cæsareus, ex legione Cusana, ab expeditione Bavarica per nostram regionem ad Rhenum rediens, à contubernali præter intentionem, ex pistolide glande plumbeâ trajectus, 1704. d. 5. Septemb. & ad chirurgum nostratem devectus est, ut sanaretur. Vulnus erat in dextro latere, ejusque costa sexta, in ipsa curvaturâ, pergens digiti longitudine super ipsam costam, dorsum versus, ubi aliquid stylo quærentis obstabat semper, scabrum & asperum. Per vulnus statim post læsionem multum sanguinis sinceri manaverat, me præsente verò, d. 7. Septembr. tertio post vulnerationem die, detectum, vix ℥ij. sanguinis justo nigrioris, serosi, non spumosi profudit. Suasi statim incisionem, ad illud obstaculum usque, quam tamen chirurgus in crastinum distulit, simul referens se vulnerato heri pulverem contra casum Augusst. cum æquali pondere oc. cancr. ppt. in aqua petroselini exhibuisse, unde statim melius habuerit, sed paulo post ingenti dolore in pectine oborto, denuò sumpta petroselini aqua, & oc. cancr. ppt. multum sanguinis cum urinâ reddidisse, secuto levamine. Nunc nulla adest respirationis læsio, tussis aut excreatio, è contrario tenetur anorexia, præcordiorumque compressione; & alvum egerendam frequens sed inanis est irritatio, urina difficulter prodit, cumque grumis sanguinis, pallet æger, nec tamen debilis est, quin potius absque adjumento è lecto surgit, ad sellam abit, magno conatu feces egerere tentat, sitis mediocris, nullus rigor, calor p. n. non intensus, pulsus lentus sed æqualis, nulla cordis palpitatio. D. 8. Septemb. mane hora 3. vocor ad eundem, reperio summè debilem in sellâ sedentem. Multum sanguinis per vulnus manaverat, itidem

seroſi & nigrioris, turunda & emplaſtra abierant, quod totâ nocte inquietus, in ſiniſtro latere quieſcere fruſtra tentaſſet, revolutus in dextrum melius quidem habuerat, ſed tantum ſanguinis ex vulnere profluxerat, ut per lectum pilis equinis fartum, eine **Matraze mit geſottenen Haar**/ atque ſtramentum ſubſtratum manârit. Unde ſurrexit ipſe ſolus, candelam popoſcit, & ſatis alacriter locutus eſt, etiam nunc mecum, mox deficere viſus, deligato rurſus vulnere, ex quo vix aliquot guttæ ſanguinis ſub deligatione prodierant, in lectum repoſitus eſt. Reſtauratus hinc variis, utcunque melius habuit. Hora 10. matutina vulneris ulterior apertio, ut tandem conſtaret, quorſum id pertingeret, ad petitum ægri eſt inſtituta, vulnerato ſurgente adhuc absque adjumento, & ſectionem, absque doloris, ut videbatur, ſenſu tolerante. Tum demum patuit vulnus penetrare in cavitatem pectoris, coſtâ ſextâ penitus diffractâ, quod omnes mirabamur, absque ullâ dyſpnœa, hactenus obſervata, fieri potuiſſe, ulterius verò quorſum abierit globulus ne divinare quidem licebat. A meridie ſenſim ſenſimque debilior factus, & pulſus magis magisque imminutus eſt, nec tamen adhuc ulla dyſpnœa, tuſſis, ſingultus, palpitatio &c. aderant. Offam comedit, ſolus ſurrexit, deligationem ſellæ inſidens absque deliquio ſuſtinuit, qua ſoluta in lectum ſe ſolus contulit, ita ut pedibus ei inſiſteret, & deinde ſe in eum ſubmitteret. Præſcripta tum rurſus lenia diuretica, ob compreſſivum dolorem in pectine, & pruritum quendam in glande. Interim æger ſputo, absque ullo vomitu, multum bilis amariſſimæ & croceæ ſaliva dilutæ expuit, ita ut pavimentum & lectus croceo colore tingerentur, & paulo poſt in grave deliquium incidens, vires quidem aliquomodo recepit, at circa horam 5. veſpertinam expiravit, absque ullo ſingultu, & cum levi ſolum oris torturâ. Cadavere aperto, thoracis totum latus dextrum ſanguine grumoſo plenum reperii ad ℔. x. ad minimum, unde denuo viſcus quoddam pectoris læſum ſuſpicatus, dum ea utrinque verſo, nec tamen quidquam reperio, ſanguinem extravaſatum exhauriendum duxi. Quo plus verò exhauriebam,

riebam, eò plus aderat. Tandem inveni globulum, non ut exterioris vulneris ductus monstrabat, recta via in pectus, sed oblique descendendo per diaphragma penetrasse. Abdomine igitur aperto, idem sanguine plenum reperio, quo exhausto, reperii foramen magnum per hepatis lobum inferiorem factum, & globulum hinc in dorsum juxta spinam penetrasse, unde etiam quarta solùm ejus pars extracta est, tota nitida, ac si cultro ita secta esset, ut credam talem in sclopetum seu pistolidem insertum fuisse, quod interdum usu fit. Mirabar summopere, hominem hunc toto triduo supervivere potuisse, & quidem sine insigni phœnomeno, parte tam nobili vulnerata, & tanta cum sanguinis deperditione, ut de situ vulneris, quem ne lynceus quidem conjecisset, nihil dicam.

(*Marbaco Augustam Vind. d. 25. Februarii An. 1706. missa.*)

OBSERVATIO XX.

Dn. D. ANTONII MARIÆ SAPORITI.

De

Singulari sudore sanguineo.

HOnestissima; visendæque speciei juvenis, cui natura ad 18. annum integerrimam valetudinem, hilaremque genium dederat, per multiplices nunc ducta morborum modos incidit in fluxum sanguinis ex inusitatis partibus, & tandem in dererrimam partialis sudoris speciem ex ambitu corporis. Quamprimum in eâ ætate concipiendæ spei aptissima gravi sensu correpta fuit, post diuturnum stomachi laborem cœpit sanguinem tussi expuere occasione ementitæ pleuritidis, qua die nona Aprilis febricitabat cum dolore lateris, & difficili respiratione. Quarto insultus die thoracis morbo evanescente, capitis dolore, quo & antea laboraverat, gravari, & sine levamine sanguinem fundere è naribus observabatur, quocirca hujus copiam è pede detraxit

Chi-

Chirurgus familiaris, qui bis eductum primis diebus ex brachio gelatinosum inspexerat. Verùm haud potuit decrescere morbus, qui conceptum virus in promptu habebat movere ad ulteriora; hinc superaddita est afflictæ Juveni cardialgia, unde vomitus primum viscidi, & viridis humoris, mox sanguinis, nec proinde capitis ægritudine allevabatur, quin circulo quodam ordinato recurrentibus purpureus liquor ex utraque parte, & ad multos dies prodibat. Malorum importuna vicissitudo nimis adhuc increbuit, cum circa initium Maji erumperent menses, & prout ipsi mos erat, in sufficienti mensurâ. Quid inde opinaretur Chirurgus, qui usque modo solus curationi aderat, haud potui ab ipso edisceere, Mannæ potionem exhibuit post septimum diem, & ab eâ licet non parum perturbata in pejus ruere ægra videretur, attamen paulò postea febris in totum cessavit, quæ antea plus, vel minus una cum vigiliis ingravescens fuerat continua. Vix per integram hebdomadam habuit otium morbus, cum febris rursus invasit comitata dolore artuum, & potissimum ventris, quibus licet sese citius expediverit, absumpto nempe oleo amygdalarum dulcium recenti sine igne extracto, nihilominus constans vomitionis molestia, & sanguinis jactura summoperè urgebant.

Diro symptomati, ut occurrerent clarissimi Medici consuluerunt in minori dosi, & per vices sanguinem ex salvatellâ extrahere, anodyna, adstringentia, & alia quamplurima adhibere, quod etsi executioni mandatum fuerit, inconstanti methodo procedens affectus frequentiores excretionum vias ferè omnes cum attigisset, cepit per inusitatas errare.

Cum igitur circa initium Junii thesaurus vitalis ex auribus effluxisset, paulò post curiosiori spectaculo ex acumine digitorum primò manuum, deinde pedum se fundere visus est. Mox ex umbilico, & ex angulo oculi, hinc pluries per sudorem, inde tantùm ex medio pectore, postea ex pede, eoque loci, ubi tunditur saphena; tandem ex utraque volâ manuum, & ex oppositâ parte; post triduum ex mento, noctu ex acumine linguæ,

ita

ita ut 14. dierum ſpatio diſcrimen hoc, veluti fabuloſum, maxima ex parte abſolverit.

Motus novitate rei, & amicorum impulſu veni ad juvenem, quam miratus viribus mediocriter conſtare, & jucundo vultu ſingula mihi enarrare, prout ab aliis audiveram. Adhuc cerni poterat ſuperſtes cicatricula in vola ſiniſtræ manus ad inſtar inæqualis puncturæ leviter impreſſa, unde ſanguis pridie fluxerat, retulitque id non ſine ſenſatione triſti factum fuiſſe, uti ſemper contigerat, cum ex ſpeciali loco prodiret. Ubi verò ex pectore, aut aliis partibus ſudoris ſpecie emanaverat, nullum aperti pori reliquerat veſtigium; id tantùm ex induſiis patebat, quorum duo vidi ad latitudinem ſcuti aurei cruore roſeo ſparſim colorata. Die 14. Junii apparentibus menſtruis juſto copioſioribus, indeſublatum morbum nonnulli crediderunt, potiſſimùm quod viginti dierum inducias feciſſet. Verùm inchoato altero ſudoris exordio, & ad multum temporis procedente miſella debilitari ſentiebatur, & ſanguis diſcolor apparere; hinc recreandi ſpiritus, mutandæque fortunæ gratia in alium aërem ſe tranſtulit. At qualis ſeceſſerat, rediit ad urbem die quinta Auguſti, imò infirmior, quod præter morbi acerbitatem, artis quoque methodo exhauſta ulteriorem jacturam fuiſſet experta. Hinc non diſſimili modo progrediente ægritudine, & paucis tantùm habitis intervallis effundendo ſanguinem modò ex unâ parte, modò ex alterâ, ſæpius per ſudorem, quod reliquum erat ejusdem menſis, & medium Septembris confecerat. Petii ægræ domum, & confabulando diutiùs cum immorarer, accidit, quod fortè expetiveram, ex dolore lancinante in extremo unius digiti manus admonitam fuiſſe, ſanguinem inde exſtillaturum, quem notavi, veluti ex profundiori punctura, mox ex alterâ parum diſtante guttatim decidere, & induſium ſupra pectus recenti macula ſignari viderem, priusquam recederem.

Poſt triduum mirabiliorem ſanguinei ſudoris copiam exhibuit, quo multis crucibus, aliisque characteribus Divinæ paſſionis induſia ſupra pectus depingebantur. Hujus rei primi

inſpectores Aſtrologis aſſimilandi videri potuerunt, quod ut iſti ex ſtellis, ita illi ex ſanguinis aſterismis varias figuras propria imaginatione componerent. Verè tamen, clareque apparebant figuræ. Unde factum id fuerit, prorſus ignoro, & quoniam ſacri Antiſtites id ſtrictius inquirendum minimè judicarunt, ita veritati ſuæ omnia relinquens ad finem hiſtoriæ redeo.

Vel nullum, aut exigui ſudorem momenti deinceps paſſa eſt, attamen reticere non debeo ex levi excoriatione, ſupra malleolum caſu torturæ pedis facta, uberiorem inde penum ſeroſitatis effluxiſſe, ut ſtypticis remediis, & compreſſis faſciis non facilè ſiſteretur.

Inauditi eventus difficultas commovit ingenia Phyſicorum; non naturale prodigium exiſtimaſſet vulgus, niſi plures hiſtoriæ in promptu fuiſſent. Omnium ſenior Medicus (Fabricius ſcilicet Ardiſonus) qui nonageſimum tertium attingit annum, retulit mulierem annorum triginta ſe olim curaſſe, cui ſuppreſſi erant menſes, & ſanguis ad multum tempus ex oculi angulo fluebat, revocatis nimirum menſtruis ad conſueta naturæ.

Extant & alia exempla videnda apud auctores, Benivenium nempe, Hollerium &c. Attamen horum omnium aliqua inculpanda venit cauſa, unde ſanguis extra vaſorum confinia cogeretur. In præſenti caſu alio ratiocinio procedendum eſt, quòd obſtructionum idea non obſcurè locum non habeat. Sanguinis tantùm ſubtiliſſima craſis in conſpectum venit, unde color ejusdem roſeus in principio, mox dilutus ſatis apparuit. Nec aliquis dicet in principio obſervatum fuiſſe gelatinoſum, hoc enim minimè evincit craſſiorem ſubſtantiam, ſed partium tantùm concreſcibilium majorem elixationem, idque præſertim fit obvium, cui inducitur ingraveſcente febris acceſſione. Pluribus abhinc annis aderam, cum nobili filiolæ occaſione acuti morbi vena tunderetur, & vidi album ſerum, & tenue emanare loco cruoris, & concrevit. Attamen haud inficior, eam cauſam, ut adæquatam minimè poſſe ſufficere, multo minus poſſe arridere Naturæ myſtis, quibus certam, & inſenſibilem quandam cruoris

diſpo-

dispositionem hariolandam mitto. Hoc studium deponere me plura docuerunt, non modò, quòd praxin exercentibus, cum ad minus sensibilia distorquemus ingenium, urgente ægritudinum statu, fallimur; verùm, quia & ipsæ observationes anatomicæ planè evincunt, utplurimum inveniri aliquod insigne, quod in mente excidere nunquam poterat.

Liceat mihi dare exemplum, quia rarissimum, etsi minus faciat ad rem propositæ historiæ. Accessit curandus nuper elapso mense Octobris vir rusticus, & ex multo tempore extenuatus laborans torminibus ventris, atque hypochondriorum spasmodicis contractionibus; nil ferè dejiciebat per inferiora, & continuo languore exolutus spiritu tandem defecit. Non esset, qui non deduxisset morbum hunc ad siccatorium ab Hippocrate appellatum, maximè quia, quæ ab hypochondriis obstinatè vel deformiter procedunt, ad Prothei formam referre omnes consuescimus, hinc in fermentis, & succis tartareis posita causa syndromen totam explicare parum quisque laborasset. Aperto cadavere invenimus intestina crassa, præcipuè ubi in vicinia duodeni flectuntur mediis protuberantiis callosis invicem, & cum adjacentibus consolidata, ut obscurum esset invicem ab altero distinguere, & quod pejus erat, eorum substantiam adinstar duriusculæ cartilaginis concretam & crassam, ut nulla ferè cavitas amplius supereresset. Itaque rejiciens ulteriorem indaginem eorum, quæ magis recondita sunt, dicam cum Philosopho morali: *Tantam rerum naturam umbram esse aut inanem, aut fallacem, neque me irasci illis, qui nihil nos scire volunt, neque illis, qui ne hoc quidem nobis relinquunt.* Genuæ, 5. Dec. 1703.

SCHOLIVM.

JUdicium de hoc admirabili Casu Ill. D. Antonii Vallisnierii, publici Medicinæ practicæ in primo loco in Lyceo Patavino Professoris &c. hîc subjungi meretur; qui equidem circa venerabiles has figuras & obscura spectacula primò dubius hæsit, postea verò

adcuratius ſæpiusque rem perpendens concluſit, talia prodigioſa artificia, tamque notabiles figuras fortuitò poſſe contingere. Unde cum ex prudentiſſimâ relatione Dn. Saporiti percepiſſet, ſapientiſſimos illos Prælatos minimè pro miraculoſis figuras iſtas habuiſſe, imò facere dixiſſe, quod *ex ſanguinis aſterismis varias figuras propria imaginatione componerent*, ſuſpicari incepit, aut naturale, non prodigioſum quid eſſe, ſed à causâ accidentali & ſimplici fallaciâ dependere, aut ab arte quid acceſſiſſe atque à phantaſiâ ejus, qui primo figuras illas divulgavit, aut fortaſſe etiam alium aliquem dolum ſubeſſe. Non adeò credibile, uti vulgus facit, ipſi videtur, DEUM omnipotentiam ſuam exſerere & oracula ſcribere, ut ita dicam, cum ſanguinis horrore. Suſpicatus itaque fuit, mediante commiſſura vel interſtitio muſculorum, ſternique & coſtarum eminentia, juxta cum aliquibus induſii, quo Virgo induta fuerat, rugis ac plicis figuras haſce accidentaliter oriri potuiſſe, uti ſæpe in trabibus aut parietibus ab aliquo liquido ſupra eos defluente varias curioſiſſimas imagines fortuito effigiari cernimus; aut quale quid Pictori illi contigit, qui ex indignatione ſpongiam madefactam in faciem equi depicti conjecit, à quâ is perfectionem, quam Pictor delineaverat, imò novam fortaſſe ſpeciem & gratiam obtinuerat; aut etiam Virginem aliquod devotionis monumentum ex collo pendulum ſupra pectus nudum geſtaſſe, in quo figuræ illæ ſacræ acu depictæ vel efformatæ fuerant, quæ fortaſſe inſuper ab aliis vicinis partibus eodem fluido & tincto liquore humectatæ, ipſis inſtar typi eminentioris, ſupra induſii planitiem formam ſuam impreſſerant. Id quod ipſi veriſimile videtur ex duabus literis, quas ſecunda Figura, d. 18. hor. 13. obſervata, ſiſtit, A S, ubi altera S inverſum exhibet, ceu illi accidit, qui negligenter typos collocat, ubi ſemper illud, quod eſt in parte dextrâ, ſiniſtram, & quod in ſiniſtrâ, dextram partem ab impreſſione ſubſequente occupat. Unde literæ iſtæ in pentaculo rectè quidem ſe habebant, in induſio autem inverſæ comparebant; ex quo dubium omne, quod fallere poſſet, detegitur. Prudenter tamen Dn.

Sapo-

Obs. XX.



Saporitus ſcribit, propriis quidem oculis ſanguinis ex variis partibus ſtillicidium ſe obſervaſſe, non verò ipſummet ſe vidiſſe refert, quomodo figuræ illæ productæ fuerint, ſed tantum quod verè & clarè adparuerint. Quare Dn. Vallisnierius duplici iſto modo figuras has effingi potuiſſe concludit, nempe aut à fortuitâ rugarum & plicarum interulæ à ſanguine conſperſione, quas dein concinniores ille delineaverit, qui animo erroneo & miraculis præoccupato iſtas effinxerat, aut ab aliqua re collo ægræ obſtupeſcentis adpenſa fuiſſe impreſſas. Hunc itaque caſum admonere poſſe decernit illum, qui mirabilia amat & ſtupendis delectatur, ne mox in vulgi creduli & ignorantis, rudiumque muliercularum opinionem ruat, ſed rem ipſam prius benè ut conſiderare diſcat, ne Altiſſimum miraculis, quæ non ſunt ipſius, involvat, aut naturales caſus cœleſtibus adſcribat, aut cum mutis ſignis & characteribus magna politica & myſterioſa mendacia ſtrepat.

(*Excommunicatione Exc. D.D. Johannis Böhmii, Medici Veneti d. 9. April. An. 1706. Augustam Vind. miſſa.*) Fig. 1. Tab. 2.

OBSERVATIO XXI.

Dn. LIC. JOHANNIS HELFRICI JüNGKEN.

De

Molis ſingularibus.

OBſervavi præteritâ hyeme aliquid, quod ad molarum hiſtoriam ſpectat, ſanè curioſi. Etenim illuſtris quædam maritata, incirca 45. annorum, poſt partum ante tredecim annos manu chirurgi extractum, ſenſim ſe male habere cœpit, fluxu nimirum ſanguinis continuo ſtillante per aliquot annos. Quod incommodum tunc temporis ſenſim per Martem ſuaſu D. Doct. Brunneri, Archiatri nunc Palatini, in tantum fuit ſublatum, ut

ad quatuordecim dies rediret, donec ſucceſſu temporis tandem in ordinem reducebatur. Interim annis aliquot ita transactis, nimio & impetuoſo menſium fluxu tentatur, ſecedentibus concretionibus ſanguineis, molarum inſtar, tenui tunicâ incluſis, forma utplurimum oblonga lienis inſtar, & minimi digiti craſſitiem haud ſuperantibus. Uterus ſentitur quaſi ſcirrhoſus, & ad tactum duritiem lapidis adæquans; quæ durities tandem cedit & redit. Atque hoc malo per intervalla plurimis annis fuit moleſtata. Præteritâ verò hyeme eodem fuit fatigata & tantùm non enecta, per tres menſes, intra quod tempus, concretionum talium ingens numerus fuit rejectus, maximis cum anxietatibus & doloribus, omnibus ſuam propriam formam, lieni ordinariam, referentibus. An molam nominarem, anceps ſum, quod cum viro commercium haud habuerit intra longum illud tempus. Ipſe cum vocarer, miras illas molæformes concretiones intra unum diem & noctem decem numeravi. Liquidum, quod ſimul prodit, ſimile apparet loturæ carnis; ceſſant tamen illæ concretiones ſingulis quatuordecim diebus, ſed ſanguis loturæ carnis ſimilis fluere continuat, usque dum quatuordecim dies redeunt, ubi rurſus concretiones tales rejici incipiunt. Sed nunc à quinque ſeptimanis poſtquam ſingulare aliquod ſal, ex Martis & Antimonii ſcoriis, propria manu elaboratum & caſu à me inventum, propino, ſingulis matutinis, ac acidulas, ſaltem ad ſitim levandam bibit, præter omnem ſpem ſe melius habere incipit, emanente ſanguinis fluxu, & concretionibus illis molæformibus; imò in tantum vires recuperavit, ut haud deſierit nundinas haſce adire, aliquot licet milliaribus Francofurto abſit. Quænam hîc uteri conſtitutio & textura ſit, latet; ſanguinem tamen ſingulari modo contextum, nec ritè cohærentem, ſimul cauſam fovere credo, effectu Martis inductus, qui tantum effectum, ſanguinis texturam reſtituendo præſtat.

(*Francofurto ad Mœnum, Auguſtam Vind. d. 9. April. An. 1706. miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XXII.

DN. D. GOTTLOB SCHOBERI.

De

Delirio ſymptomatico melancholico, Purpuræ albæ excretionem propter curam perverſam impediente.

UXor fratris mei dilectiſſimi anno 1698. menſe, nî fallor, Septembris hîc Lipſiæ delirio melancholico affligebatur non levi, quod ultra 12. dies noctesque durans ægram valdè anxiam & gemebundam reddebat, ita, ut non modò continuis lacrymis mœrorem ſuum teſtaretur, tenebrasque & abſentiam hominum quæreret, ſed etiam de omnibus, & imprimis de DEI miſericordiâ in futuro extremo judicio, deſperaret, miſerrimèque, non ſine commiſeratione aſtantium, vitam tranſigeret. Accerſitus facundiſſimus Verbi DEI Præco, quo triſtem hanc animam per veram fidem ineffandâ DEI miſericordiâ exhilararet & ſalvaret, ſed vix quicquam efficiebat. Medici ordinarii affectum hunc Melancholiam hypochondriacam definiebant, unde præmiſſo vomitorio, ad Martialia & Aperientia, egregia in dicto affectu ſolamina, confugerant, ſed irrito conatu. Malum hoc tanquam funeſtum ab omnibus conclamabatur, unde ego propter ultimum Vale accedens, ex percepto pulſu, celeri quidem ſed duro & intermittente æſtuque febrili, nec non adjunctâ cardialgiâ anxiosâ, ſuſpicabar præſentiam febris cujusdam cum difficili excretione conjunctæ; adeoque ſudoriferum ſequens præſcribebam: ℞ Sal. volat. C. C. ℈ß. Succin. Nitr. perlat. ana gr. viij. Cinab. nativ. Myrrh. elect. ana gr. iv. Theriac. cœl. gr. j. M. F. pulvis pro Doſ. j. Quo aſſumto unà cum ſudore purpuræ albæ veſtigia circa præcordia apparuerunt, adeoque de febris purpuratæ præſentiâ nullus dubitabam: adhibitis ergò neceſſariis remediis cum omnimodâ febris ac delirii ceſſatione purpura alba ſucceſſivè prorumpebat, hinc mentis totiusque corporis functiones ad naturalem ſtatum redibant, ſine ullâ aut delirii aut melancholiæ hypochondriacæ ad hoc usque tempus recidivâ.

OBSER-

OBSERVATIO XXIII.

DN. D. GOTTLOB SCHOBERI.

De

Mirâ Epilepsiâ, Dæmoniaca dicta, matrimonio curatâ.

BEati Domini Himpselii, Physici Revalienſis & Mathematici celeberrimi Filia unica, Virgo aliàs pia & pudica 18. præterpropter annorum, paroxyſmo non infrequenter affligebatur epileptico. Symptomata interdum erant atrocia ſatis, quæ inter totum corpus ſæpius in arcum quaſi concavum contorquebatur inſigni cum clamore ita, ut aſtantes ſæpius de vitâ deſperarent. Declinante paroxyſmo mens quidem redibat, ægrota tamen leviter adhuc delirans chartam unà cum atramento atque calamo ſcriptorio poſcens, hymnos aliaque carmina ſacra non inconcinna, quæ tamen extra paroxyſmum nullo modo componere potuit, annotabat; interdum etiam magnâ cum facundiâ & aſtantium jucunditate ſermones faciebat; & quidem linguâ tum vernaculâ, tum peregrinis ſibi anteà incognitis, Hebraicâ nimirum, Græcâ, Latinâ, & Gallicâ interdum, de quibus tamen remittente paroxyſmo, altum erat ſilentium. Inter alia præ cæteris admiratione dignum eſt, quòd aliquando helluoni cuidam mortem ſubitaneam prædixerit, animæque hujus æternam damnationem multis profuſis lacrymis maximè doluerit, quod etiam, proh dolor! cum omnium ſtupore inſequente nocte evenit: helluo enim maximè ebrius ſcalas deſcendere impotens, improviſo ac impetuoſo lapſu ab alto vertebras colli dislocabat, eodemque momento animam expirabat. Pauco poſthac temporis ſpatio civi Revalienſi pio ac probo beatam analyſin præſagiebat, quæ etiam ſtatuto die, prægreſſo paucorum dierum morbo, evenit. Multa quidem contra hunc morbum adhibebantur remedia, omnia tamen ſine ullo effectu. Interea Sacerdos quidam paganus, ſive commiſerationis ergò, de morbi causâ, matrimonio nempe de-

nega-

negato, certior factus, ſive optimâ hujus virginis formâ devinctus, erga eam in amorem rapiebatur, inde celebratis utriusque cum gaudio nuptiis, factâque conceptione ab hoc malo immunis planè hucusque vixit, debitoque tempore embryonem felici partu enixa eſt.

Cauſam hujus epilepſiæ proximam auguror liquoris genitalis denegatam emiſſionem, unde in proſtatis caſtiſſimæ hujus virginis ſtagnando, alteratus turgeſcentiâ ſuâ ſpumosâ ac ſpirituosâ ipſos partim ſpiritus animales inquinavit, partim partes nerveas has ſenſibiles & per conſenſum totum genus nervoſum vellicavit, adeoque epilepſiam dictam excitavit. Quod verò rationes reliquorum ſymptomatum attinet, quatenus hæc inerudita virgo in paroxyſmorum declinatione verſus non inelegantes confecerit, orationes concinnas habuerit, linguis anteà ſibi incognitis locuta ſit, futura præviderit, hoc eſt, de quo omnes ſtupeſcebant. Maxima Concionatorum pars totum negotium aſtutis Diaboli tentationibus in pia & caſtiſſima hac virgine attribuebant; unus ac alter verò Sagaciorum Medicorum animæ rationali ab omni corporis commercio, vi conſtrictionum epilepticarum excluſæ, in ſe reductæ, ſibique relictæ rectiſſimè adſcribebant. Anima nimirum rationalis particula eſt illa auræ divinæ omniſcia, mediante quidem ſpiritu ſeu principio vitali tanquam vinculo corpori noſtro jungitur, cum hujus tamen actionibus tunc temporis nullum habet commercium. Unde non mirum, quòd corpore exiſtente ſano actiones dictas exercere non poſſit; repugnant enim actiones animæ ſenſitivæ ac corporis, hujusque prædominium illius actiones ſuffocat & impedit. Poſt lapſum nimirum protoplaſtorum noſtrorum animæ rationalis imperium, propter animæ ſenſitivæ aut carnis imperium vel opera non parùm oppreſſum in corpore, adeoque penitus infirmum redditum, ſi non planè ſuffocatum eſt, adeò, ut mentis voluntati in plurimis vix auſcultet anima ſenſitiva, utpote quæ adverſus illud, ſicut ipſa anima rationalis contra ſenſitivam ſeu carnem concupiſcit. Hinc divinorum cognitio nobis

non nisi difficulter eheu! & parum patet. Ut taceam Artium omniumque scientiarum notitiam indefessâ curâ & labore nobis esse comparandam, quarum tamen ideæ animæ rationali connatæ nobiscum nascuntur, adeoque quivis homo juxta *Paracelsum* in *Fragment. Phys.* cap. de morb. Somnii, *artes & scientias omnes in se habet, quas per modum disciplinæ evolvere & in actum secundum producere necesse habet.* Quod si animæ rationalis ἀνταγωνιστὴς, sic voco principium vitale, debilitatur atque enervatur, quod in inediâ, in laboribus, morbis &c. non infrequens est, aut in tranquillo humorum statu ac motu quietior existit, uti hoc ex *Excellentissimi & summâ eruditione conspicui Professoris Hallensis Disput. de Potentiâ ventorum in corpus humanum allegat Albucasis noster in Observat.* 122. *anni vij. & viij. Miscellan. Medico-Physicor. nostror. Dec. iij. p.* 198. tunc adversus mentem non concupiscit, sicque hujus operationes manifestius se exserunt. Eum in finem jejunia à piis instituuntur, quo mens in meditationibus sacris à spiritibus animalibus cibo & potu restauratis & volatilisatis minus impediri, sed preces majori devotione longè ardentius fundere possit. Ipsi agonizantes ob exhaustam aut destructam animæ rationalis antagonistam pleno rationis judicio pollent, salvificamque fidem amplectuntur multò facilius, quam ubi corpore existente sano hoc ideis lascivis & voluptuosis cumulatum est; ultimaque mortis in horâ mentis oculi nonnulla vident, v. g. Angelos bonos, Satanam &c. quod aliàs in corporis statu sano & vegeto planè est impossibile. *Confer. Excellentissimi Rivini elegantissimam Disputationem de Spiritu Hom. vitali c.* 1. §. 15. Ut taceam futura quandoque prævidere, mortis horam accuratè determinare. Nihil jam dicam de insomniis, cùm corpus in somno, simili modo ac ecstaticorum, mortui instar jaceat, in quo anima rationalis ab idearum terrenarum impressionibus vacua, & à spirituum animalium vinculis liberior, fata futuri diei aut temporis exactè manifestat, de quibus homo inter vigilandum nunquam cogitasset.

OBSER-

OBSERVATIO XXIV.

DN. D. GOTTLOB SCHOBERI.

De

Satyrorum in Esthoniâ & Olandiâ hisce temporibus visorum existentia.

NOn omnia, quæ de Satyris leguntur, pura puta figmenta esse, secus ac Casaubonus l. 1. de Poës. Satyric. c. 2. statuit, sed illos hodiè etiam reverà existere, sequentes docebunt historiæ, à Patronis & Amicis fide dignissimis tanquam testibus oculatis paucis abhinc annis communicatæ.

I. Generosissimus Liber Baro Otto de Scheiding, Consiliarius in Esthoniâ, in prædio suo Kegel dicto, milliaria circiter duo Revalâ distante, ante aliquot annos commorans, primo diluculo venationi Urogallorum aliquando incumbens, Satyros binos appropinquare vidit, qui à parte superiore hominis cornuti, ex inferiori autem capri effigiem, prout communiter à Pictoribus depingi solent, repræsentarunt. Horum conspectu non parùm perterritus, eosdem rustico comiti ostendit, qui asseveravit se Satyros similes multoties vidisse, nec unquam sibi ab illis malum quoddam accidisse. Ambo interim saltationem & lusum eorum ultra horæ spatium cum admiratione usque ad ortum Solis conspexerunt, donec iterum disparuerunt.

II. Henricus Cours, Centurio Regis Sueciæ valdè strenuus, cum Sacerdotibus quibusdam in loco quodam Insulæ Olandiæ amœno circa festum Johannis Anni nî fallor 1697. animi exhilarandi gratia conveniebat. Et quia hic locorum dicto tempore aër vix tenebrescit, gratusque Solis exortus ob Poli vicinitatem tenebras apparentes brevi abigit, congregati Sacerdotes unà cum Centurione in loco hoc amœno pernoctare deliberant. Inter pocula interim & suavem Musicæ sonum Satyri aliquot ad 40. præter propter passus distantes in conspectum veniunt: Unde Sacerdotes pavore atque stupore perculsi, eosdem pro Dæmo-

nibus habentes precibus & exorciſmis abigere tentant, ſed fruſtra; quin potius ridicula ſaltatio usque ad primum Solis exortum duravit, atque tunc Satyri ex omnium oculis aufugerunt.

OBSERVATIO XXV.

DN. D. GOTTLOB SCHOBERI.

De

Hæmorrhagiâ periculoſiſſimâ per viſum magicè curatâ.

MUltos extitiſſe & adhuc eſſe homines per viſum faſcinantes, & antiquis & noſtris temporibus eſt quàm notiſſimum. Exempla qui deſiderat, videre præ cæteris poteſt Fromannum Tract. pecul. de Faſcinat. Sicut contra alii obſervantur, qui ſolo viſu & aſpectu morbos curare audent, qualem obſervationem ſequenti hiſtoriâ ſiſtam.

Nobilis quidam Suecus in pugnâ gladiatoriâ à Nobili Eſthonico cæſim ſauciabatur; Vulnus penetrabat claviculam, nî fallor dextram, & ſcapulæ proceſſum ſpinoſum ad medium proceſſus brevioris ſcapulæ, inde ex læſis ramis vaſorum axillarium hæmorrhagia vehementiſſima oboriebatur, quæ ſtypticis nec ullis aliis remediis cedere nolebat. Nobiliſſimus Parens de vitâ filii unici admodum ſollicitus & triſtis, recordatur ruſtici cujusdam, de quo fama erat, quòd ſanguinem emanantem ſolo aſpectu & viſu ſiſtere ipſiusque vulneris dolores ſine ullâ difficultate ſedare poſſit. Ruſticus accerſitur, comparet, & vulnus fronte corrugatâ oculisque torvis aſpicit & ecce! intra horæ quadrantem omnis ſanguinis fluxus ceſſat, doloresque remittunt. Ruſticus poſtmodum Magiæ crimine accuſatus & in jus vocatus ſequenti modo ſe purgabat: Scilicet ſanandi hoc beneficium ſe poſſidere jure hæreditario à Patre ſuo, qui non paucis hominibus eodem modo & in ſimilibus malis opem tulerit non vanam.

In

In ætiologiâ indagandâ plurimi effectum hunc diabolo, non pauci contra causis adscripserunt naturalibus; quatenus certis individuis sanandi aliquam vim connatam attribuunt: quam etiam multis testimoniis & observationibus tam Veterum, quàm Recentiorum confirmant. Sic notum est exemplum *Flavii Vespasiani*, qui insputatione salivæ cæcitati medebatur, quod testatur *Tacitus Histor. l.* 4. *c.* 81. *p. m.* 610. & *Sueton. in vitâ Vespas.* Non absimile refert *Ælius Spartianus* de *Hadriano*. De *Pyrrhi* Regis in pede dextro pollice, cujus tactu lienosos curavit, vid. *Plinius Histor. l.* 7. *c.* 2. & *Plutarch.* in vita ejus. Sic etiam *Valentin. Greutrakius* de quodam Anglo refert, quòd magno cum successu omnis generis morbos solo tactu & frictione curaverit. De curis similibus vid. *Pechlin. Obs. Phys. Medic l* 3. *Obs* 31. *p.* 476. & *Obs.* 32. *p.* 455. *seqq. Paullini* im *Philosophischen Feyerabend p.* 561. Memorabile est, quod *Borellus Hist. & Obs. Cent.* 2. *Obs.* 90. de Scribâ quodam narrat, qui solâ brachiorum frictione innumeros & quidem febricitantes sanitati restituit. De Regiâ curandi methodo, quâ solo tactu strumæ curantur, elegantem conscripsit dissertationem Morhofius de Medic. Principe.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. GOTTLOB SCHOBERI.

De

Partu magico ovorum gallinaceorum in viro lethali.

Mirabilia sanè & stupenda nobis nonnulla videntur opera magica, quæ partim à Cacodæmonis astutiâ, partim à damnatâ Sagarum cohorte peraguntur & fiunt. Inter ea referri meretur sequens historia, quæ à Viris fide dignissimis, dum Revaliæ commorarer, mihi est relata. Scilicet Sartor quidam pauperculus, Vetulis quibusdam in viciniâ degentibus ova gallinacea furto subtraxerat, furtumque hoc commisit per aliquot septimanas. Ab his in tantùm fascinatus ventris torminibus affligeba-

gebatur in principio ferè intolerabilibus, qui tamen successu temporis in colicam convulsivam atrociſſimam degenerabant: sub quibus simul ova per anum deponebat, unà cum cantu parturientium gallinarum simillimo. Postquam autem per breve temporis spatium ultra centum ova excluſiſſet, vitam tandem in ipso partu simul excluſit, sicque ridiculæ huic tragœdiæ finem imposuit.

(*An. 1706. d. 6. Maji Lipsia Augustam Vind. missæ.*

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII,

De

Rene dextro unius & dimidiæ libræ, instar capitis humani, spongioso, calculis & multô sabulô repleto.

IN districtu Lipsiensi Vir tum prosapiâ nobili, tum etiam magnâ autoritate maximè conspicuus, quinquagenarius, per intervalla conqueſtus est per decennium & ultrâ de cruciatibus calculi cum mictu cruento, sumtô medicamine appropriatô per aliquot dies, imò hebdomadas, meliùs se habuit, nihilominus remansit dolor tensivus in hypochondrio dextro. Cùm autem hoc malum, licet præsentiſſima adhibita fuerint remedia, indies creverit & simul asthma accesserit, factum est, ut brevi post vitam cum morte commutaverit. Dissectô cadavere deprehendi in cavo thoracis tres libras seri extravasati, & in abdomine renem dextrum unius & dimidiæ libræ, instar capitis humani cum tribus calculis majoribus & novem minoribus cum multo sabulo repletum. Ren siniſter erat in figurâ naturali, nisi quod etiam plurimos lapillos minores & sabulum in se contineret, uti Icon præsens (*Tab. 2. & 3. Fig. --*) exhibet.

A. Ren siniſter in situ suo naturali.

B. Idem Ren per longitudinem dissectus multisque lapillis & sabulô repletus.

C. Ren


C.
E
E
E
E
E
E
E
E
E
E
Obs: XXVII.
A.
B.
Obs: CLXXIX.
Terra Sigillata
Brachmanum.

Obſ: XXVII

Obſ: XXXIV



F

Obſ: XXVII.

F

Obſ. LVIII

Obſ. XCV.

Obſ. LX.

Obſ. CXIV.

H

G

C. Ren dexter monstrosus unius & dimidiæ libræ instar capitis humani à parte antica.
D. Idem Ren à parte postica.
E. Ejusdem protuberantiæ spongiosæ.
F. Idem Ren per medium dissectus.
G. Tres calculi majores circa pelvim reperti.
H. Novem calculi minores in substantia renis spongiosa.

Procul dubio tanta & vix audita hujus renis moles inde ortum suum traxit, quòd lapilli acumitati dilaceraverint fibras & vasa capillaria renis, hinc sanguine extravasato & lapillis quibusdam remotis facta fuit excrescentia spongiosa, quâ indies auctâ rupta fuit hinc inde tunica exterior renis, ne autem hæ vacuæ remanerent, natura fecit, ut ita loquar cum Chymicis, stratum super stratum spongiosum cum membrana peculiari concluſum, imò si spatium abdominis concessisset, corpus hoc monstrosum in multò majorem molem excrevisset; Et forsitan hæc conformatio renis læsa fuit causa hydropis pectoris, scilicet ob compressionem vasorum circulationem sanguinis depravantem, hinc-que extravasationem seri in thorace causantem.

(*Transmissa Lipsiâ Augustam Vindelicorum d. 8. Maji 1706.*)

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS.

De

Fulmine ictorum tractatione.

OBservatio *Excellentissimi Dn. Kohnii* de fulmine ictorum cu-Oratione novissimo Decuriæ Tertiæ Tomo inserta monet, ut quæ his diebus de simili casu apud nos notare licuit, ad Illustr. Societatem quoque referam. Accidit enim die XXVIII. Maji, ut æstu plus quam caniculari per plures dies consistente, subito vespe-

vesperi circa horam quintam maxima tempestas cum copiosissimo imbre oboriretur, cui post dimidium circiter horæ spatium unius aut saltem bini fragoris tonitru succedebat, quod partem superiorem domûs cujusdam in platea satis lata sitæ invadens, per tectum & tabulata mox fenestras motu vario, tandem in hypocaustum usque vibrat, virginemque egregiam è regione fenestræ stantem, in terram subito prosternit, ut per duas ferme horas pro mortua haberetur. Vocatus spiritu salis ammoniaci ad nares applicato eandem quasi in vitam revoco, ut sublatis oculis, & successivè verborum quorundam, quamvis obscurorum sono aliquam adhuc vitæ spem superesse testaretur, brachiis interim ac pedibus convulsivum in modum subinde agitatis, quibus tamen, quod sciam, nunquam obnoxia exstiterat. Interea cochleatim per os infundebatur mixtura quædam ex aquis essentiisq; antapoplecticis cum spiritu Sal. ammon. & castorei acuatis; quibus etiam non parum excitari videbatur. Membris quieti redditis, & tribus circiter à percussione horis, venæsectio in brachio instituta, quæ quamvis prima vice non succederet, & chirurgus propter ætatem per specillum venas secare solitus, ictum (forte frustraneum) excusaret, quod sanguinis hoc in casu effluxus propter summum terrorem non succederet, me post horæ spatium denuo urgente, eadem sub noctis initium repetita, fluxusque sanguinis egregie secutus. Cum vero ex funiculo globulorum argenteorum, quem in collo gestarat virgo, disrupto, hisque in terram sparsis ac nigris, collum parte quadam læsum suspicarer, in sinistro ejus sub aurem latere, quot globulorum interstitia fuerant, tot quoque lineolæ nigræ octo circiter numero in collo occurrebant, quibus chirurgus consueta remedia opponebat. Continuatumque in mixtura supra dicta, & somnus ad primam circiter seu mediam noctis horam ab adstantibus impeditus. Dicta vero hora ad motum sanguinis & spirituum magis magisque restaurandum confirmandumque pulverem ex salibus volatilibus succini, cranii humani, similibusque exhibui, adstantibusque cum illa mentis nondum com-

pos

pos reddita esset, & quasi temulentam se præstaret, ut ad sudorem leviorem cogeretur suasi. Post sudorem circa secundam matutinam in somnum prolapsa, circa septimam evigilavit, rerum omnium, quæ post fulminis ictum, cujus quoque non recordabatur, ignara, etiam ipsius venæsectionis, quam tamen apertis oculis admiserat. Exin volatilia cum castoreatis per aliquot dies internè externeque continuata, & haustus subinde vini generosi concessus, deque die in diem melius habuit, nec quicquam defectus circa memoriam, loquelam, visum aut membrorum mobilitatem observatum. Lineolæ quoque nigræ in collo, relictis tamen levibus cicatriculis, sensim disparuerunt.

Qualis fulminis species exstiterit determinare haut facilè in proclivi est. Cum verò dubium non sit, juxta diversas illas species odorem quoque sulphuris modo majorem minoremque existere, ita cum hypocaustum me accedente fœtore ejusmodi copiosè adhuc refertum esset, ex discutientium forte illud fuisse opinor. Quo accedit, quòd ornatus capitis, *Fontange*, quinque aut sex locis leviter combustus appareret, ceu ab aspersis scintillis fieri solet, funiculis verò globulorum disruptus, hique ipsi in sinistro colli latere nigri, in lateribus verò, quibus se invicem tangunt, leviter colliquati essent cum lineolis, ceu dictum in cute nigris. Præterea fenestra, per quam apertam fulmen hypocaustum intrârat, lignum in parte inferiore fissum apparebat, & fulmen per fenestram, ceu dictum ad collum virginis vibrans, aque collo rursum per transversum cum maximo impetu parieti una circiter ulna sub fenestra, per quam intrârat, allidens, in pariete verò foramen disjecta calce & subsstrata materia latum & concavum, non tamen pervium formârat.

De Lapide fulminari multa ea occasione apud omnes quæstio, quem tamen hic non adfuisse & collum virginis fulminis ictui resistentiam præbens, & foramen in parietis superficie nullatenus pervium & ne quidem hians deprehensum satis probabant. Non igitur lapis fulminaris in omni fulmine adest, ceu jam dudum relationes ejusmodi suspectas arguit *Illustr. Dn.*

Præses, Schröckius, Schol. ad Miscell. Cur. Dec. 2. Ann. 4. Obs. 53. & forte rarissimè concurrit, cum corporis ejusmodi solidissimi, nec interdum adeò exigui, ut pinguntur, generatio in athmosphæra aërea & quidem in instanti, mente vix concipi queat, ut adeò qui iisdem adscribuntur effectus, potius à flammâ quadam quasi concentrata, ceu ut *Natalis Comes l. 2. mythol. p. 157.* olim loquebatur, vi crassioris ignis dependeant.

Cœterum celerrimum fulminis ejusmodi per quatuor conclavia motum quoque sistit *Dn. Treublerus in Misc. Cur. Dec. 1. Ann. 2 Obs. 37.* ac simul curam fulmine percussorum ex mente *Dn. Bezæ*, Medici quondam Argentoratensis subjungit, cum quo tamen circa Venæsectionem non ejusdem sententiæ sum, quam juxta cum *Excellentiss. Köhnio* in hoc casu summè necessariam arbitror, ad suffocationem scilicet præcavendam, & sanguinis spirituumque motum restaurandum, quod ipsum quoque exemplis apud *Schenkium l. 1. Obs. 151. & Borellum Cent. 2. Obs. 38.* illustratur.

(*Hildesio Augustam Vind. d. 18. Junii An. 1706. missa.*)

OBSERVATIO XXIX.
Dn. D. VITI RIEDLINI.

Hydrocephalus viginti quatuor annorum.

DEcem interea præteriere anni, quod Augustæ Vind. vocatus fui ad Virum quendam ex haud ignobili, quin sic sat clara familia ortum, qui tum arthritide decumbens meum desideravit consilium; hujus querelis dum aures præbeo, & medicamenta præscribo, obtutui meo se obtulit puer, horrendæ magnitudinis capite instructus, manuum pedumque usu destitutus & sedendo decumbendoque tempus consumens: Hydrocephalo itaque hunc laborare statim statui, & vel hac de causa eo curiosius in quævis ejusdem fata inquisivi, quia tum multa quidem de hoc

morbo

morbo laborantibus legeram, hactenus tamen nullum unquam videram; quantum verò memini, tum mater recensuit; se hunc filium sanum atque incolumem edidisse, sicque per quinque fere menses eum nulli malo obnoxium fuisse, nisi quod interdum catarrhis, (quorum originem parietibus tum recens incrustatis & dealbatis adscripserat) laborarit: Hisce verò tum suadente insigni quadam Matrona se unguentum quoddam opposuisse, quod catharros quidem exsiccavit; at caput ab illo tempore semper excrevisse, sic ut anno ætatis tertio magnitudinem consuetam jam longe excesserit, quæ ab hoc tempore semper majus incrementum sumserit, donec anno ferè septimo increscere desierit; & tam diu quidem puerum incessisse; nec manuum usu destitutum fuisse; at superveniisse tum apoplexiæ quendam insultum, qui eum sic debilitarit, ut ex illo tempore artuum usu omninò ferè destitutus vivat: intellectu tamen semper sic gaudebat, ut tandem & ad S. Synaxin admitti potuerit: Jam tum verò statim in votis habui, ut aliquando post mortem caput hoc aperire licèret, ut vera tam diu instantis hujus mali causa innotescceret; hocque votum meum non uni solum amicorum meorum detexi; ex quibus Pharmacopœus industrius, Dn. Jo. **Bierman**/ mei memor, cum nuper An. 1703. d. 1. Januar. beatè defunctus fuisset, à matre superstite impetravit, ut hæc sequenti die hujus monstrosi capitis apertionem concesserit; ubi primo quidem circumferentiam externam exploravi, hancque undecies hujus lineæ ——— longitudinem æquasse, inveni; remotis hinc integumentis communibus, uti in aliis hoc morbo defunctis futuræ minus firmiter cohærentes quin hiantes repertæ fuere, ita in hoc cranio tam arctè clausæ conspiciebantur, ut in quibusdam locis illarum vix vestigium quoddam notari potuerit; serra mediante hinc non absque labore, remota ea, quæ eminet cranii parte, per felicem Chirurgum, Samuelem Sturmium, hoc duplo crassius ubique fere comparuit, & quoniam cerebrum arctè eidem conjunctum fuerat, absque hujus læsione ubique serra penetrare non potuit; unde sub apertione

adhuc non parva seri limpidissimi copia profluxit, quod vase ad id destinato excepimus; licet verò hujus seri semper plus effluxerit, quo magis cranii superior pars remota fuit, ubi tamen sedem suam habuerit? ea seposita non statim patuit; donec cerebrum in duo sua hemisphæria divisum fuit, ubi statim tanta cavitas in utroque oculis patuit, ut in ea omnem liquorem contentum fuisse nemo dubitarit; qui nempe ventriculos utrinque sic distenderat, ut facillimè duos pugnos quilibet admisisset; cerebrum verò ad cranium sic compresserat, ut nullibi digito transverso crassius extiterit; & seri quidem, quantum vase subtus posito excipi potuit, mensuræ quatuor cum dimidia evacuatæ fuerunt; utque de cranii insigni extensione judicare possis, pars serra resecta duas cum dimidia Augustanarum continebat mensurarum: Ante septem annos, eum & visum perdidisse, mater ejusdem postmodum retulit; & quod notatu dignissimum, eum per aliquot annos, per quinque vel sex hebdomadas alvum obstructum habuisse, & tum quidem non nisi parum admodum secum excrevisse; sique vel ex Fol. senn. paratum laxans eidem exhibuerit, hoc statim convulsiones excitasse, eadem narravit: In quorum contingentium causam plus otii me nacti sine dubio non absque quadam utilitate inquirent: quotquot verò ego hac de re consului Auctores, qui tam diu hydrocephalo laborantem descripsisset, mihi quidem non obvenit: Natus enim hic noster An. 1678. Mense Majo, & eo tempore, quo supra memini, vivis subtractus fuerat; per integros viginti quatuor annos itaque cum tanto hoc malo conflictatus est; adeoque inter rarissimos hic casus merito locum obtinebit.

(*A. 1706. d. 19. Junii Ulmâ Augustam Vind. missa.*)

)o(

OBSER-

OBSERVATIO XXX
DN. D. REINHOLDI WAGNERI.
De
Testiculô humanô osseô.

TEsticulum in cartilaginem abiisse, commemorant Ephemerides Nat. Curiosorum Dec. II. A. X. Obs. CLVI. totum pariter cartilagineum l. c. detexit Nobilissimus & Excellentiss. Dominus D. Philippus Jacobus Hartman, Professor Regiomontanus Celeberrimus, Fautor & Præceptor meus quondam æstumatissimus. Jam verò, testiculum in os durissimum degenerasse, & quoad totam superficiem verè osseum, præsenti observatione addere placet. Qualem itaque, ex beati Parentis mei Museo Naturalium, inter rariora mea possideo testiculum naturâ osseum, talem præsenti sub schemate ante Eruditorum oculos pono: vid. *Fig.* --

Tornator nimirum septuagenarius, nomine Hanß Saldau/ Regiomonti Anno 1681. d. 20. Januarii, testiculorum hydro-& sarco-cele laborans, dextrum paracentesi sibi perfodiendum curavit: Inter operationis ἐγχείρησιν, Parens desideratissimus, Daniel Wagner, Chirurgus, præsente beato Dn. D. Linemannô, alterum quoque sinistrum testiculum durissimum deprehendentes, ipso ægro fatente, jam ultra triginta annos hunc tantam duritiem, nullo tamen dolore notabili, contraxisse comperiunt. Tandem, die 27. Novembris A. cit. miserô vitam cum morte commutante, ex anatome patuit, totam sinistri testiculi convexam superficiem, crassitie pennæ columbinæ, in os durissimum abiisse, adeò, ut ad duritiem petrosi ossis proximè accederet: Superficies externa, exteriori facie satis erat aspera & inæqualis; interior verò, lævis: & in hac parte concavâ latitabat materia gelatinosa seminis corrupti. Non rarò itaque per ætatem, membranas, tendines, quandoque arterias pariter & venas spermaticas cartilagineam duritiem contraxisse, partim propriâ experien-

ciâ didici ex anatome canis molossi sarcocele sinistri testiculi affecti, utpote cujus vasa semen præparantia tota deprehendi cartilaginea, & instar ligamentorum compacta: partim ex Celeberrimi Dn. Blegny in Zodiaco Medico-Gallico A. II. M. Martii Observatione de seminis petrificatione, constat, quod in vasis semen ejaculantibus similem petrificationem notaverit. Nec tantum Experientia, rerum optima Magistra, confirmat, tendines in variis animalium partibus in ossa indurari, quemadmodum in pennatis, similiter in osse cordis diversorum animantium, denique in ossibus embryonum patet, utpote quorum ossa maximam partem ex tendinibus induratis constant: Conferatur observatio CLV. de Periosteo osseo Celeberrimi Peyeri in Miscellan. Cur. D. II. A. VII. item Obs. XII. l. c. laudati Hartmanni, qui similes laminas osseas unius ureteris Eruditorum orbi propalavit. Sed & serum ipsum, prouti in statu naturali membranæ, cartilaginis ossisque naturam assumere aptum est, ita gelatinosas ejus partes, discussis aquosioribus, in os abire posse, certissimo cognovit experimento Illustris Curiosorum Collegii Præses, Dominus D. Lucas Schröckius, quippe qui D. II. A. III. Obs. XIX. p. 68. ossa ex sarcocele suppurata prodeuntia accuratè notavit, Historiæque hujus, inter memoratu dignissima, fidem fecit observatione, de ossiculis ex sarcocele suppurata prodeuntibus. l. c.

Usus Chirurgicus.

EX dictis liquet, quòd operatio Chirurgica in testiculis extirpandis in quibusdam felicius, in aliis minus succedat. Ubi enim vasa semen præparantia instar ligamentorum coaluerint duritie cartilagineâ, in sectione sarcoceles nullum erit periculum, nec propter metum hæmorrhagiæ ordinariâ opus ligaturâ vasorum. Ubi verò varicosi testiculi corpus nexu suo ac cohæsione cum peritonæo, & insignioribus vasis Ileo intestino adhæserit, quemadmodum hoc ex anatome militis iliaca passione ex arco- & bubonocele A. 1698. M. Februarii defuncti, præsentibus

Amplis-

Lunaria Græca

Viola monstrosa fl: simpl: purpur

Obs. XXXI

Obs. XLIX.

Ovum gallinæ

Ovum gallinacei.



Obs. LIX.

Ampliſſimo Dn. D. Georgio Friderico Franco de Frankenau, Fautore meo honoratiſſimo, aliisque Amicis, cognovi: ibi fruſtra omnibus tentatis, ſectio quoque ſi non omninò impoſſibilis, omnium tamen erit difficillima.

Fig.

Teſticulus humanus, cujus tota ſuperficies laminâ oſſeâ memorabilis.

a. a. a. a. Teſticuli oſſei pars externa ſive convexa.
b. pars interna concava.
c. c. c. c. Carunculæ oſſeæ in externa ſuperficie piſi majoris magnitudine.

(*Hafniâ Norimbergam 1706. d. 10. Julii miſſa.*)

OBSERVATIO XXXI.

DN. D. GEORGII FRIDERICI FRANCI DE FRANKENAU.

De

Viola Lunaria majori ſiliqua rotunda C. B. P. ſive Lunaria Græca monſtroſa.

ABundantius nihil fœcundiſſimum Naturæ gremium habet, quod tanta ſpecierum varietate atque copia ſuperbiat, quàm ſpatioſiſſimum, ut communiter apud nos audit, Vegetabilium Regnum, quamvis & in reliquis minimè deficiat. Hinc etiam fit, ut plures heic quam alibi Naturæ occurrant aberrationes partusque multiformes, de quibus plenæ ſunt hodiè Curioſorum obſervationes, plena fidiſſimorum Scriptorum teſtimonia; imprimis verò, ut alias nunc mittam, cum hac modo deſcribenda *in Miſcellaneis noſtris* conferri meretur *obſ.* 3. *Anni IX. Decur. I. B. D. Joh. Michaël. Fehrii cum annexo ſcholio, atque Ann. III. ejusd. Decur. obſ.* 166. *D. Melch. Fribe*, ubi agitur tam de Chryſanthemo monſtroſo, quàm de Chamomilla rara, pariter monſtroſa,

ſtroſa, quibus ſubnecti poteſt illa *obſerv. Anni V. & VI. Decur. III.* de Bellide majori tergemina, ante hos 6. annos à me conſignata. Dictis omnibus autem præferenda omninò mihi videtur, ſive plantæ magnitudinem ſpectes, ſive florum in caule latiusculo, oblongo in thyrſum quaſi aut umbellam egregiè conglobatorum multitudinem inſignem, *Viola* hæcce *Lunaria Græca major*, quæ ſub exitum menſis Junii An. 1705. in cultiſſimo horto Soceri mei pl. Venerandi, Dn. *Joh. Willemſen*, Præfecti Provincialis Reg. Inſularum Færœenſium, inter alias ipſius amœnitates florumque varietates, jucundum oculis noſtris præbuit aſpectum, per integrum ferè menſem. Flores hujus plantæ, quæ rectius multiplicis quàm ſimplicis merebatur nomen, erant tetrapetali, dilute purpurei, inſidentes faſtigio caulis ſive caudicis bicubitalis, leviter intorti, ſtriati, non craſſi, ſed ultra pollicem lati, quos dein deciduos infinitus ſiliquarum oblongarum, rotundarum ac tenuiſſimarum, pedunculo ſuo inhærentium, ſemenque oblongum virore transparens ac diſtinctum includentium excipiebat numerus: caulis hic in ſummitate, quem flores turmatim ſtipabant, erat bifurcus, & in duo ſegmenta ultra pollicis profunditatem diviſus, utrôque in plures ſimul lacinias non adeò profundas ſupra abeunte; quæ cauſſa etiam fuit, ut in medio florum iſtorum in orbem actorum hiatus aliquis occurreret, ut ſchema *Fig.* -- additum à nobis clarius id explicat. Ubi flores deſinebant, caulem utrinque plurima ad imum usque cingebant folia, in ambitu paululum ſerrata, oblonga, acuminata, & in virore nigricantia, non hirſuta, aut alternatim, ut Erucæ folia diſpoſita, ſed æquali liberrimoque Naturæ ductu unum poſt aliud. Ubi caulis è terra ſurgebat, paullo quidem craſſior conſpiciebatur quàm in medio, ſed non adeò latus & teres, paucioraque ibi numerabantur folia quàm ſuperius. Mirabilis hujus plantæ radicem penitius luſtrare non licuit, ne forte bipalio accedendo propius, vel tractando incautius damnum ei inferretur; ſi tamen conjecturæ heic locus, dicerem, plures radices in unum communem coiiſſe ſtipitem, ſicque coadunaſſe

invi-

invicem, similes flores ac folia proferentes in copia, visuque jucundissima: Sperabamus quidem sequente anno in eadem plantâ similem Naturæ lusum cernere, at frustra, quoniam ab Hortulano in alium forte pulvillum translata & à se invicem diducta vel exstirpata aut penitus ablata fuit. Decerptum interea caulem hunc notabilem, postquam defloruit, cum suis foliis & siliquis apte siccavi, & herbario vivo unà cum aliis, ut spectari à quovis deinceps adhuc queat, intuli. Figura hæc luxuriantis Violæ Lunariæ rudiori sic penicillo à me adumbrata ne dum dimidium magnitudinis suæ naturalis ac debitæ heic exæquat.

OBSERVATIO XXXII.

DN. D. GEORGII FRIDERICI FRANCI DE FRANKENAU.

De

Unguibus recurvis monstrosis manuum in puero.

QUoniam plantæ cujusdam monstrosæ mentionem modo fecimus, operæ pretium fore arbitramur, si paucis simul occasione prioris Obs. monstrosum quid in medium proferamus, quod in homine, quam plantam inversam veteres dixere Philosophi, proxime elapso abhinc anno heic videre nobis contigit. Nimirum d. 25. Augusti Anni superioris 1705. sistebatur mihi plateam transeunti puer duodecennis pauperculus, nomine Johannes, filius rustici cujusdam ex pago Endersløf/ Skeelianæ Ditionis, opem, si fieri posset, heic quærens. Corpus ejus totum quantum, sub primum statim obtutum apparebat impurum & Cacochymicum, laborans scabie fœda, quod malum plebeculæ huic ferè est endemium, ac facies simul ejus tumida quodammodo ac livida. Ante sesquiannum demum, ut mihi dicebat, laborare cœperat insolita hac unguium conformatione, qui indies majus sumebant incrementum, adeò ut nunc ad duorum ferme articulorum digiti cujuslibet magnitudinem ab eo-

rundem apice reflexi ac recurvi sic accreverint squamatim scabri & deformes non pellucidi, sed coloris grisei, hinc magnitudinis & crassitiei ipsorum pendet inæqualitas. Digitorum anterior pulpa simul cum ungulis in unam coaluerat substantiam duram atque corneam, ut vix aliquid sine magno impedimento manibus suis contrectare aut arripere valeret.

Vernô nuper tempore alterius manus singuli decidêre ungues, qui dein sensim succrescebant sponteque regenerabantur. Cùm aliquando unum ex illis vacillantem fortiori nisu & vi vellet detrahere, multum inde stillavit sanguinis: In pedum digitis nihil tale apparet, sed commode satis incedit. Atque hæc est vera unguium talium monstrosorum historia; nunc etiam breviter eorum indicanda esset curatio, & quibus auxiliis commode illa posset fieri, cum non sit primæ conformationis malum; aft cum ad Therapiam hæc potius spectet, cordatioribus aliis atque prudentioribus Medicis lubens eam relinquo. Interim qui plura de his nosse cupit, adeat, si placet, §. 33. *Onychologiæ nostræ Curiosæ* ante aliquot annos *Jenæ editæ*, ubi similis in leprosa unguium recensetur status, ut & *curiosas obs.* 160. *D. Gregor. Hillingii Decur. II. Ann. I. Miscell. Acad. Nat. Cur. atque* 162. *obs. D. Ern. Fridem. Schelhasii ejusd. Decur. Ann.* 3 *seq. una cum doctissimo scholio aliosque.*

(*Hafniâ Noribergam An.* 1706. *missa.*)

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. SAMUELIS STEURLINI.

Examen Urinæ per ponderationem.

Diu fui anxius in praxi meâ medicâ, quomodo experiri possit Medicus naturam in morbo vel succubituram, vel non? ne Medici labores & ægrotantium sumtus sint planè inanes. Sæpissimè enim accidit Practico, ut dubitet ratione spei reconvalescentiæ, patiens verò præter omnem spem reconvalescit, quandoque

doque optimam fovet ſpem, cum tamen patiens citò moriatur, id quod frequentiſſimè fieri ſolet in febribus, morbis acutis, & quibusdam chronicis, veluti obſervationibus aliquando declarabitur. Tandem ut hac in re dubiâ me facerem certiorem, ſingula conjunxi ſigna medica, phyſiognomica, pathologica, pulſum, lotiumque humanum, nihil tamen niſi probabile exinde formare potui argumentum, quod ſcil. probabiliter funeſtum ſit ſignum lotii, quando notabili peccat craſſitie, diſcoloratione, inſeparabilitate quoad contenta, & ſenſibili gravitate ex ſpiritus vitalis defectu: Unde ut incrementum & decrementum vitalitatis accuratius examinetur, certiusque poſſit concludi vel ad ſalutem, vel ad mortem, ipſum ægrotantis lotium accuratiſſima examinavi libra, ubi mira quoad gradus incrementi & decrementi morbi atque vitalitatis obſervavi, prout ſcriptum meum Gothæ typis publicatum multis declarat exemplis, cujus titulus: **Von dem bishero ſehr verachteten** Signo phyſico, **dem Urin etc.** cum mantiſſa de Examinatione rerum, præprimis urinæ humanæ per pondus. Quia verò ipſo in Tractatu Inſtrumenti figura ſuis cum requiſitis eſt omiſſa, eandem breviſſimis ita deſcribo: Libra ſit exactè ſtructa, quò etiam ſedecimam grani partem notare poſſit, vitra verò ſint bina cryſtallina, hujus formæ & magnitudinis, in fundo lata, figuræ pyramidalis, in medio colli maximè anguſta cum foramine in latere colli, in orificio inſtar infundibuli formata, quò eò meliùs liquor poſſit infundi, alterum altero ſit levius, levius adjectione pulveris vitri accuratiſſimè cum altero aſſimiletur, urina ſani hominis perforato immittatur vitro, usque dum aliquid ex foramine vitri profluat, tunc cautè concutiatur vitrum cum urinâ, ne aliquid in foramine ſuperflui hæreat, purgetur probè ab externis impuritatibus, ne exinde examinatio reddatur falſa, tunc bina vitra libræ imponantur, æqualia reddantur adjectione pulveris



fragmentorum vitri & obturamento ex ſubere, factâ æqualitate alterum vitrum fragmentis vitri ritè gravatum exactiſſimè claudatur obturamento ſuberis & reſervetur, tanquam fundamentum examinationis liquidorum, inprimis verò lotii humani. Bina hæc vitra accuratiſſimè in loco clauſo retineantur, ne impura reddantur: Hiſce citiſſimè absque labore atque moleſtiâ quilibet liquor, ſpiritus, aqua, fons &c. præcipuè verò urina humana poteſt examinari ad cognoſcendam increſcentiam & decreſcentiam valetudinis, vitæ, graduum morbi, & appropinquantis mortis, quod cuique proficuum, cui modò ſanitas curæ cordique eſt.

(*Siluſiâ Auguſtam Vindel. d. 20. Julii An. 1706. miſſa.*)

Ad majorem hujus Obſervationis illuſtrationem, atque in gratiam eorum, qui præfatum libellum non viderunt, aut linguæ Germanicæ notitiam non habent, lubet ea, quæ Anno ſeq. d. 9. Aug. Exc. D. Author ad Excell. Dn. Præſidem ſcripſit, ſubjungere: Urinæ ponderis examinatio, veluti & hujus ſubſtantiæ, contentorum, colorumque rationalis perſcrutatio Medicum omninò certiorem faciunt vel futuræ ſalutis, vel mortis, morbi incrementi ac decrementi; ex. gr. Puer 12. penè annorum diu ſcabie humida debilitatus, tandem ſentit diarrhœam eo tempore epidemicam, hanc reſtrictam ſequitur anguſtia pectoris, debilitas cum febre & deliriis quibusdam ſumma; adhibentur confectiones confortantes, anodynæ, & magno juramento promittitur à quodam ſpes ſalutis; urinæ pondus quinque granis penè ſuperans ſanæ gravitatem privatim examinatum, ſicut & color urinæ obſcurus, craſſus, ejusdemque contenta indigeſta, vel peſſimè ſecreta indicabant naturæ interitum ab internè oppreſſis ſpiritibus, qui & ſubſecutus fuit ſpacio octo horarum, cum alii ſalutem juratò promitterent. Sic eoipſo tempore febris epidemica catarrhalis maligna virum mediæ ætatis periculoſiſſimè afficit, cum ſingultu continuo, expuitione viſcoſitatis, & ſignis externis futuri interitus naturæ, urinæ verò pondus notabat poſt

uſum

uſum frequentem ſalis volatilis pectoralis loco gargarismatis in aquâ calidâ, & poſt propinationem copioſam mixturæ ſ. theriacal. cum Sale vol. C.C. vel fl. Sal. Ammon. ſpem ſalutis, nunquam enim ſuperabat granis $2\frac{1}{2}$. urinam ſani, etiam ubi omnes deſperabant, urina decumbentis apparebat levior cum ſignis digeſtionum, & promittebat ſalutem, quæ etiam ſubſecuta præter omnem adſtantium & reliquorum opinionem. Simili modo quotidiè multorum decumbentium gradus quilibet morbi vel cum ſpe ſalutis, vel cum metu mortis examinabantur per pondus urinæ, ſepoſitis ob penuriam temporis aliis ſignis omnibus, ex ſubſtantiâ, coloribus & contentis urinæ, uti citiſſimè adhibitis tantùm quibusdam ſpecificis; & urinâ ſpiritualiori & volubiliori factâ, parcius ſimplicia ſupradicta propinabantur remedia ob præſens morbi decrementum: unicum verò mihi accidit exemplum, contrarium quoad examinationem ponderis urinæ; ſcil. patiens quidam ſenex periculoſiſſimè febre graſſante malignâ decumbens ob deſtructionem ſpirituum vitalium ex motu & impeditâ expulſione malignitatis, poris aëre libero occluſis, poſt uſum mixturæ ſimpl. cum ſale febr. & cinnab. ſentit maximum levamen, ſudorem, ſomnum, pulſum fortem non declinantem ad interitum; ex improviſo verò mutatis his omnibus, facies Hipp. pulſus debilis, ſudores frigidi, oculi pallidi proximè futuram indicant mortem, ſimul ac contenta, ſubſtantia, & color urinæ ratione craſſitiei & defectus digeſtionum: pondus verò urinæ ſanam non ſuperabat niſi tribus granis, interim tamen moriebatur patiens dimidii diei ſpacio: rationem ponderis urinæ mortem adhuc non ſignificantis reperio in oppreſſione ſpirituum letali ab extra per refrigerationem, inque malignitatis repulſione ab extra ad intra, ubi ſpiritus vitales internè tardius deſtruuntur, in quo caſu frequentius urina eſt ponderanda, & ſi de horâ ad horam increſcit pondere, certiſſima ſequitur mors, ſi verò non, adhuc ſpes ſalutis præſto eſt.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. GEORGII CHRISTOPHORI PETRI AB HARTENFELS.

De

Calculosi anatome.

NUperrime exenteravi miserum calculosum, nempe Perillustrem quendam & generosissimum Dn. Colonellum, Johannem à Morstin, qui per quatuor annos, & quod excurrit, horribiles passus est calculi & hypochondrii dextri dolores, cum frequenti & ferè assidua mictione cruenta: huic cum aliquoties suaderem medicamenta ad calculum curandum idonea, recusabat illa & præcisè negabat, se calculo laborare, accusabat autem obstructiones sibi familiares: plurimorum Medicorum simul consiliis usus tandem fato concessit: sectio autem post obitum à me administrata docuit, me à scopo non aberrasse: siquidem ex vesicâ extraxi sex prægrandes calculos uncias septem ponderantes, quorum icones hîc *Fig.* -- adjeci: in dextro verò latere reperiebatur prægrandis massa membranosa mesenterio & colo annexa, variis tunicis succincta, tubulis pluribus atheromaticâ, in quibusdam steatomaticâ materiâ plenis referta, cujus pondus erat librarum quatuor cum semisse.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. GEORGII CHRISTOPHORI PETRI AB HARTENFELS.

De

Mania ex Plica abscissa.

ABhinc aliquot annis curavi quendam religiosum, qui sibi ipsi per imprudentiam absciderat plicam Polonicam: unde brevi post maniacus factus cantillabat varias cantilenas sine intermissione, inprimis notum illum versiculum retrogradum: *Roma*

tibi

tibi subito motibus ibit amor: post septem dierum intervallum & duabus vicibus repetitam venæsectionem, simulque præscripta convenientia remedia, quæ vel prorsus aversabatur, vel intractabilis ægerrime assumebat, animam Creatori reddidit, delirio tamen brevi ante obitum remittente.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. GEORGII CHRISTOPHORI PETRI AB HARTENFELS.

De

Tertiana vomitu ex nausea curata.

VIsitavi aliquando magni cujusdam Principis Ephebum febre tertiana laborantem: hic ad vomitum alioquin non proclivis, cum pulverem emeticum ipsi exhibere vellem, ex solo illius aspectu (fastidiebat enim extreme omnia medicamenta,) enormes patiebatur vomitus bilioſos per aliquot horas, & vix compescibiles, unde factum, ut mediante hac antipathia sua sponte evacuaretur causa morbifica, febre statim cessante, nec ullo paroxysmo revertente.

(*Erfordiæ Augustam Vind. d. 26. Julii An. 1706. missa.*)

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. CHRISTOPHORI DANIELIS MEZGERI.

De

Glandulis ex mamma excretis.

ANni jam effluxerunt tredecim & plures, cum Fœmina quædam ictu pugni violentiori fortè & inopinatò mammam dextram percussisset; sensit exin dolorem quendam pungitivum in eo mammæ loco, tribus vel quatuor digitis à pupillâ fermè per trimestre, sine tamen tumore aut rubore; attamen iste dolor dein remisit, nec ipsa quicquam posthæc perpessa est; Au-

tumno

tumno præterito recruduit dolor à tot jam retrò annis mutus, accedente tumore quopiam ad magnitudinem nucis juglandis mediocris ſenſim accreſcente, apparentibus ſimul ulcuſculis binis minutiſſimis ichorem ſubinde paululùm flaveſcentem ſtillantibus: Petiit ſuper hæc conſilium meum; ego glandulam unam alteramve mammæ ſcirrhoſam judicavi, quippe venas circumcirca lividas aut turgidas nullas (cancri ſignum) obſervare potueram; fotum proin ordinavi ex aqua ſoordii, pini, fumariæ, aqua calcis vivæ, myrrha & cineribus cancrorum fluviatilium calidè applicandum, os ulcuſculi unius ſenſim poſt hæc dilatabatur, & maſſa albicans ſolida compacta, glandula nempe ſcirrhoſa viſui ſeſe offerebat, quæ tandem poſt quatuordecim circiter dies ultro citroque procidebat, remanente in eo loco mammæ foveâ coloris carnei, floridi, naturalis, & tumore multum diſparente. Sed & alterum quoque ulcuſculum eodem modo tempore aliquo poſt dilatabatur, & ſimilem maſſam glanduloſam tandem evomebat. Tumor & dolor continuato hoc fotu remiſerunt, & cutis integre ſine ullis aliis adhibitis conſolidata fuit. Ante trimeſtre circiter dolor quidam priſtinum locum ſubinde pungebat, ſed repetito iterum fotu mox cedebat, & ægra nunc nil amplius ſentit.

(*Ratisbonâ Auguſtam Vind. d. 24. Auguſti An. 1706. miſſa.*)

OBSERVATIO XXXVIII.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS.

De

Recto radicis Ipecoanhæ & Emeticorum in Dyſenteria uſu.

SPecifica morborum remedia exiſtere, quæ non mediante quaSpiam evacuatione aliove reſpectu ad hanc aut illam indicationem curativam, ſed arcana quadam & non facile explicabili proprie-

prietate, ut *Boylæus tract. de spec. remed. concord. oper. Tom. 2. p. 4.* loquitur, morbos abigant, nemo negabit. Hæc verò ipsa quo minus magis magisque excolantur, & medicina ad summum perfectionis gradum ducatur, non una causa est, quas inter primariam cum *Illustrissimo Leibnizio, Relat. de Novo Anti-dys. Americ. p.* 12. arbitror, quod immodicæ simplicium commendationi adeò assueti simus, ut nisi descriptor multum & diu inculcet virtutem plantæ, vix serio aut vix certe ex usu rerum, sed magis ex relatu scripsisse judicemus, adeoque plantæ nil singulare tribuamus.

Inter specifica ejusmodi nostro ævo Ipecoanha inclaruit, de qua quamvis integri præclarorum Medicorum tractatus atque etiam in Miscellaneis nostris observationes jam exstent, tamen & mihi, quæ Anno 1701. circa usum ejusdem observavi, hoc loco in exemplis quibusdam referre liceat. Vir triginta annorum copiosæ expectorationi assuetus ac cœtera sanus, nisi quod interdum dolores in sinistro hypochondrio perciperet, die 24. Jul. post prægressum dicta in regione insignem dolorem, rigoremque subito per alvum liquida & spumosa excrevit, subsequente æstu cum pulsu febrili, siccitate oris & præcordiorum tensione. Excretiones continuant per quatuor dies, singulis horis duæ vel tres, cum ramentis sanguineis, non tamen multis, nec absque torminibus. Die quarto ad ægrum vocatus ordinavi drachmam unam radicis Ipecoanhæ, tribus dosibus sumendam. Primam sumsit vesperi hora 5. quam statim cum maximâ anxietate per vomitum iterum rejecit, atque una multam crassam & viscosam pituitam, excretiones verò alvinæ cessabant, ac de nocte benè dormivit. Altero mane iterum sumsit scrupulum, iterumque vomuit, optimè verò habuit, pulsus naturalis, excretio alvi nulla. Jussi igitur restantem adhuc scrupulum in duas partes dividere, unamque sumere hora secunda pomeridiana, alteram verò octava vespertina. Ab utraque autem dosi iterum vomuit vehementer, ut vomitus per totam noctem continuaret, alvi tamen adstrictio perstitit, nisi quod mane liquida ac biliosa deponeret, pau-

xillo sanguinis sub finem excretionis cum levioribus torminibus. Interim dolores jam in dextro hypochondrio percipiebat, cum tensione in scrobiculo cordis, ut simul difficulter inde respiraret. Præscripsi itaque pulverem stomachalem cum præcipitantibus combinatum, quibus aliisque sensim convaluit.

Puero cuidam unius anni cum molares prorumperent, fluxu alvi sanguineo cum febre laboranti, drachma semis quatuor vicibus propinata nauseam & leniorem vomitum semper movit, sanguineasque excretiones stitit, ad alvi tamen adstrictionem procurandam alia adhuc in usum trahenda erant.

Mulieri sexaginta & aliquot annorum, dysenteria correptæ, cum febricula vertigine & vigiliis, præscripsi drachmam duabus vicibus sumendam, ex utraque dosi vehementer vomuit, multam pituitam viscosam & sedes alvi etiam in magnâ copiâ continuarunt. Altero die Ipecoanham in pillulas redegi cum tragacantha & syrupo absynthii, ita ut singulis horis aliquot sumeret, & iterum post assumptionem cujuscunque doseos, vehementer vomuit, alvique stimulum percepit, absque tamen succedente excretione. Deterritus ergo vehementia medicamenti nimis commoventis, adstringentia cum stomachicis adhibui, quibus convaluis.

Juveni 25. annorum calidioris & siccioris temperamenti, arthritidique obnoxio, die octavo Novembris & morbi dedi drachmam dimidiam Ipecoanhæ, quam vomitus cum maximâ anxietate & copiosa pituitæ æruginosæ excretione excepit, ut & hic ab ulteriori medicamenti hujus propinatione desisterem, præsertim cum sub idem tempus increbesceret, in vicinia Nobili cuidam Dysenterico mediæ ætatis à Medico suo propinatis per aliquot dies medicamentis vomitoriis mortem acceleratam, cui sine dubio eadem Ipecoanha exhibita fuerat. Et Pharmacopœus noster ex similitudine cum radice asari forte asarum quoddam seu serpentariam virginianam à seplasiario substitutam suspicabatur.

Ipecoanham autem emetica vi pollere jam pridem incolis ipsis

ipſis Americanis innotuit, ceu qui ad exturbandum ſive aſſumptum venenum, ſive ſaburram quandam cacochymicam circa præcordia hærentem eandem ea propter in uſum primum traxerunt. Cumque vis emetica ſingularis planè exiſtat, utpote viſcerum corroborationem ſimul procurans à ſedulo Exoticorum Scrutatore, *Paulo Hermanno*, meo quondam in Botanicis Lugduni Batavorum præceptore, in febribus quoque intermittentibus uſurpata eſt, quas absque metu recidivæ curat. Imitatus eundem eſt *Illuſtris Wedelius Diſſ. inaugur. de Ipecoanh. p.* 37. inque hypochondriaco, maniaco, pleuritico, affectibusque quibusdam præcordialibus pro vomitorio non minori cum ſucceſſu exhibuit, ac ab eo tempore radicem hanc Emeticum claſſicum, præcipuum ac polychreſtum pronunciat, communi conſenſu pro officinali habendum.

Quanta autem Vomitoriorum in curandis alvi fluxibus utilitas exiſtat, jam ab *Hippocrate Sect. VI. aph.* 15. & *lib.* 2. *de morbis* indicatum eſt, idque ex eâ ratione, quod humores acres ab Inteſtinis revellantur, hæc ipſa verò exhauriantur & ſiccentur, ut Commentatores *Johannes Heurnius* & *Sponius* addunt. Hippocratis effatum, utpote ab experientia deſumptum, ſecuti practici inſigniores Vomitoriorum uſum in curatione ejus Dyſenteriæ ſpeciei propoſuerunt, in qua ſuperiora Inteſtina inflammationem non patiantur, quæque non maligna exiſtat, aut etiam à malâ diætâ ſaburraque quadam in præcordiis latente ortum traxerit, ut in plebejis ac militibus, quos maximè affligit morbus hic. *Hildanus lib. de Dyſenter. cap.* 8. *Op. p.* 683. *Sennertus l.* 3. *prax. p.* 352. *Rollfincius l* 7. *ord. & method. conſultator. p.* 668. *Ettmullerus Coll. pract. Op. Tom.* 2. *p.* 154.

Confirmant methodum hanc exempla particularia adoleſcentis apud *Riverium cent.* 3. *obſ.* 9. qui cum nullo remedio curari poſſet, die 12. morbi ſumpta Salis Vitrioli drachma una, rejectisque per vomitum multis biliosis ac pituitoſis humoribus evaſit: Virorum ab *Excellentiſſimis*, *Valentini Miſc. Dec.* 2 *Ann.* 2. *obſ.* 168. *Ledelio* & *Hoyero Dec.* 3. *Ann.* 3. *obſ.* 15. & 51. reſti-

tutorum; quæque ab *Illustri Dn. Præside in Misc. Dec.* 3. *Ann.* 9. *App. p.* 33. de curatione dysenteriæ Augustanæ recensentur.

Quibus ita præmissis Ipecoanham statim sub initium morbi, in corpore eusarco, pravæ diætæ assueto, nulla inflammatione in Intestinis existente, integrisque adhuc visceribus juxta methodum ab *Illustri Valentino polychrest. Exot. Disput.* 2. *c.* 4. §. 2. propositam non absque successu usurpari, malique ominis cum *Turnefortio in Act. Lipsi. ann.* 95. *p.* 13. arbitror, si post specifici hujus assumptionem vomitus nullus insequatur, vel quoque nulla copiosior alvi excretio, quæ non raro loco vomitionis contingit. Hoc casu enim ea ventriculi constitutio adest, ut medicamentum in actum amplius deducere non valeat, & natura ipsa quasi succumbat, haut secus ac post applicata vesicatoria malis ægri rebus aut nulla vesica excitatur, aut vesica tantum instar ovi subventanei inanis, nulloque humore stillans sequatur, *Grassius Misc. Dec.* 3. *Ann.* 5. *obs.* 14. aut cutis tantum corrugetur, *Helwichius Misc. Dec.* 3. *Ann.* 7. *obs.* 201.

Quamvis verò Ipecoanha non nisi prævia, ceu dictum, evacuatione dysenteriam curet, non minus tamen specifici contra hunc morbum aliosque alvi fluores nomen mereri certum est, cum post vomitionem tale robur intestinis radicis hujus virtute concilietur, quale ab aliis emeticis exspectari non potest, nec unquam observatum est.

(*Hildesio Augustam Vind. d.* 12. *Septembr. Anno* 1706. *missa.*)

OBSERVATIO XXXIX.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Verminoso Abdominis Tumore.

ADolescens Annor. 14. post dolores circa umbilicum in Abdomine internè subortos, febre continua 14. diebus laboravit; hinc apparuit quidam tumor mollis distans ab umbilico ad

tres

tres digitos in parte dextrâ, & hoc in abscessum mutato, absque ullo chirurgico auxilio, sanies in magnâ effluxit quantitate & copiâ; hinc post aliquot dies vermes plures teretes viventes exiere mediocris magnitudinis; Abscessus verò post eruptionem quamvis validiora ac præstantiora per expertissimum Chirurgiæ Professorem ad curationem vocatum, remedia adhibita fuerint, neutiquam tamen ad perfectum statum salutis restitui ac redigi potuit; quia materies ichorosa, & putrida assiduè emanabat, ex quo magna ac summa emaciatio supervenit, cum virium jactura; unde tandem miserè ex hac vita in æternam migravit Patiens. Aperto post obitum cadavere, statim sublatum fuit dubium de loco, ubi lumbrici memorati fuerunt producti; fuit enim notatus, & diligenter observatus canaliculus quidam membranosus calami scriptorii magnitudinem, & latitudinem quatuor digitorum adæquans, ducens originem à tunicâ internâ intestini Ilei usque ad peritoneum protensus, per quem vermes ab intestino transibant, & per abscessum apertum exitum sibimetipsis parabant; Ex hac observatione confirmatur opinio illorum Doctorum, qui dicunt in nostro corpore humano de facili posse produci diversas concretiones, membranosas nimirum, carneas & novos ductus, & receptacula juxta nostri corporis indigentiam pro variis usibus exequendis.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Puella nata cum variolis.

NArrat Clariss. D. Franciscus Mauriceau, Chirurgus Parisinus, in suo Tract. de morb. Gravid. & Puerperar. lib. 1. cap. 2. se ortum fuisse variolis affectum, quod licet rarissimum sit, attamen aliquando accidit, ut ego observavi ter in praxi meâ; & præcipuè Anno elapso 1705. mense Octobris die quarto in puella, quam octimestrem peperit Uxor cujusdam Fabri ferrarii Ferrariensis, morbo acuto detenta, quæ scilicet filiola in auras vita-

les edita comparuit toto corpore variolis fœdato, magna & matris & parentum admiratione; mortua autem est hæc puella tertio à nativitate die.

OBSERVATIO XLI.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Menstruis vomitu evacuatis.

Historias vomitus sanguinis menstrui varias legimus, quibus hsequentem addere mihi nunc liceat. Anno 1700. Mense Junii vocatus fui ad visendam filiam cujusdam Mercatoris nostri Ferrariensis Annorum 24. quæ à tribus mensibus suppressionem menstruorum passa, petebat auxilium; purgato corpore, & bis misso è vena pedis sanguine, vomitu sanguinis tentatur per vices repetente, ita ut intra quatuor dierum spatium libras penè quatuor cruoris evomuerit; Iterum mensibus sequentibus per vomitum catamenia fluxere; donec tandem meo consilio conjux facta, ac brevi gravida non amplius talem vomitionem est experta; nunc sana vivit, & plurium filiorum est parens; similes casus videat curiosus Lector in Miscellan. Acad. Nat. Curios. Ann. 4. & 5. Decur. 1. pag. 63. Ann. 6. & 7. ejusd. Decur. pag. 83. Ann. 2. Dec. 2. pag. 251. & alibi & præsertim Apiar. Clariss. D. Harderi obs. 22.

(*Ferrariâ Augustam Vind. An. 1706. d. 2. Octob. missa.*

OBSERVATIO XLII.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Catameniorum fluxu non assveto tempore in variis Fœminis.

In Praxi medica facienda multas observavi mulieres post quinquagesimum ætatis annum menstruo fluxu ordinata periodo præditas, aliasque puellas, quæ ante decimum ætatis annum catame-

tamenia viderunt; Sic Famula quædam Monialium est hic Ferrariæ septuagenaria, quæ quovis mense fluxum patitur menstruorum spatio quatuor dierum perdurantem; Pariter Uxorem cujusdam Judæi novi annorum 69. menstruatam; Idem observavi in honestâ Viduâ annorum 72. & in quadam Rusticâ annorum 67. & in aliis multis annor. 55. & ultrà; Vidi pariter filiolam sarcinatoris annorum quinque catameniorum fluxum patientem; similiter filiam Civis cujusdam nostri annorum septem menstruatam observavi; ac de alia quatuor tantum annorum idem notasse fassa est mihi nuper obstetrix fide digna.

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Acicula deglutita cum urina excreta.

Puer quidam annorum quatuor, filius Fabri lignarii Ferrariensis, invenit humi jacentem aciculam in quodam cubiculo, eamque deglutivit; Desperati parentes me in consilium vocant, statimque jussi, ut pastam triticeam cum butyro coctam, aliaque oleosa & pinguia exhiberent, ut sic invisçata acus deglutita sine noxâ per alvum expurgaretur, quare sub vesperam Conserv. ros. & Cassiæ recens extract. ana ʒij. propinavi; Verum natura, quæ sola vias nobis incognitas adhuc in corpore humano cognoscit, ac stato tempore aperit, per vias urinæ aciculam sine ulla puelli noxa dimisit magna parentum admiratione, & hoc secunda die à deglutitione acus. Similia exempla rerum scilicet deglutitarum, per insolitas vias è corpore humano ejectarum, passim leguntur apud nostros Autores, & præsertim apud Joh. Schenckium lib. 3. Hildanum, Alexand. Benedictum, Langium, Helmontium, Christ. Frid. Garmannum, Diemerbroek; & alios tam antiquos, quàm recentiores.

(*Ferrariâ Augustam Vind. d. 17. Sept. An. 1706. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMüLLERI.

De

Fœmina gravida, Anasarca laborante, multum purgata sine noxa.

FOemina 40. Annorum patiebatur appetitum prostratum, lassitudinem, abdominis tumorem, faciei colorem pallidum, ejusque cum artubus tumorem. Pulsum habebat parvum, urinam reddebat tenuem & aquosam. Accersitus ad eam, sedulo sciscitabar, num gravida esset? id cum constanter negaret, siquidem ex nullo signo imprægnationem hariolari valebat, propinavi purgans ex jalappa & nitro depurato; unde decies dejecit aquosas fœculentias cum euphoria. Interpositis quibusdam medicamentis amaris & diureticis, cum omnis nondum evanuisset tumor, ut eundem ordinarem pulverem purgantem, multis me efflagitabat precibus misera, summum se exinde iterum percepturam fore levamen rata. Id quod annuebam, & eodem cum successu operabatur pharmacum. Tertia vice paucis diebus post, me inscio, à pharmacopola petit purgans, ex quo ultra 20. habuit sedes. Continuatis sic amaris convaluit. Sed interjecto mensis spatio me accedit, narratque gravidam se esse, & medium jam ingravidationis tempus superasse, siquidem enormem fœtus motum percipere se referebat. Debito igitur tempore sanam atque vegetam enixa est filiam, quam ex sacro baptismi lavacro suscepi.

SCHOLIVM.

MUltum sæpe negotii facessit Medicis hydrops, dum eum ab imprægnatione distinguere gestiunt. Quandoque enim usque adeò conceptionis veræ latent signa, ut pro hydropicis habeantur, quæ tamen imprægnatæ sunt. *Franciscus* enim *Mauriceau des Maladies des femmes grosses Libr. I. cap.* 1. bina refert exempla fœminarum per 6. vel 7. menses drasticis medicamentis vexa-

vexatarum, donec fœtum in lucem pepererint incolumem. Alia exempla lege apud *D. Riedlinum Linearum Med. Ann. VI. pag.* 121. & 943. Sic superiori anno apud nos honesta mulier, quæ per 4. annos sterile egerat conjugium, præter alia Symptomata abdominis molem sensim increscere sensit, menses quidem erant suppressi, sed nullum præterea aderat imprægnationis signum, usque adeò ut Medicus, ejus curam gerens, septuagenario major paucis ante partum diebus dixerit, æque impossibile esse, ut ipse sit gravidus, ac ista fœmina. Ut taceam talia exempla mulierc-ularum, quæ ex furtivâ venere conceperunt, ac etiamsi fœtus motum manifeste percipiant, id tamen constanter negant, sicque studiò imponentes Medico hydropicas se fingunt. Vid. *Foresti Lib. XXVIII. obs. 59. in Scholio.* Econtrario non raro verus fœminas torquet hydrops, sub cujus tamen larva fœtum latere Medicus, sed frustra veretur. Scythæ enim non solùm mulieres juxta *Hippocratem de Aere, aquis & locis* hac ratione decipiuntur, sed nostratibus idem contingere fatum *Bartholini* testatur *historia 6. Libri III.* & *Zacchias Quæst. Medico-Legal. Tom. III. Cons. 26.* Nec rari sunt casus, ubi cum vera ingravidatione hydrops combinatur, quales reperiuntur apud *Hildanum Cent. II. obs. 56. Schenkium observ. Medicinal. Lib. IV. obs. 15. Foresium Lib. II. de incerto ac fallaci urinarum judicio. Mercurialem de Morb. Mul. Lib. I. cap. 2. Dodonæum obs. 49. in Schol. Primerosium Lib. II. cap. 7. Gockelium Lib. II consil. 35. Platerum Lib. III. Observat. p. 637.* aliosque. Et tum certe non semper & ubique purgantibus atque diureticis, quæ præsentissimi alias observantur esse præsidii, in hydropis cura uti licet. Verendum enim foret, ne virulenta purgantium qualitas nutrimentum fœtus corrumpat, & acrimonia uterum, intestino recto contiguum, vellicando hunc ad sui contractionem, sicque fœtus ante tempus expulsionem stimulet. Innoxiè tamen purgantia quandoque ferre gravidas, præter nostrum casum aliorum docent observationes Medicorum, e. g. *Rhodii Lib. III. obs. 15. Zacuti Lusitani Medic. Princip. Hist. 14. Lib. III. & Praxeos admirandæ Lib. II.*

obſ. 144. *Renealmi obſ. Med. rar.* 148 *&c.* Scilicet obſervanda eſt regula divi noſtri *Coi ſect. IV. aph.* 1. *Prægnantes*, dicentis, *purgabis, ſi materia turgeat, quadrimeſtres & usque ad ſeptimum menſem, ſed has parcius; Juniores autem & ſeniores caute purgare oportet.* In hydrope enim turget & abundat omninò materia ſeroſa, & ad ſecedendum maximè eſt idonea. Nec tamen lenientia & laxantia primis tribus menſibus incongrue propinari poſſunt, modo abſtineamus ab aloë & caſſia; ab illa quidem, quia venas reſerat, ab hac verò propter flatulentias & tormina, quæ patrat. Et quidni Naturæ Miniſter debitis ſub cautelis diarrhœam ejusmodi quaſi artificialem concitet, cum ipſa natura in gravidis talem ſubinde ſine noxa paret. Quanquam enim juxta effatum *Hippocratis ſect. IV. aphor.* 1. *Mulieri uterum gerenti, ſi alvus multum fluat, periculum ſit, ne abortiat*; tenendum tamen, *quod Nævius apud Scholzium Conſil.* 340. inculcat: *Ubi videris fluorem ad ſiſtendum inobedientem, ne multum urgeas; ferunt enim nonnunquam prægnantes ejusmodi evacuationes usque ad partum citra noxam: uti contigit in uxore fratris mei, quæ prægnans per 4. menſes ſanguinolentas dejectiones etiam cum raſura inteſtinorum paſſa eſt, nec ullo medicamento ſiſti poterat, tandem excluſo fœtu ſano & incolumi ſponte ſua intermiſit.* Id quod pariter *Platerus Lib. III. obſervat. pag.* 855. *& Bonettus Pharos Medicorum pag.* 564. confirmant.

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMüLLERI.

Certum & infallibile imprægnationis ſignum.

ANna Maria, Pauli Heerbecks/ calceis reſarciendis operam navantis uxor, quotiescunque concepit, & antequam alia ingravidationis ſigna compareant, ſanguinem ex bregmate ſiniſtro extillare percipit, qui fluxus licet ſat copioſus ſit, innoxiè tamen eundem ad partus usque tempus fert, ubi ſponte ceſſat.

SCHO-

SCHOLIUM.

QUam difficile sit, ab hydrope ingravidationem dignoscere, in superioris observationis Scholio monitum fuit. Sed nec certa adeò in genere conceptionis signa primis potissimum mensibus existunt, quin vel falsa, vel fallacia, & aliis morbis communia eadem, atque experimenta, circa hanc rem commendata valde periculosa sint. Inde enim fit, non modo ut quæ revera in utero conceperunt, variis morbis conflictari credantur, prout fatentur observationes variæ, e. g. *Zacuti Lusitani Praxeos admir. Lib. II. obs.* 148. *Zacchiæ Quæst. Med. Legal. Tom. III. cons.* 26. *pag.* 40. *Miscell. Nat. Curios. Dec. I. Ann. I. observ.* 45. *&c.* verum etiam ut illæ, quæ neutiquam existunt gravidæ, ad partus tamen dolores urgeantur, conf. *D. Riedlini Lin. Med. Ann. V. pag.* 1004. Multominus sexum embryonis prædicere quidam, ut gloriantur, poterunt, *Hippocratis* effato *Sect. V. aphor.* 48. *Fœtus mares dextra uteri parte, fœminæ siniſtra magis gestantur*; decepti: siquidem hoc ipsum *Thomas Bartholinus Cent. V. hist.* 88. propriæ & Brasavoli uxoris exemplis refutat, & animalium sectiones juxta *Benedictum Veronensem Lib. XXV. cap.* 7. redarguunt, dum sæpenumero evenit, ut eâdem in parte uteri gemini, mas & fœmina gerantur. Et novi ego fœminam, quæ utriusque sexus liberos in lucem produxit, omnes tamen in dextrâ parte conceperat. Asseverare tamen ausim, dari in quibusdam individuis certa & infallibilia ingravidationis signa; quemadmodum *Guillemeau dans l'heureux accouchement Lib. I. cap.* 11. refert de fœminâ, quæ à primo, quo concepit die vomitus pati solebat, continuatos, donec fœtum iterum enixa esset. Sic novit *Fernelius Lib. V. Patholog. cap.* 3. non paucas mulieres, quæ quoties uterum gestabant, crebrò epilepsiâ corruebant, à qua alio tempore liberæ existebant. Et *Panarolus Iatrologism. Pentecost. V. obs.* 46. fœminam allegat, in qua, quoties utero gerebat, statim primis mensibus vena tumens in femoris interna parte prope genu apparebat. Porro *Ballonius in Consil.* 40. scho-

lio teſtatur, quod mulier quædam continuis cephalalgiis vexata ab iisdem extiterit immunis, ubi conceperat. Spectat huc obſervatio Sauleji in fœmina, quæ non niſi gravida herniam uterinam eſt perpeſſa, vid. *Zodiac. Med. Gallici Ann. III. p.* 52. item *Plateri Lib. III. obſerv. p. m.* 638. de muliere, quæ quoties imprægnata erat, in aſcitem incidebat, ut & *Salmuthii Cent. II. obſ.* 54. referentis, fœminam ſingulis imprægnationibus crebros vomitus materiæ purpureæ, ſubcraſſæ & copioſæ paſſam eſſe; ac tandem *Hildendornii in Hiſtor. Medico-Phyſ. Cent. I. hiſt.* 91. in fœmina, quæ quoties uterum gerebat, hoc ſibi proprium habuit, ut circa quartum & quintum geſtationis menſem levi de cauſa nihil tale cogitans in planitie etiam in terram deciderit, alioquin nec epilepſiæ nec lipothymiæ obnoxia. Atque huc denique & noſter caſus eſt referendus. Nec culpandus forſan ero, ſi dixero, poſſe quandoque certo præſcire mulieres quasdam, cujus ſexus fœtum geſtent; Edoctus hoc fui exemplo materteræ meæ, quæ octies jam peperit, prima vice filiam, ſecunda, tertia, & quarta filios, quinta & ſexta filias, ſeptima filium, octava filiam; quoties igitur filias conceperat, nihil extraordinarii quoad uterum notaverat, aſt ſemper quoties filios geſtabat, ultimis geſtationis menſibus inſignem uteri prolapſum paſſa eſt; quemadmodum & aliam novi fœminam, quæ quoties filium enitebatur, toties lactando lacte abundare ſolebat, dum verò filiam peperit, parciorem longe lactis proventum experiebatur. Quod hæmorrhagias attinet, quas perpetiuntur frequentius gravidæ, proſtat equidem Hippocratis aphorismus 60. ſect. V. *Si prægnanti purgationes menſtruæ procedunt, bene valere fœtum, eſt impoſſibile.* Excipiuntur tamen ab hac regulâ plethoricæ; ſiquidem quotidiana docet experientia, ſolvere quasdam mulieres tributum lunare, non primis ſolum menſibus, ſed per totum quandoque geſtationis tempus absque ullo tamen abortus metu. Sic & reliquas hæmorrhagias uteri, modo non cum diſruptione ſecundinarum ab utero contingant, gravidis & fœtui minus exiſtere funeſtas quotidie docemur. Talia exempla leguntur apud *Blegny in Zodiaco*

diaco Medico-Gallico Ann. II. pag. 141. *Thomam Bartholinum in Cent. III. hist.* 13. *Gabelchoverum in Cent. IV. Curat.* 94. & *Horstium in Libr. IV. obs.* 5. *p.* 158. Minus periculosæ observantur hæmorrhagiæ ex aliis corporis locis profluentes. Vomitus enim sanguinis copiosos eosque innoxios annotarunt *Salmuth loc. cit.* & *Scharffius in Miscell. Nat. Curios. Ann. IX. & X. obs.* 6. hæmorrhoidum fluxum enormem absque tamen vel matris vel fœtus noxa *Schenckius observat. Medicinal. Lib. III. pag.* 358. narrat. Hæmorrhagiam mensium per talum *Cummius* in *Miscell. Nat. Curios. Dec. I. Ann. I. observ.* 96. commemorat; & sanguinem per dextram papillam fluentem *Amatus Lusitanus Cent. VII. curat.* 48. recenset.

OBSERVATIO XLVI.
DN. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMÜLLERI.

Cephalalgia ex Lactatione.

VOcabar superiori anno ad fœminam 32. annorum, constitutionis biliosæ, proprium lactantem infantem, tres menses natum, quæ de enormi cephalalgia, quâ puerperii tempore contractâ interdiu atque noctu vexabatur, conquerebatur; somnum propter doloris sævitiem capere neutiquam poterat, sed rabiosæ instar hinc inde transcurrebat, caputque parietibus allidere cogebatur. Varia tentabam, sed omnia frustra, nullum cephalicum, nullum anodynum desideratum edebat effectum; Vesicatorium imponebam vertici, sed absque alleviatione. Infantem tandem ut ablactaret, vel nutrici alii lactandum committeret, suadebam; quo facto sponte cephalalgia cessavit. Ex quo apparet, unicam doloris hujus causam fuisse lactationem. Postquam enim, quicquid oleosi & pinguis sanguini affusum erat, per iteratas circulationes & mediante intestino motu ipsi uniendum, & in blandum ac demulcentem liquorem convertendum, jam pro prole nutrienda sub lactis schemate secretum & excretum fuit, non po-

tuit non ſanguis blandioribus hiſce particulis orbatum acris relinqui, qui cerebri menynges, per quas tranſit, continuo vellicando immenſos ejusmodi dolores poſtmodum patravit. Quemadmodum aliæ fœminæ lactantes acrioribus ſunt expoſitæ oculorum defluxionibus. Ut taceam maciem nutricum, ex dictis facilè deducendam, novi quasdam mulieres, quæ dum lactant, tonſillarum tumoribus & faucium inflammationibus ſunt obnoxiæ. Cum enim unà cum lacte multi ſpiritus eliminantur, nec ſufficiens relinquitur materia pro iis reſarciendis, quemadmodum reliqui humores, ita in ſpecie gaſtricus evadit vappidus, & pro reſolvendis alimentis in ſtomacho minus idoneus; hinc fit, ut loco puri & defœcati chyli cruditates viſcidæ generentur, & ſanguini admiſceantur, quæ, cum per ſubtiles & tenues vaſorum capillarium mæandros penetrare neſciant, ibidem hærent, ſeu ſtagnant, ſicque tumoribus & inflammationibus anſam præbent uberrimam. Et hoc eſt, quod vulgo dicunt: **Das Kind ziehe ihnen Flüſſe zu.**

OBSERVATIO XLVII.
DN. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMÜLLERI.

Ulcus mammarum ex Phthiſi.

FOemina 50. annorum, fabri murarii uxor, bilioſæ conſtitutionis, rixoſa, per aliquot menſes phthiſi laboraverat, excreverat per os copioſa purulenta, fœtidiſſima. Accerſitus ad eam, varia, quæ morbi conditio exigebat, propinabam, malum tamen, quod altas nimis egerat radices, extirpari penitus non poterat. Levamen tamen ex balſami ſulphuris aniſati & pilularum de cynogloſſa uſu optimum ſemper percipiebat. Sed accidit, ut ſenſum punctorium cum duritie in mammâ dextrâ perciperet. Apponebat, quæ olim pro ſuppurando mammarum abſceſſu proficua obſervaverat, domeſtica remedia. Paucis interjectis diebus rumpi abſceſſum obſervat lætabunda, mox ſe convaliturum

ram ſperans. Profluebat enim ex mamma ſimilis materia purulenta, eodem fœtore nares feriens, ac illa, quæ ante per os erat rejecta. Quanquam igitur variis injectionibus ulcus mundificare tentaſſem, paucas tamen poſt ſeptimanas ſuperveniente diarrhœa moriebatur. Similem ſe caſum obſervaſſe mihi tum referebat Magnificus noſter Decanus, Dominus *D. Johannes Bohnius*, in Ædilis conjuge, quæ tamen itidem fatis ceſſit. Ætiologia phœnomeni hujus latere nullum poterit, qui perpendet, contingere frequentius, potiſſimum in phthiſicis, ut pulmones pleuræ ac coſtis hinc inde adnaſcantur, qua facta continuitate p. n. facili negotio puris acrimonia ex ulcere pulmonum ad muſculos intercoſtales penetrans mammarum glandulas arrodere poteſt. Non tamen funeſti ſemper obſervantur ejusmodi caſus. Annotavit enim *Zacutus Luſitanus Prax. hiſtor. Lib. II. cap.* 10. *obſ.* 5. quod phthiſicum quendam tanquam conclamatum & mox moriturum deſeruerit, obortus tamen eidem eſt in ſterni vicinia tumor durus, rotundus, faſtigiatus, qui denique apertus in fiſtulam abiit, per quam continuo virulentus emanabat humor. Sicque æger per quatuordecim annos vitam produxit. Et D. *Johannes Wrigthius* refert *in Act. Philoſoph. Angl. Ann.* 1703. *N.* 285. puellam ex variolis in ulcus pulmonum incidiſſe, ubi inter ſeptimam & octavam coſtam nodi aliquot exiles ſe offerebant tactui, quibus per cauſticum apertis pus effluxit, ac tandem illa cum ſanitate in gratiam rediit. Confer *Act. Erudit. Lipſ. Ann.* 1705. *pag.* 211. Spectat aliquo modo ad hunc caſum obſervatio in *Zodiaco Medico-Gallico Ann. II. pag.* 154. allegata pueri phthiſici, cui abſceſſus ſupra apophyſin maſtoideam fuit enatus.

(Lipſiâ Auguſtam Vind. d. 10. Octobr. Anno 1706. miſſa.)

OBSER-

OBSERVATIO XLVIII.
Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

Menses per labia fluentes.

IN nostri districtus pago, Polnischkessel / Vidua 30. annorum laborabat imminutis mensibus per Annum, cum guttulis sanguineis stato fluxus menstrui tempore è labiis inferioribus stillantibus. Stillant jam labia per 6. menses, ordinario fluxu penitus intermittente. Post saphænarum sectionem, proprio consilio administratam, consuetus rediit fluxus per consuetas vias. Jam autem menses imminute dum fluunt, rediit stillicidium labiorum, ideò jussi evacuationem & repetitionem sectionis saphænarum.

(*Grünebergâ Sil. Noribergam Anno 1706. d. - - missa.*)

OBSERVATIO XLIX.
Dn. D. GüNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

Fungi Fabrica.

HIc fungus, ea qua apparet, magnitudine extus cinereus erat, intus candidus, ex ligno jam anno elapso cæso fissoque, sub dio jacente, multa cadente pluvia enatus: Tam affabre formatus erat, ut in parte inferiore laminæ æqua distantia ex umbilico ad circumferentiam tendentes, illique inhærentes, ne latum unguem propius aut longius à se invicem distarent: Intercurrebant inter has aliæ, idque perpetuo, quæ non attingebant circuli finem, sed parva distantia à circumferentia veluti oblique resecta desinebant, idque ex accuratissima mensura spatium implebant: ita ut nulla ars certiori fabrica imitari naturam hanc posset. Hoc ideò monere placuit, ut appareret, segnioris ævi scriptores perperam ad formationem generandæ prolis vim plasticam ex orco evocasse: Quænam enim hic vis formatrix, ubi nullum semen

est,

eſt, ex quo fungus natus videri poſſet? Fateor tamen, ſi quis ex me jam quærat, ecquid aliud putem ex ligno jamdudum arefacto, novoque imbre multo perfuſo operi huic præfuiſſe, me quid reſpondeam non habere. Caſu enim factum, artificio ſimillima exactitudo ſtatuere vetat. Deum verò immediate creaturæ tam vili, tam nullius uſus operam dediſſe, minus adhuc eſt credibile. Mechanicam hic rationem haut facilè oſtenderit quisquam. Simillimum hoc glaciei, quæ ex vaporibus in cubiculis hyeme vitris ſe applicat, frigore extus regnante; aut iis figuris, quæ in marmore Florentino, vel Achate, pellucido ex interfluente ſucco pulcherrimæ apparent. Quæ cui adſcribenda ſint, doceri percuperem.

(*Kiliâ Auguſtam Vind. d. 1. Novemb. An. 1706. miſſa.*)

OBSERVATIO L.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Ploratu fœtus in Utero.

ANno M. DC. LXXXIX. menſe Auguſto hic Molhuſæ fœmina quædam, primipara menſe ſeptimo poſtquam uterum geſtaverat, nocturno tempore cubitum itura, ploratus audiebat quaſi ſubmiſſos, ut hinc ſub lecto fortaſſe repoſitum eſſe infantem, falſo ſibi perſuaderet, fruſtra quæreret. Brevi poſt ploratus audiebat iteratos, eosque in utero ſuo fieri ſentiebat. Formidoloſa in lectum properans tertiâ quartâque vice ſuum plorare fœtum ſubauſcultabat. Die ſubſequente non ſine maximâ mentis perturbatione rarum ac prodigioſum factum tum aliis, tum præprimis Confeſſionario, futuri mali omen infallibile putanti recenſebat. Poſt hebdomadum nonnullarum ſpacium difficillimo partu tres dies durante fœtus excludebatur ſanus quidem, non tamen æque vivax, utpote poſt tres menſes epileptico morbo correptus, Creatori ſuo animulam reddens. Cæterum fœtum hunc in utero plorantem non ſolùm ſuæ & familiæ pro-

priæ calamitatis, ſed publici maximæ propemodum civitatis hujus partis excidii propheram fuiſſe, terribile eodem anno, die decimo Septembris contingens incendium (per alia plura prodigioſa indicia quaſi prænunciatum) quo plus octingenta ædificia, atque inter illa infelicis puerperæ ædes, intra 24. horarum intervallum voraciſſimus Vulcanus abſorbuerat, manifeſtum fecit. Infelices etiam Parentes majorum gloria non inconſpicui adhuc in vivis ad incitas adeò redacti ſunt, ut miſerrimam agant vitam.

OBSERVATIO LI.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Partu ſeptimeſtri & motu locali ſecundinarum retentarum expulſionem promovente.

SIcut partus difficilis, ita ſecundinæ retentæ maximas afferre ſolent moleſtias. Quinimò tanto periculoſior ſecundinarum videtur expulſio, quanto vires, quæ poſt partum plerumque nimis proſtratæ, imbecilliores ſunt. Adeò ut ſæpius ad ultimum remedium, extractionem puta cum unco vel manu faciendam puerperis & Medicis moleſtiſſimam deveniendum ſit. Interim ne juſto citius ad hanc anchoram properemus, nihil prius intentatum relinquamus. Ita Longoſaliſſæ fœmina viginti annos nata, poſtquam primipara non legitimè fuerat tractata, jam ſecunda vice gravidata, mediis geſtationis menſibus continuo materiæ ſeroſæ cum ſanguine confuſæ fluxu, nullo remedio, conſtanti cum ſucceſſu compeſcendo, correpta. Poſt ſeptimum menſem partum valde debilem, vivum tamen, macilentum, lividi coloris & juſto minorem edebat, cujus ligamentum umbilicale exſuccum pæne, manifeſto indicio, fœtum defeciſſe alimenta ſeu ſuccum nutritium. Poſt partum ſatis difficilem ob retentas ſecundinas in miſerrimo ſtatu decumbebat, variis remediis pellentibus, mixturis ex eſſ. caſtor. myrrh. ſuccin. Spir. Salis armon. vinoſ. Tinct. bez. &c. & pulveribus ex borrace, myrrha, cinnabarinis &c. aliàs probatiſſimis ſine ſucceſſu in uſum vocatis.

Ster-

Sternutatoriis & aliis externis non neglectis. Viribus interea temporis mirè prostratis & lipothymiis crebrioribus accedentibus cum manualem operationem vix tolerare posse videretur, ut de loco, in quo hactenus quieverat, in alium locum tolleretur, suasor eram: Idque tam sperato cum successu, ut statim post motum illum localem sine magno conatu facili labore secundinæ dictum factum eliminarentur, ipsaque pristinæ sanitati ex voto restitueretur.

OBSERVATIO LII.

DN. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Cardialgia & anxietatibus ab usu medicamentorum chymicorum spirituosorum.

NOn quævis naturæ ferunt omnia, & quæ plurimis saluberrima, nonnullis exitiosa esse solent. Referebat mihi Excellentiss. Dominus Dr. Wolfius, Archiater Regis Daniæ, volatilia & spirituosa non æquè ferre posse Gallos & Italos, quàm Germanos, Danos plúresque populos Boreales: Sæpius enim ab usu Salis volatilis oleosi Sylvii miras sanguinis ebullitiones, præcordiorum anxietates &c. in illarum calidiorum terrarum incolis se observasse. Neque verò Germanis quibusvis volatilia tantopere prodesse, sed quosdam enormiter lædere sæpiusculè notavi. Nuper admodum pannifex quidam Vir quadragenarius, Arthritide vaga scorbutica decumbens, à mixtura volatili sudorifera, minori dosi ab experientissimo Medico propinata, tantas præcordiorum anxietates experiebatur, ut ab agonizante discerni vix posset. Inscius harum rerum simul in consilium vocatus phænomenon urgentissimum mixtura quadam ex spirituosis carminativis composita sopire tentabam. Sed oleum igni quasi affundebam, & quæ post usum aquæ cujusdam destillatæ ferme erant extinctæ, denuò resuscitabantur dolorum flammæ. Mutato itaque consilio pulveribus absorbentibus & diaphoreticis anodynis & diluentibus aquis destillatis subitaneum optatissimum levamen af-

ferebam. Idem ille cum aliquandiu post affectu pectorali laboraret, ab elixirio pectorali & ess. traumatica incredibiles anxietates cum syncope pene lethifera experiebatur.

Similes cruciatus in fœmina juniore febre maligna laborante ab olei bezoardici usu vidi. Quamvis hoc, ex oleo amygdalorum dulcium expresso, camphorâ & oleo citri destillato compositum, radice alkannæ, pro colore rubicundo conciliando, addita, à nonnullis tanquam divinum his casibus, in Cardialgia puta & anxietatibus remedium, miris laudibus efferatur.

In Sexagenaria quadam & nuperrimè in Quinquagenaria ab usu spiritus Cornu Cervi eadem symptomata se exserebant. Cautius itaque volatilibus ac spirituosis mercandum. Singulis verò casibus laudatis diluentia, refrigerantia & absorbentia anodyna citius ac felicius opitulabantur.

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Cardialgia cum lipothymiis à largiori dosi olei succini.

REpentinæ mortis historiam à largiori dosi olei juniperi in Decuriæ tertiæ anno tertio Miscell. Nat. Cur. recensuimus. Cumque fortissima talismodi destillata ab Empiricis & circumforaneis imprudenti vulgo sæpius obtrudantur & infinitis modis commendentur, qualia postmodum in abusum certissimum sæpius vocantur, operæ pretium duxi periclitationis empiricæ specimen hic & nunc denuò exponere: Scilicet, Fœminæ quadragenariæ, passionibus hystericis obnoxiæ, pseudomedicus nescio quis largiorem dosin olei succini flavi propinaverat. Inde verò ægrota confestim Cardialgia atrocissima & anxietatibus præcordialibus fermè lethalibus (**als wolle es ihr das Hertz abstossen**/ ut cum vulgo loquar) frequentioribus lipothymiis simul se exserentibus, correpta. In consilium vocatus diluendi, refrigerandi, vel potius evomendi in primis viis adhuc partim restitantis olei fine, magnam lactis tepidi cum aqua rosarum permixti copiam

piam ſorbere ſuadebam. Hinc ſuſcitato vomitu, maximâque olei & materiæ vitioſæ parte exturbata phænomena dicta partim evaneſcebant. Interim calore totius efferato maximè ſenſibili latitantis febris ſuſpicionem ſimul movente, pulveres ex bezoardicis diaphoreticis & terreſtribus cum ſulphure anodyno propinabantur, à quibus nec non à mixturis ex bezoardicis hyſtericis combinatis, ſudoribus poſthabitis, per Dei gratiam perfectè convaleſcebat.

OBSERVATIO LIV.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Motibus convulſivis & morte à largiori doſi Theriacæ.

FRequentiſſimus noſtratibus mulieribus eſſe ſolet uſus vel potius abuſus Theriacæ, utpote quæ quibusvis in affectibus infantum ad hanc anchoram properant, pœnitendo ſæpius cum eventu. Non dicam de mentis ſtupiditate, quam ab abuſu Theriacæ tenellis crebrius propinatæ, adultis tandem evenire, nonnulli ſuſpicantur: Neque alia ruminabor incommoda: ſed mortem ipſam maturaſſe Theriacæ abuſum præſentibus evincam: Infelix enim mater quædam nupere filiolo ſuo quatuor hebdomades nato, debilioris quidem conſtitutionis & crebriori vagitu parentibus moleſto Mithridatii unam atque alteram doſin, optato quieto ſomno nunquam ſubſequente, propinaverat. Tenello nihiloſecius conſtanter vagitante, ſuaſu amicæ ſub titulo Mithridatii optimi Theriacam Andromachi à Pharmacopœo coëmerat, largioremque hujus doſin, quantum ſcilicet cuſpide cultelli capere poterat, ſorbendam dederat. Inde verò tantus ſopor notatus, ut mortuo ſimilior quàm vivo viſus ſit, motibus convulſivis ſimul ſe exſerentibus. Elapſis aliquot horis in conſilium vocatus, interna medicamenta propinari vix poſſe notabam, cum tantillam aquæ cinamomi cydoniatæ ori infuſum ſuf-

focationis metum incuteret. Itaque externa tum domestica ex allio &c. tum spirituosa ex ess. castor. succin. Spir. Salis Armon. aqua apoplect. non neglectis pedum frictionibus, sine successu constante suadebam: dum brevi post obitu præmaturo non sine maximo parentum dolore animam efflabat.

Similem casum nuperrimè in filiolo pannificis contigisse, alio quodam Medico in consilium vocato, certior factus sum.

OBSERVATIO LV.
Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.
De
Allio probatissimo præservatorio à calculo.

MUlta in scriptis Medicis remedia â calculo præservatoria inveniuntur: plura fermè passim à vulgo commendantur: adeò ut nephriticus valde anceps sit, quodnam inter plurima sibi velit eligere, quo se à molestissimo affectu præservet. Haud ita pridem à plurimum reverendo quodam Pastore & Archidiacono, septuagenario in urbe vicina adhuc vivente, sequens euporiston miris elogiis mihi deprædicatum: Nimirum recipiuntur tres, quatuor vel quinque allii particulæ à corticibus exterioribus liberatæ, quæ conscissæ & in cyatho cum Spiritu vini vulgari ad digiti transversi eminentiam infusæ macerantur. Quale infusum postquam per 24. horarum spacium stetit, in ipso Novilunii momento simul ac semel ebibitur, idque per singulos anni menses dicto modo, tempore & momento repetitur. Referebat mihi venerandus Senex tale remedium non solum semetipsum, sed etiam multos alios, optatissimo cum successu usurpasse. Cumque aliquando ejusdem usum duobus mensibus intermisisset, ineffabilibus calculi doloribus denuò afflictum fuisse; tandem verò post usum variorum nephriticorum, calculum magnitudinem fabæ adæquantem, dubio procul intra dictum temporis intervallum generatum, excrevisse. Postquam verò præsidium citatum sequentibus annis constanter in usum vocasset, ab omni doloris nephritici sensu in hunc usque diem se præservasse.

OBSER-

OBSERVATIO LVI.
DN. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.
De
Equiseto infido præservatorio à calculo.

MUltum Reverendus longeque doctissimus Dominus N. N. Pastor & Diaconus ædis Divi Blasii hujus urbis meritissimus, hypochondriaco-nephriticus, quem præteritis annis à variis molestissimis tum arthriticis tum nephriticis affectibus per Dei gratiam feliciter liberaveram, jamjam, postquam per annuum penè spacium ab usu medicamentorum aliorum prorsus abstinuerat, remedio quodam euporisto, me quidem inconsulto, usus, se se tum à nephriticis tum aliis affectibus præservare posse, persuadente nescio quo, credebat. Remedium hoc domesticum, ut postliminio quidem me consulendo fatebatur, ex herbâ Equiseti & bacci juniperi ana in pulverem redactis constabat, quo singulo mane & vesperi, instar tragcæ non ad pondus, sed pro lubitu utebatur. Enimverò mox in scyllam incidisset charybdim evitaturus. Adeò enim Equiseti virulentia & acrimonia, tam ventriculi quàm renum & aliorum viscerum tonum & elaterem destruxerat, ut syndrome malorum nunc instaret. Appetitus enim prorsus dejectus erat, viresque summè prostratæ; Ventriculum dolor gravativus vexabat; assumta spontaneo vomitu sæpe rursus eliminabantur: ructus insipidi erant molestissimi. His singultus quandoque accedebat & intolerabiles sæpius anxietates. Renum & ureterum regionem dolor urens cum dolore dicto ventriculi gravativo quasi alternans subinde discruciabat, ipsaque urina frequentius emittebatur, & assumta potulenta quantitate fermè excedebat. Primus morbi insultus adhibitis stomachicis martialibus confortantibus facilè sopitus. Mox verò malum à levi quodam errore recidivus multum negotii faceſſebat. Durantibus hinc phænomenis citatis per multarum septimanarum spacium varia remedia in usum vocata, quæ quidem prolixius hic recensere ex voto & voluntate Illustris Societatis

Nat.

Nat. Cur. ſuperſedéo. Unicum non reticendum: tum me, tum quoque Experientiſſimum Dn. Lic. Ruperti, Practicum Northuſanum, ægroto noſtro affinitatis vinculo conjunctum, & hinc una mecum in conſilium vocatum, maximum curationis & felicis eventus momèntum in ſedulo & iterato uſu eſſentiæ vitrioli Martis Ludovici cum Tincturâ Coralliorum anatica proportione mixtæ, poſuiſſe. Huic ſubinde pulvis ex ſpec. diatragant. frig. C. C. phil. bez. martial. corall. rubr. antihect. Poter. & pulv. anod. cordial. mixtus, & potiuncula ex aqu. plantag. tormentill. cinamom. cydon. zedoar. conf. alkerm. ſyr. de cinamom. compoſita, præprimis ructibus & anxietatibus negotium faceſſentibus interpolabantur. Præterea Succolada Inda cum lacte chalybeato decocta loco alimenti medicamentoſi frequentem vocabatur in uſum non absque ſucceſſu optato. Reliquis enim pro indicantium modulo tam interne quàm externè ſubminiſtratis: præprimis alvo per plures dies, ut poſt uſum adſtringentium fieri ſolet, adſtrictâ, Clyſteribus ſolicitatâ, hic ægrotus tandem perfecte convaleſcebat, hucusque, Deo ſit laus, ex animi voto degens.

(*Molhusâ Auguſtam Vind. d. 2. Novembr. Anno 1706. miſſa.*)

OBSERVATIO LVII.
Dn. D. MARCI GERBEZII.
De
Bile in veſicula fellis lapideſcente.

BIli juxta Veteres aliàs excrementitio, & plurimorum morborum fabricatori humori moderni tantas prærogativas communiter attribuunt, ut illam per ſe ferè nec peccare, aliquamve indiſpoſitionem corpori inducere poſſe exiſtiment. Me quod concernit, ego hancce litem pro hac vice non intendo dirimere. Miror ſolùm, quî tam dextrè ſubſiſtere, ſuaque munia tam inculpatè obire valuerit natura in Celſiſſimo Principe ab Auerſperg &c. elapsâ 22. Julii febre tertianâ intermittente, & ei ſub

altera

alterâ invasione superveniente apoplexiâ lethali vitâ defuncto: utpote in cujus cadavere aperto reperta quidem fuit cystis fellea, econtra omni omninò bile destituta, locoque solitæ bilis quatuor lapillis marmoris ad instar ex fusco & albo variegatis, consistentiâ non admodum duris, mole suâ castaneas mediocres adæquantibus adeò referta, ut prorsus nullus solitæ bili recipiendæ locus superfuerit. Dum ille interea eousque potissimùm citra querelam vixit, neque passus est facilè aliud, quàm in juventute Empyema sinistri lateris, à quo mediante dextrâ incisione feliciter liberatus fuit, aliquoties etiam febres tertianas intermittentes, & bis vel ter, quemadmodum paulò ante suum obitum, crurum Erysipelata. Nisi quis asserere velit, bilem quidem esse ad ritè exercendam œconomiam naturalem necessariam; non tamen eam, quæ aliàs in vesiculâ felleâ contineri solet; sed sufficere eam, quæ mediantibus poris biliariis aliis per ductum communem ad intestinum duodenum perfluit: quemadmodum absque tali citra incommodum vivere videmus diversa animalia, propterea vesiculâ felleâ omninò destituta: E. g. glires, equos, cervos &c. Ast hoc taliter supposito, vesicula fellis fuisset frustra, quod tamen est quid planè inconsuetum in natura, creata in memorato Celsissimo Principe. Vel si adeò solennis est vesiculæ fellis usus, prout eum manutenere volunt plerique moderni, nominatim Joan. Matthæus Faber, Physicus Hailbronnensis, *Dec.* 2. *Ann.* 9. *inter addenda ad Decur.* 2. *Annum* 8. *observatione ultimâ*, ubi propterea cystidem felleam summè necessariam esse homini asserit, ex ejusque rupturâ sæpius repentinam mortem fuisse consecutam; quomodo in allegato nostro casu ejus defectus nullius notabilis incommodi fuit causa?

Cæterùm in eadem Auerspergicâ aulâ curavi ante biennium aperiri Cadaver certi Ephebi ex Ileo defuncti, in cujus vesiculâ felleâ bilis etiam fuit jam adeò coagulata, ut crassitiem oryzæ coctæ, vel milii in semipultem decocti præ se tulerit, proximè in mollioris lapidis consistentiam induranda.

Certum Comitem autem hypochondriacum in cura habui,

qui ferè quotidiè fuscos subinde piperis grana adæquantes, subinde autem minutiores lapillos cum fæcibus alvinis excernebat, quos similiter ex vesiculâ fellis eo derivari mihi persuadebam. Postquam tamen pro curâ vernali sequenti ordinatione usus fuisset; ferè integrè à tali excretione liberatus fuit. Purgârat videlicet corpus dosi consuetâ decocti fol. sen. cum rhab. Mynſ. granis vij. jalapæ pulv. acuati. desuper ex hæmorrhoidalibus venis sanguinem ad unc. v. emiserat; Hinc biberat per quindecim dies quotidiè mane de sequenti decocto seu sero lactis chalybeato unc. v. singulis sextis diebus memoratum decoctum fol. senæ interponendo, & demum semper biduo, vel triduo ante novilunium assumendo vij. de mox describendis pillulis antinephriticis: ℞. Rad. gramin. cichor. sylv. asparag. polypod. querc. ana ʒiij. herb. cichor. endiv. hepat. nob. agrimon. ana M. β. sem. melon. ʒiij. concisa infunde in ſ. q. seri lact. still. chalybe per extinctionem imprægnati. Hinc decoque ad Colat. ℔iß adde syr. de pomis ʒij. Crystall. Tart. ʒß. Rasuræ Martis in petia suspensæ ʒij. Aq. flor. citr. ʒij. m. f. potio. ℞. Succi liquir. ocul. cancr. Lap. Judaic. pp. ana ʒj. Millep. pp. Crystall. Tart. Nitri depurati ana ʒß. tereb. aq. petrosſ. lot. q. ſ. f. l. a. pillulæ instar pisi, pulveri liquiritiæ involvendæ.

(*Labaco Augustam Vind. d. 9. Novembr. Anno 1706. missa.*)

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. JOHANNIS ADAMI LOSPICHLERI.

De

Lapide in vesicâ Demortui invento plurimis baccis juniperinis repleto.

VIr sexaginta annorum, Mercatorem agens, novercantis fortunæ ludibrio in summam quasi pauperiem redactus, per 3. integros annos & ultra, de gravissimis semper in emittenda urinâ,

urinâ, quæ pauciſſima reddebatur, conqueſtus eſt doloribus, una cum pondere in pectine, & materia albicante viſcosâ ac tenaci, juncto ſat gravi odore, indies matulam plus minus conſpurcante; quibus omnibus ſedulo examinatis, ob ſigna pathognomonica, calculo veſicæ hunc patientem laborare, nullus fuit, qui dubitavit, bene tamen de reſtitutione, quatenus nec virtus medicamentorum, ob eorundem defectum, nec vires ad manualem tum temporis operationem ſufficerent: hinc prognoſtico relictus, ne omni medelâ privatus viveret, neſcio quo ſuaſu baccis juniperinis indies, prout erant, frui cœpit, quibus per biennium quaſi in ſat magnâ copiâ licet uſurpatis, nil tamen inde levaminis ſenſit, ſed viribus tandem confractis fatis ceſſit; cujus cauſa aperto, ut moris eſt, cadavere, & demptis exin omnibus viſceribus, bini ureteres eo intumuiſſe viſi ſunt, ut pollicis majoris introitum facilè admitterent, quorum plenitudo cum examinaretur, urinæ ibidem ſtagnantis abundantiam ſenſim tantam introduxiſſe dilatationem, ipſiſſima docebat authopſia. Veſicâ tandem ultimo apertâ, eandem non ſolùm materiâ albicante, tenui ac viſcosâ repletam vidimus, ſed inſuper lapidem ℥iiß ponderantem invenimus, cujus conſtitutio ab extrinſeco dum primâ fronte conſpiceretur, nigro undique colore tincta apparuit, quâ de causâ ut in perfectiorem coloris hujus inconſueti cognitionem deveniremus, aquâ communi ablutus, duriſſimæ & albicantis ſubſtantiæ fore, quilibet facile agnovit, permanentibus interim diverſis in locis nigerrimis notis, quibus ulterius & accuratius examinatis, veriſſimas baccas juniperinas, partim conglomeratas, partim diviſas, & ad inſtar lapidum pretioſorum annulo incluſorum, lapideæ huic materiæ infixas non ſine ſtupore vidimus, hinc ut diligentius conſervaretur, operæ pretium duximus, quo facto baccæ lapidi infixæ permanere quidem, cortices verò, lapidis partem concavam adimplentes, & nigrum colorem inducentes, tractu temporis ob defectum humidi omnimodè deciderunt, ita ut nunc præfatus lapis non aliter appareat, quam hic delineatus videtur.

OBSERVATIO LIX.

DN. D. JOHANNIS ADAMI LOSPICHLERI.

De

Notabili cujusdam Cygni in ovo conservatione.

AD venatorem quendam in Hellerbrun, qua Medicus vocatus, bina ibidem penes feneſtras cygni cujusdam obſervavi ova, ſciſcitando tum in quem finem hic locorum reponantur, in reſponſum accepi, lusûs infantum gratiâ, non eſſe ſiquidem fœcunda, hinc curioſitatis causâ mei uſus ut fierent, petii & obtinui, quo facto bina hæc ova per ſex integros annos in loco privato, ubi nec à frigore hyemali, nec à calore æſtivo immunia forent, & hybernali tempore in lapideam quaſi ſubſtantiam congelarentur, æſtivali verò rurſus in ſtatum naturalem ab intrinſeco liqueſcerent, intacta & incorrupta fuerunt conſervata: at ecce! veſpertino quodam tempore, & ſub crepuſculo, dum ob cauſas medicas ibidem morarer, ingens ex inopinato editur ſonitus, ita ut aut ſcloperi minoris ſonum, aut ponderoſioris cujusdam rei caſum non procul abhinc factum ſuſpicarer, at cum nihil horum obſervare potuiſſem, & cogitabundus hinc inde ulterius in hunc editum ſonum indagarem, humi quidpiam proſtratum fuiſſe in obſcuro vidi, quod poſtquam manibus elevatum conſideravi, media pars ovi, liquamine quodam viſcoſo adhuc repleta, conſpiciebatur, ubi dum de alterâ etiam parte cogitarem, in loco antiquo retentam, & pulcherrimum cygnum tunicâ ſuâ naturali contectum, & hac ruptâ, undique plumaceolis principiantibus ſtipatum & ornatum, quaſi alterâ die in lucem edi deberet, ſummè admiratus fui. Hinc curioſitate motus, præfatum cygnum, prout illum integrum & omnibus membris abſolutum inveni, in hodiernum diem jam per plurimos annos vitro incluſum una cum ſuâ tunicâ, mediante liquore proportionato, diligentiſſimè conſervo: & hæc de ovo præter opinionem fœcundo, ſicque ob contentum cygnum tamdiu incorruptum, curioſo-

rioso. At etiam ipsam naturam in continenti ludere, Decuriæ tertiæ annus 5tus num. 138. docet, ubi de ovo Galli gallinaceo semicirculari loquitur, quod & in alio casu ante 5. circiter menses hic Salisburgi fuit observatum, non quidem in figurâ semicirculari, sed satis oblongâ, & circa finem paululum incurvatâ, prout adjacens testatur delineatio. Ovum hocce non diu durabat, sed utpote tenerrimum ingravescente caloris æstivalis gradu, quoad partem graciliorem disruptum, & non nisi unâ vel alterâ guttulâ vitelli repletum, albumine verò quasi in totum privatum observavimus: huic paulo post à gallo gallinaceo non multum absimile in figurâ præsenti productum, integrum adhuc conservamus.

OBSERVATIO LX.

Dn. D. JOHANNIS ADAMI LOSPICHLERI.

Bulla liquore limpidissimo, & viscoso repleta, vomitu rejecta.

SArtoris cujusdam Salisburgensis filia temperamenti phlegmatico-bilioši, nondum menstruata, 18. ætatis anno de appetitu prostrato, nauseâ, & fortissimis per vices recurrentibus circa stomachum compressionibus, ac fluctuante ibidem quadam materia conqueritur, cui licet secundum methodum consueram cuncta fuerint ordinata, & alvus una cum stomacho per vomitum pluries convenientibus repurgata sit medicamentis, modicum tamen inde levaminis sensit, & semper de graviori quasi compressione conquesta est; hinc cum & ipsa natura præmissis quibusdam motibus convulsivis ad ulteriorem vomitum inclinaret, eo ducere, quo natura vergit, concluſum fuit, unde rursus assumpto vomitorio, præter sat copiosam adhuc materiam phlegmatico-bilioſam, vesica quædam transparens ℥ß. & ultra capax, integra, liquore limpido & viscoso repleta, rejecta fuit, remittentibus paulo post omnibus perpessis symptomatibus, nec ullâ in

hanc usque horam observatâ morbosâ corporis dispositione, sed tanquam à sanâ & incolumi cuncta peraguntur officia: bullæ autem apparentia talis erat.

(*Salisburgo Augustam Vind. d. 15. Nov. Anno 1706. missa.*)

OBSERVATIO LXI.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Angina ex retentione muci narium.

DE colico dolore cujusdam Mercatoris, à retentione mucositatis narium orto meminit jam *Clarissimus Dominus Joh. de Muralto, vir omni eruditionis genere instructus*, in Miscell. A. N. C. Decur. 2. Ann. 8. obser. 13. Et ego Anno 1701. mense Februario observavi Monachum quendam, qui magno fluxu muci per nares cum capitis gravedine afficiebatur; quo repente suppresso, incidit in Anginam, ut nihil omninò deglutire posset; astsectis sub lingua venis, & sanguine ad lib. 1. extracto, brevi dierum duorum spatio sanatus est; & quod notatu dignum fuit, cum convalescere incepit, muci etiam fluxus per nares rediit; & sic quod fuit causa morbi, extitit & causa salutis.

OBSERVATIO LXII.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Mania in puero castratione curata.

PUellus maniacus Annor. 7. plura expertus remedia incassum, tandem castratus convaluit; quæ observatio convenit cum observ. 32. Samuel. Formi Riverio communicata, de Adolescente maniaco, ad cujus curationem potentissima usurpata fuerant remedia, ita ut ventum fuerit ad antimonii usum, ad trepanum, & ad Arteriotomiam temporum, at cum omnia illa nihil conferrent, ad castrationem deventum est, quà instituta remissa fuere omnia symptomata, & furor omninò cessavit, manente tantummo-

cummodo delirio melancholico, ita ut mania in melancholiam versa fuerit; quod tamen in meo casu non accidit, nam nunc sanus omninò vivit.

OBSERVATIO LXIII.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Alvi fluxu periodico.

Puellus quidam Ferrariensis ætatis annorum 9. Anno quarto dysenteria laboravit, à qua difficulter liberatus est; post quam affectionem, quovis mense, crescente Lunâ, diarrhœa tentatur per duos, tresve dies; & hoc symptoma à quarto anno, usque ad nonum, qui præsens est, continuat; multa tentata præsidia, sed omnia frustranea fuerunt.

OBSERVATIO LXIV.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Ulcere ex Vespæ punctura.

Rustica quædam femina à vespâ puncturam in facie sub oculo dextro passa est, ex qua protinus natus est dolor, & inflammatio; quæ non cessavit, nisi per abscessum, quo rupto ortum est ulcus, quod difficulter sanatum est, & nonnisi trium mensium spatio; similem, imò pejoris eventus historiam, me legisse recordor in centur. 4. observ. chirurg. Guil. Fabricii Hildani *n.* 78.

OBSERVATIO LXV.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Morte ex suppresso sudore.

Sudores aliquid venenosi intra se continere credidit, non sine aliqua probabilitate Illustris Anatomicus Daniel Taury in suâ novâ Anatom. part. 2, cap. 10. liberant enim à doloribus arthriticis, qui nonnisi à salibus acerrimis oriri possunt, liberant à peste;

ac insensibilis transpirationis interruptio febres putridas, ac malignas producit; quæ omnia non possent contingere, nisi sudores valde corrosivum quid continerent; Hoc autem apparuit maximè mense Octobri Anni 1704. in quodam Hortulano alioquin sano, ætatis annorum 33. qui ex suppressione consueti sudoris incidit in febrem malignam tantæ ac talis acutiei, ut quatuor dierum spatio mortuus sit, frustrà tentatis alexipharmacis, sanguinis missione per cucurbitulas scarificatas, aliisque remediis, quæ Ars medica, & temporis brevitas subministrare poterant. Recordor etiam Mercatoris, qui à suppresso sudore in ophthalmiam contumacem incidit, & ab hac tandem in cœcitatem, sine ullâ spe visionem recuperandi: Colligere hinc liceat quantæ necessitatis sit sudoris excretio, & econtra quantum damnum afferat hominibus ejusdem suppressio.

OBSERVATIO. LXVI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Calculo in dextrâ Maxillâ.

CIvis quidam Mantuanus toto juventutis suæ tempore calculo vesicæ laboravit, adeò ut quinquagesimo ætatis suæ anno lithotomiam passus sit, & ex ejus vesicâ calculus magnitudine ovi columbini extractus fuerit: postmodum verò in dextrâ maxillâ dolorem sentire cœpit, cum tumore in mandibula exterius apparente, quo aperto, extractus fuit lapillus granum fabæ æmulans, durus, ac rotundus inæqualiter; Similem casum lector curiosus videre potest in Act. philexoticor. Nat. & Art. Brixiæ mens. Junii n. 32. pag. 83.

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Ingenti ac subita mammarum inflatione.

CUriosum valde fuit symptoma, quod accidit Anno 1704. cuidam Feminæ honestæ ætatis annorum 29. hæc enim bonâ

frue-

fruebatur valetudine, & naturali catameniorum fluxu tentabatur, quo tempore ſibi pedes abluit, & illicò menſes ſtetere, ac tumor, & dolor in mammis ortus eſt, nocte verò, ad tantam magnitudinem ubera pervenere, ut ſurgere nec è cubili, nec ſe movere potuerit; donec bis phlebotomiam paſſa in utroque pede, ſic intrà triduum ſana facta eſt, & mammæ ad naturalem ſtatum rediere; Hiſtoriam autem penè ſimilem me legiſſe recordor in Act. Philoſoph. Angl. Oldemburgi Ann. 1669. menſ. Octobr. obſerv. 3.

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Febre periodica lunari.

RAram febrem Anno 1706. obſervavi in quadam formoſiſſimâ juvene annorum 21. virgine, & boni corporis habitus; hæc primò paſſa menſium ſuppreſſionem, poſtea in febrem incidit cum rigore, ac vomitu incipientem, atque in ſudorem terminantem ſpatio horarum 10. quæ febris prima Lunæ die adveniebat, inde poſt ſeptimam diem in prima Lunæ quadra redibat, poſtea in Plenilunio, tandemque in ultima quadra; & ita perſeveravit per tres menſes, quibus elapſis ſponte febris ceſſavit; & catameniorum fluxus iterum advenit.

(*Ferrariâ Auguſtam Vind. d. 20. Januar. Anno 1707. miſſæ.*)

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

De

Gutta ſerena.

FRequens cadaverum ſectio, etſi ſordida nonnullis, nonniſi nitorem & munditiem amantibus; hinc rarior, quin, quod dolendum, in his oris rariſſima, non parum lucis affundit mor-

borum causas penitius rimantibus, & fert fructus, qui studium & indagandi fastidium abundè compensare solent, quin majora quæsitis plerumque ostendit; id quod casus, qui sequitur, palam facit: *Georgius Werhasdi*, Hungarus, ex famulitio *Serenissimi Electoris Palatini*, triginta annorum, vir robustus, vultu roseo & corporis habitu florido, de visûs imbecillitate conqueri cœpit. Medicus, tunc temporis oculos inspiciens splendidos vidit & lucidos, citra maculam. Guttam serenam hinc ominatus varia suasit, ut malo mederetur incipienti; setaceum præsertim inculcavit, id quod respuit pertinaciter æger. Iter hinc ingressus est cum Aula sat longinquum, ubi morborum causas venari perquam est facile. Accidit tunc temporis, ut visus indies minueretur: nec tamen id effecit, ut generosiora, morbo paria admitteret remedia. Denique non tantùm lumine captus, splendidis oculis, sed & debilitari cœpit pedibus, & doloribus capitis immaniter cruciari, adeò ut ineptus ad serviendum cœcus miseram domi traxerit vitam, sustentatus munificentiâ *Serenissimi Electoris*: Hinc & rationis lumine privari, totumque cerebrum eclipsin pati animadversum fuit. Postquam sat diu ærumnosam ita duxit vitam, febricitare cœpit, non appetiit, sitiit, linguâ siccâ; vires indies deficientes tandem miseriæ finem fecerunt.

Nolui ut vel ego, vel alii, quorum interest, tanto defraudarentur spectaculo. Ablatâ hinc capitis ollâ, *verrucæ*, pisi magnitudine hinc inde in duræ matre, circa ramificationes præsertim arteriarum hanc perreptantium radicatæ incurrerunt in oculos, sat numerosæ, cum subjecta cerebri substantia connexæ. Discissâ hinc durâ matre, cerebrum nitore, quo aliàs apparet, caruit; versus proram capitis præsertim flavescebat. Nervorum paria contemplando, olfactorios flaccidos & flavos deprehendi. Circa opticorum confinia stagnavit serum turbidum, quod infundibulum & vicinas carotides inundavit ad motorios usque. Reliqua nervorum paria splendida quidem, sed sero extravasato unà cum spinali medulla ceu submersa fuerunt.

Cere-

Cerebrum abhinc solutum partibus connexis exemi ad intimius examinandum: Ventriculi sero extravasato erant referti: Circa infundibulum & nervos opticos substantia cerebri in saniem soluta, ceu ex abscessu & in tabum conversa fuit, putridaque spongiæ abstergendo adhæsit; quod quidem vitium ad ventriculos usque cerebri serpsit. Cætera autem evidenti vitio caruerunt.

NOTAMINA.

DOlorum capitis atrocium, pertinacissimorum causam, ablata cerebri olla spectare licuit & quasi palpare manibus, *verrucas* scilicet, duram matrem obsidentes, quæ circa ramificationes arteriolarum, duram matrem perreptantium consitæ sanguini obicem posuerunt eò appellenti, unde distensio non potuit non fieri, singulis arteriolarum vibrationibus dolorifica, tanto acutiore cum sensu, quanto vehementior fuit sanguinis impetus.

Guttæ autem serenæ causa circa exortum nervorum opticorum manifesta incurrit in oculos, serum nempe aut lympha redundans, qua illi penitius imbuti spiritus visivos transmiserunt primò parcius; unde visus debilitas: adaucta autem seri extravasati copiâ, obstructis tandemque corruptis nervis opticis omnimoda cœcitas subsecuta fuit.

Motus imbecillitatem & artuum inferiorum impotentiam ab eodem sero extravasato, totam cerebri substantiam & ipsam spinalem medullam inundante facilè quis deduxerit; siquidem nervorum canaliculi serò perperam stagnante penitius imbuti, copiâ oppressi aut ulcerosi spirituum influxum impediverunt cum motus imbecillitate & artuum impotentia.

Quin sensuum internorum exercitium ab eodem sero penitius irrigante cerebrum, impeditum & rationis usus interceptus fuit, cum ideæ olim cerebro impressæ, aut obliteratæ penitus, aut combinatio earundem, propter dictum seri irrigui impedimentum, fieri non potuit: unde reminiscentia & sensuum internorum exercitium necessariò detrimentum cepit.

Febris tandem supervenit, quæ miseriarum finem fecit, propter abscessum, in ipsa cerebri substantia, juxta exortum aut thalamos nervorum opticorum conspicuum, ex seri stagnantis corruptione & putredine ortum; unde fieri non potuit, quin particulæ putridæ, sanguini ista loca permeanti asperſæ & immixtæ fermentationem, aut motum certè sanguinis præternaturalem seu febrim induxerint, primo lentam, postea quasi acutam.

Quemadmodum in œconomia omnis error solet esse fœcundus, & alios concatenatim post se trahit errores, ita in œconomia animali facta seri illuvies primò, plura peperit vitia: impedito scilicet, aut perverso sanguinis & spirituum motu, mirum non est enumerata consecutivè sese excepisse vitia, tandemque mortem modo, quo supra dictum fuit, intulisse.

Setacea qua ratione opitulentur (opitulari autem experientia docet, & me, qui hæc scribo, recenti docuit exemplo) non usque adeò in promptu est dicere. Vidi in vertigine tituban-te, uti credebatur ex sero in ventriculis cerebri collecto, vesicatoria capiti raso applicita vim seri traxisse, & egregiam opem tulisse. Non quòd credam illud ipsum in ventriculis contentum serum horum beneficio extractum fuisse; transitûs enim viam monstrare perdifficile foret; sed cum res peragatur in corpore vivo, spiritibus & sanguine perfuso, impressione aut vesicatorii, aut setacei motum spirituum atque humorum aliter determinari facilè intelligitur, bonum ita effectum, etsi modo, nobis non satis cognito præstare possunt. Videatur de his *Borellus*, de motu animalium, ubi de venæsectione, uti aliàs, acutè philosophatur, illam non semper evidenti ratione, deplendo vasa, opitulari, sed spiritibus alium motum eumque salutarem conciliando bonos quoque præstare effectus.

OBSER-

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

Seu

Experimentum de bullarum productione in solutione chalybis.

IN philosophiâ adeò incerta sunt & dubia, quæ ratione sola nituntur, ut ea, quæ magna ingenia, magno studio atque labore, non sine verisimilitudine producunt, unico nonnunquam experimento labefactentur & corruant, unà cum ædificio huic fundamento superstructo. Hinc prudentiores ad experimenta rectè, tanquam ad Lydium lapidem confugiunt, neque quicquam asserunt, nisi experientiâ comprobatum. Commentatus olim fui super *Chalybe*, ejusque virtutem aperiendi & obstruendi in uno eodemque subjecto miratus & rimatus, particulas in hoc activas & summe elasticas observavi tum in praxi, qua notavi chlorosi affectas, frigidas atque torpentes dextro chalybis usu resuscitari, agiles, floridas & coloratas reddi; tum experimento, quo limaturam chalybis posui in matracio altioris colli; mox superfudi liquorem solventem ad insignem altitudinem, ut aërem per medium liquorem ad fundum vasis & limaturam chalybis penetrare posse nemo crediderit, qui noverit, in antlia pnevmatica aërem ope aquæ abarceri, ne penetrare possit. Incipiente tamen solutione chalybis in fundo vasis bullulæ excitatæ magnâ vi proruperunt ad superficiem liquoris solventis: unde concluси, in ipso chalybe detineri particulas activas, æthereas, summæ virtutis & efficaciæ, quæ solutione prorumpentes in liquore bullulas excitent & effervescentiam; in corpore humano vinculis solutæ & ad massam sanguinis delatæ, vappidam, ceu in chlorosi & cachexia esse solet, invigorent, animent atque inspirent, fluxilemque reddant, unde virtutem & aperiendi & obstruendi didici, & difficultates plerasque facilè superavi. Dissentientem autem circa productionem bullularum habui magni nomi-

nominis & existimationis philosophum, persuasum, aërem ipsum ceu maximum & potissimum solutionis instrumentum excitare bullas, solvere corpora, aut maximam virtutem ad hæc dissolvenda conferre. Ut de re certi fieremus, ad experientiam progressi sumus. Liquorem apparavimus ex Spiritu Vitrioli, cum sufficiente quantitate aquæ temperato. Portionem ejus in antlia pnevmatica posuimus ita, ut extracto aëre limatura ferri, chartulæ imposita, mediante modiolo, in liquorem solventem demitti posset. Aliam portionem in libero aëre juxta posuimus, visuri, ubi nam ebullitio citius & fortius succederet, & an aër externus sit necessarius ad solutionem metallorum. Adaptatis ritè omnibus, aërem extraximus; quo subducto, modiolum versando limaturam in antlia in liquorem solventem immisimus, & eodem momento in alium liquorem, in libero aëre positum, tantundem limaturæ conjecimus, quo facto statim bullire cœpit menstruum in antlia, & effervescere magnis bullis impetuosè; tardius autem & mitius illud in libero aëre positum, & diutius. Inde concluſimus, non aërem esse ambientem, qui aut solutionem, aut bullulas in solutione chalybis excitet; quippe exhaustus & subtractus fuit, quantum fieri potuit exactissimè; sed esse aut ætherem, aut aërem longè subtilissimum, aut spiritum elasticum, chalybi inclusum, qui solutis menstruô repagulis prorumpat, bullas in aqua, in sanguine autem majorem vigorem, motum & fermentationem excitet, flammulamque vitalem langueſcentem susciture soleat.

Non solùm chalybs in solutione cum impetu bullas emittit, spiritumque sanguini cachecticorum immittit, quem attenuat, solvit & crassitie stagnantem circulationi reddit, sed & alia corpora mixta, alcalia præsertim, cum suis menstruis soluta, uti margaritæ, lapilli Cancrorum, Corallia &c. Aceto destillato soluta spiritum bullulis contentum emittunt, qui sanguinem invigorare intelligitur, & hinc recte nomen confortantium medicamentorum hactenus obtinuerunt.

OBSER-

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

De

Caruncula in Urethra.

INter ea, quæ crucem figunt & ægrotantibus & medentibus, haut postremum locum tenet *Caruncula*, quam vocant, seu excrescentia, quam credunt, post diuturnam gonorrhœam in urethra pullulans & meatum urinæ obstruens, tam difficilis curationis, ut Chirurgorum *opprobrium* audiat. Idem infortunium contigit *Nobili* cuidam, qui ex diuturna gonorrhœa hanc contraxit labem, ut nonnisi exile inter mejendum apparuerit urinæ filum, interdum planè clausus fuerit urinæ transitus. Nemo neque Medicorum, neque Chirurgorum, quos consuluit innumeros, dubitavit cum ægro asserere, *Carunculam*, nominatissimum obsidere urinæ canalem, eamque exitu prohibere; eoque magis, quia statim post glandem vesicam versus primum obstaculum tangenti occurrit, attactu durum & callosum, & abhinc plura versus radicem penis. Contigit, ut omnimoda quondam ischuria detentus & me consultum voluerit. Observavi diebus, quibus inviseram ægrotantem pluribus & accuratè annotavi, urethram stylo plumbeo, ad hoc fabrefacto dilatari posse & distendi ita, ut urinæ filum sat crassum apparuerit; extracto autem stylo, post aliquot horas constringi canalem iterum & coarctari; id quod ipse æger attentissimus ad morbum persuasum quoque habuit. Ut in veritatem & rem præsentem venerim, mors fecit, quæ ex empyemate perperam tractato contigit. Incisâ urethrâ, nulla excrescentia, aut caruncula apparuit, neque fungus, meatum urinæ obstruens, id quod oppidò mirabatur medicus adstans, qui sæpius viventi medebatur: Sed mera angustia & coarctatio urethræ hinc inde visa fuit, qualis in vasis umbilicalibus post partum obtingere solet coalescentibus.

Inde conjeci, opinione fortè frequentius contingere, ut quæ credi-

creditur à caruncula aut fungosa excrescentia in urethra procedere urinæ difficultas, ex stricturа & callosa duritie ejus proveniat; id quod in casu memorato inde quoque colligere licuit, quia obstructam urinæ viam filo ferreo pertundere vidi sæpius ægrotantem, id quod sanâ urethrâ, callo non obsessâ perferre non potuisset, ob sensum ejus exquisitissimum. Et hæc fortè ignoratio, quemadmodum in morbis fortè pluribus causa est insanabilitatis. Hinc ut naturæ mystæ, datâ occasione, quæ rara observent diligentius, rem obscuram illustrent, & medendi methodum, fortè perversam hactenus emendent, salutis publicæ interest, ne error longius propagetur.

Düsseldorffio Augustam Vind. d. 21. Jan. Anno 1707. missa.)

OBSERVATIO LXXII.
Dn. D. SAMUELIS LEDELII.
Flores scorbutici cum pruritu ambulatorii.

ANnus currens 1707. multos nobis dedit ægrotos scorbuticos, a variis symptomatibus lacessitos, nec defuit in quibusdam subjectis pruritus totius corporis molestissimus; uti etiam Nobilem sub cura habui, ictero flavo deturpatum & pruritu tali excruciatum. Quem jam sisto, erat sanguineo-melancholicus, eruditus, 63. annorum, optimæ tamen constitutionis. Hic præteritâ æstate pruritum totius corporis per intervalla sensit, at parum curavit. Accedente hyeme præprimis irrequietas expertus fuit exinde noctes. Quamprimum enim calore lecti pori fuere aperti, summum sensit pruritum, non quidem per totius corporis peripheriam, sed partialiter obambulantem, & modo in his, modo in aliis partibus, ad tempus fixo loco hærentem, instar arthritidis vagæ scorbuticæ: hac nocte pruritus solum caput occupavit, reliquis artubus intactis, illa solum pectus, tum sola brachia, iterum solos pedes, denique ipsam pubem cum membro virili, & sic per aliquot septimanas fuit excruciatus. Expurgato

corpo-

corpore aliquid levaminis ſenſit. Pruritum hunc partialem ſemper anteceſſerunt puſtulæ craſſiusculæ, veluti carnoſæ, absque ullâ humiditate: cuticula autem dum ſcalpendo fuit læſa, exhibuit lineolas ſtriatas ſanguine parum tinctas, pruritu ſic ſopito, lenis ſubrepſit ſudor circa auroram. Adhuc ſemel dato evacuante, ſubjunxi uſum trifolii fibrini, maritatum cum eſſentia lignorum, ad plures ſeptimanas continuando. Sic paulatim malum remiſit. Quando aliquid comedit de cibis ſcorbuticis prohibitis, ex tempore ſenſit lenem pruritum, veluti tamen enervatum & ſtatim diſparentem. Pruritus apud Senes non eſt infrequens affectus, & ſatis durabilis, requiem nocturnam interrumpens, vires tacite abſumens, & tandem maraſmo ſenili concurrente, animæ & corporis amicabilem ſocietatem diſſolvens.

OBSERVATIO LXXIII.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

Tumor globoſus è dextro vulvæ labio prodiens feliciter reſectus.

ANcilla triginta aliquot annorum, melancholica, parvæ ſtaturæ, per annum integrum aluerat pendulum huncce tumorem: & quia moleſtus erat inter eundum, ſepoſito pudore conſilium à me petebat. Luſtrabam cum Chirurgo, Balneatore, locum affectum, & inveniebam pendentem globum in membrana craſſiuſcula, ad quadrantem ulnæ protenſa, vix manu aperta capiendum & obtegendum. Sponte exortum referebat, menſibus parce fluentibus. Jubebam ligaturam indies arctiorem inſtituendam, dolore ſubſequente ſat moleſto, ſicque per octiduum continuabatur. Ægrota moræ impatiens urgebat abſciſſionem, quæ etiam forcipe acutiſſimo prope labium fiebat, cum dolore ægræ & fluxu ſanguinis copioſo. Lecto committebamus ægrotam, & horror ipſam prehendebat cum fluxu menſtruo. Confortabam cum levamine. Poſt octiduum conquerebatur de laſſitudine & dolore gravativo circa pubem, eapropter evacuabam, & ſana per Dei gratiam dimittebatur. Nattam

dat obſervatio 19. Dec. 1. Ann. 6. & 7. Ephemeridum noſtrarum. Materia in globo contenta erat lympha gelatinoſa cum maſſa carnea & membranoſa, quam balneator in camino ſuſpendebat.

(*Grünbergâ Sileſ. Norimbergam miſſa d. 4. Maji An. 1707.*)

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. MICHAELIS ANGELI MORI.

Pleuritis per univerſalem Corporis tumorem ſanata.

HOneſtiſſima Mulier annum agens 36. Pleuritide correpta medicamentis uſa eſt convenientibus, vena brachii ex parte, qua dolor erat, ſecta fuit ſecundo à morbo die, & melius ſe habere viſa eſt, licet dolor lateralis adhuc eſſet vehementiſſimus. Quarto die derepente dolor ceſſat, & maximus in inguine ſentitur cum totali urinæ ſuppreſſione; à quo dolore per diem liberabatur fomento anodyno, & unctione olei de ſcorpionibus; urinæ ſuppreſſione tamen remaniente, quando nocte ſequenti à capite usque ad pedes magno cum muſculorum dolore tumida evaſit, ac ſi hydrope univerſali laboraret, ita ut compreſſis cruribus, brachiis, & coxis fovea inſignis remaneret; & ſic triduo permanſit, maxima cum difficultate expirandi. Inter multa remedia Salis Armoniaci ſpiritus in aquis conferentibus ad potum concedebatur, & etiam ad ſatietatem, nulla enim remanebat ſpes ejus ſalutis. Res mirabilis, quando jam mors expectabatur, quia per novem dies tali in ſtatu commorata fuerat absque ullâ naturali evacuatione, repentè totum ſudavit corpus, & in tantâ copiâ, ut penè per pavimentum excurreret; creſcente ſudore, vires etiam augebantur, donec & urina, & feces excretæ fuerunt, prima coloris atri, & nigri, ſecundæ flaveſcentes, quæ ambo poſtea ad bonum redigebantur colorem, & tertio die ſine febre remanſit. Pruritum autem maximum in univerſa cute ſenſit, quæ etiam aſpera erat ad tactum, donec paulatim excoriari cœpit, & tota cute mundata eſt, quæ dum cadebat in aliqua parte erat magnitudinis conſiderabilis, & adverſus ſolem perſpecta,

colorem

colorem cœruleum reddebat: ex hac affectione nullum incommodum passa brevi convaluit.

OBSERVATIO LXXV.
Dn. D. MICHAELIS ANGELI MORI.
Per vomitum cum tussi diuturni pectoris doloris levamen.

ADolescens quidam de continuo pectoris dolore, difficultate respirandi, & inappetentia conquerebatur, atque per intervalla etiam febri corripiebatur, & licet multa propinarentur remedia, omnia incassum ibant. Viscera omnia abdominis mollia erant, unde in thorace ad evidentiam usque sedes morbi statuebatur. Quadam nocte, quando ob nimium dolorem, & anxietatem spirandi Animam Creatori redditurum Astantes putabant, accersitus ego quoque illum jamjam moriturum credebam. Paulo post derepentè nulla data occasione crepitum, ac si vesicula quædam aëris plena disrumperetur, audivimus, & paulo postea cum tussi reddere incepit substantiam quandam mollem mellis instar, coloris etiam consimilis, ad pondus octo & amplius librarum, qua repurgatâ vires reficiebantur, unde paucis post diebus è lecto surgens, benè se habuit, & adhuc benè vivit.

OBSERVATIO LXXVI.
Dn. D. MICHAELIS ANGELI MORI.
Hydrops per somnum periodicum curatus.

MUlier Tonsoris Conjux, ætatis annum agens 53. post gravem, & diuturnum dolorem in ventriculo, hydrope laborare cœpit, & cum multis medicamentis morbus minimè cederet, morti credebatur propinqua. Derepentè in somnum incidit, qui per diem integrum duravit, & placidè absque ullo stertore dormivit, unde nulla auxilia chirurgica in usum venerunt, alterâ die à tali affectu immunis remansit, sed nullum persentiebat levamen. Tertiâ die ecce denuò in somnum labitur,

& ſtatuta hora per integrum viginti quatuor horarum ſpatium dormitabat. Sic per menſem typo tertianario ſomnus iſte duravit, & ægræ paulatim vires reficiebantur, abdominisque tumor minuebatur, undè omninò relictis medicamentis, naturæ & ſorti opus abſolvendum relinquebatur. Mirabile dictu, intra alterius menſis ſpatium eodem continuante ſomno, hydrops penitus diſceſſit, & ex tabida evaſit pinguis, & carnoſa, & nunc optima fruitur valetudine.

OBSERVATIO LXXVII.
Dn. D. MICHAELIS ANGELI MORI.
Uterus lapidibus refertus.

HOneſtiſſima Matrona 48. annorum per menſes decem de acerbiſſimo in infimo ventre dolore conquerebatur, qui nullis cedebat remediis, licet multa in uſum parata fuerint, ad tactum tumor ſcirrhoſus in utero deprehendebatur, à quo materia acris, & loturæ carnis ſimilis deſtillabat. Tandem pleuritide correpta è vivis diſceſſit; diſſecto cadavere uterus lapidibus plenus repertus eſt ad numerum 32. maximi eorum magnitudinem amygdali æquabant, minimi fabis conſimiles erant, & inter plicaturas, & tubulos uteri infarcti, & incarcerati conſpiciebantur: Aliqui erant coloris flavi, aliqui æruginei, & rupti ad ſimilitudinem cepæ varias habebant tunicas; de iſtis periculo facto in pauperibus ad pondus mediæ drachmæ ſudor promovebatur, unde Bezoardici lapides à me nuncupantur, & tam frequenter in uſum dedi, ut jam paucos illorum conſervem; quare qui mortem cauſati ſunt, nunc ſalutem donant.

OBSERVATIO LXXVIII.
Dn. D. MICHAELIS ANGELI MORI.
Cœcitas ſubitanea.

NObiliſſima Virgo ætatis annum agens 18. poſt gravia intestinorum tormina, alvi fluxionem paſſa fuit, quæ clyſteribus, longis aquarum potionibus, & inunctione olei amygdalo-

rum

rum dulcium curabatur, at ſtatim dolor redibat; unde poſt tales multas viciſſitudines tribus diebus à ceſſatione fluxus potum propinavi cum unciis duabus & dimidia mannæ confectum: Ab hoc medicamento mane ſumpto levamen ſenſit, optimas, & conferentes evacuationes obtinuit, at poſt prandium vaporem quemdam, inſtar flammæ calidiſſimum ex ventrisimo perſenſit, qui ad caput delatus deliquium intulit, à quo brevi reſurrexit, ac de totali viſus deperditione conqueſta fuit. Accerſitus ego cerebrum offenſum judicans, ad medicamenta ſpecifica cerebrum corroborantia curationem direxi, & poſt quatuor dies denuo videre cœpit, ſed non diu hæc lætitia duravit, nam quatuordecim horarum ſpatio elapſo, novo, ſed minore ſurgente vapore, iterum derepentè cœcitas advenit, & per plures dies duravit, unde viſionem amplius non redituram credebatur, licet ego recuperatum iri non deſperarem. Ideò ſupra ordinatis medicamentis etiam purgantia adjunxi, ut minera illa vaporum in inteſtinis latens educeretur, & revera poſt triginta quinque dierum ſpatium variis adhibitis medicamentis longo uſu ſeri rhabarbarati &c. viſio rediit, ipſaque nunc benè vivit, & benè videt.

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. MICHAELIS ANGELI MORI.

Dolor humeri à partu toto ſecundæ geſtationis tempore acerbus, & in ſecundo partu ſponte evaneſcens.

HOneſta Femina laudabilis temperamenti, floridæ ætatis, & nova Nupta paucis diebus ab inito matrimonio concepit, per integrum geſtationis tempus benè ſe habuit quoad omnia, & puellam feliciter peperit; niſi quod dolorum vehementiam in ipſa parturitione minus æquo animo tulit. Quapropter neque Obſtetricis, neque adſtantium Matronarum monita efficere potuerunt, ut clamoribus & univerſi corporis jactationi parceret: præcipuè verò brachium ſiniſtrum aſſiduè huc illuc jactabat, videbaturque illi, ut retulit, aliquod doloris levamen inde

oriri. Paucis autem post partum horis queri cœpit de dolore satis acerbo brachii sinistri; sed quia lochia benè fluebant, & quoad reliqua omnia femina rectè valebat, ex mulierc ularum consilio omnem Medici operam ad dolorem leniendum recusavit. Nondum peracto tempore puerperii rursus gravida evasit, & quamvis toto hujus secundæ gestationis tempore dolor idem brachii perseveraverit, cum aliqua etiam in motu difficultate, nullum tamen adhibuit remedium, quoniam ex opinione cujusdam Medici topica medicamenta sine universalium administratione nihil sibi profutura judicabat, universalibus autem uti nova gestatio non patiebatur. Peperit tandem suo tempore aliam puellam, & cum suo exemplo edocta dolores parturitionis modestius tulisset, postquam in lecto decubuit, sensit dolorem brachii, de quo per integros decem menses conquesta fuerat, statim & omninò evanuisse; qui etiam illam Feminam amplius non tentavit his octo mensibus, qui à secundo ejus partu jam transierunt.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. MICHAELIS ANGELI MORI.

Motus epileptici incipientes à crure per localia ipsi cruri applicita perfectè curati.

ADolescens ad mœstitiam natura pronus, subobscuri coloris in facie, incidit hyeme præterita in motus epilepticos, repentè enim cadebat, convellebantur capitis musculi, alienabatur mens, & omnia demum patiebatur, quæ epileptici pati solent; post paroxysmum referebat se à crure sinistro quamdam veluti flammam ascendentem persentire, quæ universum corpus occuparet, cum autem ad caput perveniisset, vertigine tenebricosa sese obrui, nec quid deinde sequeretur amplius se scire. Post paroxysmum verò crus & femur remanere solebant aliquando stupida. Curatus est in majori nostro Xenodochio, adhibito leni cathartico, & nonnullis antepilepticis, præcipuè verò scarificata

fuit

Fig. I.

Fig. II.



Append.

fuit ſura, unde morbi fomes elevabatur, applicitaque ibidem duo veſicatoria. Notavi in curationis proceſſu, poſt factas ſcarificationes præd. & poſt detractum inde per cucurbitulas ſanguinem, pluries ægrotum queſtum eſſe de vapore illo calido, qui tamen non amplius caput, ſed potius pedem ad extremos usque digitos petebat. Poſt applicitum verò cauſticum veſicans, & illa prorſus evanuit, ac Adoleſcens optima nunc fruitur valetudine.

(*Miſſa ab Exc. D. Lanzono Ferraria Auguſtam Vindel. d. 22. Maji 1707.*)

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENS.

De

Genuina ac certa Arthritidis curatione.

EGi ante annos ſeptem, Tomo ſcilicet VII. & VIII. Decuriæ III. Miſcellaneorum noſtrorum de Podagrâ indolente, ejusque occaſione lignorum decocta, inter optima ejusdem præſervativa, ex *Blankhardo*, *Mayernio* ac *Ettmullero*, ſimul aſſerui. Non tam autem iisdem præcaveri paroxyſmos arthriticos, quam certo curari ſubſequentium temporum experientia hic locorum confirmavit. Anni enim ferè elapſi ſunt quinque, ex quo Viennâ Auſtriæ rediens formulam decocti ejusmodi ſecum Hildeſiam attulit *Illuſtriſſimus Dn. Carolus Paulus Zimmermann*, *S. Cæſareæ Maj. Conſiliarius Aulicus*, *ac Epiſcopi Regiminisque Hildeſienſis Cancellarius*, quod cum in ſeipſo ſemper feliciter probatum, ſubin aliis idem petentibus communicavit, à quibus eodem pariter ſucceſſu ſemper adhibitum eſt, adſtitique ipſe aliquot Reverendiſſimis ac Illuſtriſſimis Perſonis, diverſæ ætatis, temperamenti, diætæ ac vitæ generis, qui quamprimum inſultum dolorum ejusmodi ſive in pedibus, ſive in manu, ſive in brachio perceperunt, ſtatim decocti hujus uncias circiter ſeptem, ſingu-

lis

lis dimidiis horis assumentes, cœterisque circa diætam observatis, ab iisdem immunes evaserunt. Urina autem in copia secessit, in quibusdam etiam alvus laxior reddebatur, veluti purgante assumpto. Quod me permovit, ut cum dictus Dn. Cancellarius pro suo publica commoda promovendi favore formulam decocti typis imprimi curasset, ejusdem exemplar Actis Ill. Societatis Nostræ inserere dignum judicarim, nullus dubitans, quin idem planè effectus etiam aliis in locis subsecuturus sit, & nunc demum ars nostra de triumphata quoque invictâ hac Dea, quo epitheto *Lucianus* olim podagram mactabat, imposterum sibi gratuletur.

Loco autem Formulæ Germanico idiomate expressæ, Latinam, Exterorum in gratiam, dare liceat: ℞. Polypodii querni, Hermodactylorum, rad. Chinæ, Sarsaparillæ aa ʒiiij. Guajaci ʒvj. Hermodactyli crassè contusi, & reliquæ species minutim incisæ, in olla magna cum aquæ septem, & vini albi Mensuris Viennensibus duabus ac dimidia ad quartæ partis consumtionem coquantur, postea fiat colatura; remanentia denuo cum mensuris quinque semis aquæ, & sesquimensura vini ad quartæ partis exhalationem coquatur; colatura servetur.

Decocti hujus tantum, quantum poteris, bibe; quo plus bibes, eò citius convalesces; quamvis ultra quatriduum non in usum veniat; quo tempore omnibus jusculis, lacte & fructibus abstinebis, nec alio potu, præter hunc, uteris: econtra variæ salubres carnes, assæ inprimis conducent.

Die quarto lene laxans adhibeatur. Et hac ratione omnis podagrica, ischiadica, aut rheumatica defluxio citò curatur.

Dolores intra octo vel decem horas cessant, modò diligenter potaveris, nec præter aliquam loci, quem fluxus occupaverat, debilitatem, quidquam remanet. Nullatenus purgat hoc Decoctum, sed omne malum per urinam educit.

(*Hildesio Noribergam d. 28. Febr. Anno 1707. missa.*)

De

* * *

De famoso apud nos decocto antipodagrico, cujus descriptionem communicavi, notitiam etiam *Miscell. Illustr. Regiæ Societatis Berolinensis* injeci, quædam adhuc continuare animus est. Scilicet præcipuum, quod ipsi sub initium obmovebatur, quantitas nimia ejusdem est, quæ ventriculum quasi obrueret, ut fibris ejusdem nimis relaxatis tonoque destructo, decoctum illud non rectè digereretur, adeoque vel effectu suo frustraretur, vel graviora mala corpori induceret. Verum hæc ipsa absque ratione timeri experientia in subjectis omnibus luculentissime comprobavit, ne dicam, quod decoctum ipsum ventriculum non admodum gravet, sed ceu liquidum quoddam ac particulis activis imprægnatum, adeoque mobile, urgente simul decocti pondere, tandem perlabatur. Duorum autem imprimis ægrorum exempla se obtulerunt, quorum alter propter ventriculi debilitatem colicis doloribus frequentissimè obnoxius existit, adeò ut quoties extra urbem pernoctetur, & juxta cum vino cerevisiam non assuetam bibere cogatur, semper colicam flatulentam patiatur, incubum quendam referentem. Hic ipse cum ante biennium paroxysmo suo podagrico corriperetur, & status publici ratio præsentiam ejus flagitaret, decoctum, quod ob ventriculi debilitatem semper aversatus fuerat, quarta circiter paroxysmi septimanâ hausit, tali quidem cum effectu, ut sudor ex pede affecto erumpens odore decoctum referret, Dominus verò Æger intra quatriduum molestissimo hospite suo liberaretur, inque publicum prodiret, nec quicquam verò seu sub cura, seu post eandem de colica sua aliaque imbecillitate ventriculi perciperet. Alter verò Æger ventriculo quoque imbecilliore & frequentiore colica gravatus, simili ratione decoctum consueto successu hausit, absque molestia, nisi quod alvus enormiter solveretur, & intra biduum ad triginta vices purgaretur.

Secundum quod circa decocti hujus usum observavi, est,

illud in gonorrhœa affectis usurpatum podagram quidem etiam abigere, sed circa gonorrhœam necquicquam mutare, permanente scilicet, urinâ quamvis copiosius prodeunte, seminis effluxu, ac filamentis in urina consuetis. Quamvis duo, in quibus hoc ipsum notavi, ægri jam gonorrhœa ab aliquot annis invetcrata laborent.

Tertium est, quod à quodam decoctum hoc cum sola aqua paretur, laudabili etiam cum effectu.

Quartum, quod ante menses duos demum exemplum mihi occurrerit, in quo decoctum exspectatione sua frustratum est. Æger scilicet triginta annorum, parente natus, cujus pes alter diuturno ulcere laborat, podagrico quoque insultu corripitur, qui tamen quod esset levior, euporistis ac domestícis tum removebatur. Post quatuor circiter septimanas iterum paroxysmo eodem obruitur, & quidem quod multæ comessationes nocturnæ, saltationes aliaque ejus generis præcessissent, tantâ cum vehementiâ, ut præ doloribus quatuor noctes insomnes traheret. Vocatus ego primum topico quodam externo doloribus lenimentum dedi, alteroque die decocti usum suasi, quod etiam absolvit æger, ita tamen, ut multas sedes liquidas diarrhœæ instar patcretur, parùm verò urinæ remitteret, & nihilominus dolor arthriticus pedis dextri cessaret. Vix autem dies duo præteribant, cum ille, seu quod pedibus justo diutius institisset, seu aliâ ex ratione, quam ægri etiam Medicis non libenter aperiunt, iterum dolore pedis dextri corriperetur adeò acri, ut propria sponte decoctum iterum peteret. Suasi etiam ipse, absolvitque Dn. Æger alteram curam quoque magno cum obsequio, nec tamen alvum ita liquidam experiebatur, & majorem urinæ copiam excernebat. Appetitus quoque sub cura ipsi augebatur, dolor tamen pedis non remittebat, ac insuper tumor ejusdem superveniebat. Unde ad alia medicamenta accessi, quæ etiam ita cesserunt, ut post quatuordecim demum dies æger in publicum prodiret, & omnia rectè se haberent. Quamvis verò hoc casu decoctum effectum suum non præstitit, non minus

tamen ſpecifici antipodagrici nomen meretur, ac laudanum, etiamſi vigilias non ſemper ſiſtat, aut dens apri, licet non omnes pleuritici eodem curentur, cum non omnes in morbo circumſtantiæ eodem modo ſe habeant, & ex rationibus illis octo curationes morborum impedientibus, quas in *ſelectis Medicis Sect.* 1. §. 10. recenſui, tertia huc maximè quadret.

(*Hildeſio Auguſtam Vind. d. 21. Maji Anno 1711. miſſa.*)

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. SAMUELIS GROSSII.

Porrigo univerſalis ex defectu Veſicæ.

NObilis cujusdam Noſtratis uxor gravida, cùm ſexto Menſe prona in terram caderet, nullumque enormem dolorem exin ſentiret, debito tempore puellam enitebatur benè aliàs formatam & vegetam, niſi quòd infra umbilicum excreſcentia carnea ovi gallinacei minoris magnitudine labia pudendorum ſuperiora finderet. Excreſcentia hæc carnea ſubtus, tria habebat foramina, quæ ſtylum in cavitatem quandam promptè admittebant, (ex hiſce tamen foraminibus nihil quicquam effluebat) verſus abdomen eadem intus aperta erat, & vagiente infante, inteſtinum ſuccedebat, quo repoſito fæces exibant per alvum. Urinam nunquam emiſit, ſed in dextro latere excreſcentiæ circumferentia ſemper madida ſerum urinoſum ſtillabat roris inſtar. Subinde convulſivis motibus tentabatur, porrigineque univerſali per totum corpus defœdabatur, muſculoſusque habitus ubique, præſertim circa juncturas articulorum exeſus, ſanguinem plorabat. Tandem poſt 9. ſeptimanas atrophiâ totali correpta, vitam cum morte commutabat. Conceſsâ ſectione inveniebatur in excreſcentia illâ hernia inteſtinalis, foramina verò illa tria in cavitatem quandam utero haud abſimilem deſinebant, veſica planè nulla aderat, ex renibus tamen ureteres in ſubſtantiam carneæ excreſcentiæ inſerebantur, nec ulla gutta ſeri

in cavitate abdominis reperiebatur. Hinc patet, quòd insufficienter excretum serum urinosum, & hinc regurgitans in vasa, prædicta symptomata causatum fuerit.

(*Vratislaviâ Augustam Vind. d. 14. Junii Anno 1707. missa.*)

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. D. SAMUELIS STEURLINI.

Eclipses Solis morbos causant.

Microcosmum ex Macrocosmo tanquam fœtum in utero per sympathiam plurimos pati affectus, quamvis non universaliter omnem simul, interim tamen particulariter scilicet dispositum ad recipiendam causam agentem, agens enim non agit, nisi in subjectum dispositum; idque probatur quotidiana experientia; tempestas aëris frigida septentrionalis afficit catharrhosos, quorum constitutio & humidum radicale impuritate humida peccat vel abundat, tempestas calidior sub mense Leonis dispositos ad Maniam quandoque annuatim afficit, canes reddit rabidos, febres excitat cum deliriis & phrenitide ex exaltatione acuta Mineralium malignorum in Microcosmo occultè latitantium: Sic & specialiter quandoque afficiuntur quædam vegetabilia, quædam animalia, certa quædam terræ regio malignitate, unde vegetabilia contabescunt in extremitatibus malignè corruptis, animalia ægrotant atque pereunt; veluti sub cursu veris anni hujus 1707. in toto penè districtu Hennebergico & Franconico copiosè & fermè omnia jumenta passa fuere tumorem partium extremarum cum contabescentia & debilitate summâ virium, serum impuritate maligna affectum in lingua causavit tumorem, ardorem cum sputo copioso & erosione partium linguæ, successu temporis evanuit morbus absque remediis adhibitis, ubi verò in calido antimonium vel cineres nicotianæ vel gentianæ cum sabina fuere adhibita, citius levamen morbi est subsecutum, ob citiorem expulsionem impuri seri, ab obscura-

tione

tione magnâ Solis forſitan univerſaliter cauſati, ſub qua maligni. tas aëris prædominari ſemper ſolet; idem malum ex impuritate malignâ ſeri ſimilimo affecit modo diſpoſitos, præſertim juniores homines quosdam cum deliriis, quosdam absque deliriis, omnes verò febre catharrhali maligna vires & partes citiſſime conſumente; in qua ſal volatile CC. ex fixo & volatili puriſs. c. cinnab. vel pulvere viperin. compoſ. vel mixti ſalis volat. vel ſpirit. fulig. eſſent. cum antimonialibus largius adhibita ſolum ſufficientia fuere: quibusdam laxans ex mercur. & pulv. gial. fuit neceſſarium & maximè proficuum. Simili modo ex inordinata motione fertilitatis Macrocosmi ſuperioris anni, ubi arbores copiosè ſub menſe Januar. & præteritis menſibus floruere, motor etiam Microcosmi excitatus miros & vix auditos cauſavit affectus celerrimè graſſantes, præprimis in tenerioribus, ſcilicet purpuram, morbillos, variolas, varia ſubjecta ſimul omnes afficientes cum celerrima ſubſequente vel ſuffocatione vel epilepſia lethali, inprimis ubi natura fuit impedita in expulſione malignitatis, vel ex defectu ſpecificorum vel ex incuria ſubjecti & adſtantium: commodiſſima verò obſervavi remedia Mixt. S. volat. vel ſine vel cum ſale vol. C. C. cinnabarin. bezoard. ſolar univerſ. ex Regulis &c. it. fl. corall. ocul. cancr. viper. pulv. Reliqua compoſita, copioſa refrigerantia, præprimis anodyna, corrupta fuere ratione & experientia nociva, cum alias notent defectum cognitionis cauſæ & confuſam inefficacemque medicinam.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. SAMUELIS STEURLINI,

De

Maniacâ curatâ.

MAniaca quædam à Medicis æque ac Theologis pro plane obſeſſa à Diabolo habita, ex geſtibus rabioſis ineptiſſimis, deſpiciens atrociter monita, precesque, quinimò caſtigationes quasvis omnes, ex urinæ ſuperficie, variâ ſalium acutiſſimorum ſpiritualitate colorata, viridi, flava, rubraque gliſcente indicabat

morbum naturalem maniacum & ſpirituum præternaturali vitriolica acuitate motuque, nervos, cerebrum, regionemque rationis afficiente, tandem inaniter omnibus tentatis vulgaribus ſolum reſtituta fuit; crebro ſcil. uſu florum antimonii cum ſale ammoniaco præparatorum in potu aquæ ſimplicis & per intervalla adhibito Nitro Antimonii cum rad. hellebori nigri, & repetitâ venæſectione. Præterea multos rabioſos catenis plurimis ligatos ſupradictis ſimplicibus tutò curatos expertus fui, nec obſtat ratio curationis ex cognitione diſtincta cauſarum morbi & aptiſſimi hujus remedii; ſulphurea enim ſubſtantia antimonii acrimoniam ſalium acutiſſimam non modò mitigat, ſed & ex angulis ſtomachi & reliquorum fundamentaliter removet, nitrata furorem mitigant, & aperiendo corpus cum helleboro nigro ſpecificè bilem dictam combuſtam acrem ſalinam eliminant.

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. SAMUELIS STEURLINI.

Epileptica curata.

EPileptica virgo 14. annorum ex epulis plurimis & vino aſſumptis, ex tempore ſolùm frictione calida ex decocto rutæ cum vino feliciter curata; hæc enim per intervalla ſentiebat in lecto cubans ſpasmum in brachio ſiniſtro, hic penetrabat ſucceſſivè totum corpus, & cauſabat convulſiones totius, præprimis verò præcordiorum cum jectigatione totius & vociferatione miſeranda, ex defectu aliorum remediorum juſſi decoctum Rutæ calidum continuò adhibere, & convulſiones primitus ex brachio ſiniſtro, poſtea & ex aliis perierunt partibus univerſæ, cum ſalute patientis; eandem frictionem & quidem ſiccam ſæpiſſimè ſalutarem expertus fui in variolis & morbillis expellendis, & in territionibus, ſpiritus enim exaltatus acutus nervos vellicans per poros elicitur, materiaque morbum cauſans ad peripheriam promovetur.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVI.
Dn. D. SAMUELIS STEURLINI.
De
Hydrope ascite curato.

PAuca Medicum nobilitant remedia, sc. pura concentrata & virtute exaltata, absque impuritate enim cuncta felicius agunt; plura copiosa composita impura incertæ & tardioris sunt efficaciæ, faciunt curam sumtuosam & patienti tædiosam; id quod luculenter demonstrat subjectum tenerrimum Hydrope ascite cum tympanitide ita laborans, ut præcordia, alvus cum lumbis essent cum nitore tumida, cum pulsu in omnibus arteriis frequenti, siti, tussi, urina pauca, rubra, crassa, in medio digestionem adhuc demonstrante, propinato in vehiculo calido, omni hora sale volatili & fixo purissimo, urina fluit liberior, subtiliorque, magis digesta, cum successivâ imminutione tumoris, papyri mensurâ notati; Mercurio fixato vasa mesenterii serosa & chylifera depurantur per vices, & sic pauciſſimis puris, inaniter antea adhibitis multis pulveribus grossis, carminativis &c. tumor abit hydropicus & tympanites, cum remanentia tamen inclinationis ad cachexiam, ex esu & potu nimio ac immoderata quiete; quæ cachexia secundâ vice supra dictum hydropem minabatur ex negligentia diætæ Patientis, interim tamen destructa paucis supra dictis. Tophos præterea sentiit hic patiens Nobilis scorbuticos fixos induratos in femoris summitate sub vespera acriter dolorificos, cum vigiliis & tumore partium; multis emplastris pretiosis ab aliis adhibitis, & inaniter etiam in usum ductis balneis calidis naturalibus, tentavi pulvere quodam sympathetico albo, magneticè acrimoniam salium attrahente & mitigante, affectum lenire, & subsequente de die in diem quiete, evanuerunt tophi præter opinionem; ne verò iterum cum majori dolore increscerent, locum affectum in bino latere aperui, viscosissima protrudebatur materia cum extinctione mali; ast demum infeliciter hic Patiens sub itinere vernali catarrho acri afflictus, motu tussis-

rum-

rumpit vasculum sanguiferum, ob tonum viscerum debilem, & sic orta hæmorrhagia magna incurabili subsequitur mors beata.

(*Silusio Augustam Vind. M. Jul. An. 1707. missa.*)

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Febri cum punctorio laterum dolore, tussi ac roncho lethali.

DUlcissima filia mea Catharina Dorothea habitûs corporis floridi ac venusti, temperamenti sanguineo-melancholici, postquam die 25. Junii Anni hujus 1707. undecimum ætatis annum compleviſſet; circa 20. Julii de dolore auris dextræ cœpit conqueri, qui tamen ita comparatus erat, ut nullum lectioni librorum, exercitio in arithmeticis & graphice, ut & arte saltandi ac negotiis domesticis, maximâ, ut ante fecerat, alacritate obeundis afferret impedimentum. Vigesimô secundô Julii autem dolores capitis ab aliquot annis satis ei familiares perpetiebatur cum ructibus & gravitate circa regionem ventriculi, ciborumque fastidiô. Sequenti die, qui primus erat decubitus, cephalalgia cessabat, crescente siti & calore. Circa Vesperam ac per integram etiam noctem molesta ei tussis sicca, quâ sæpè antehac ventriculo (errore huic ætati non infrequenti) paulo magis, quàm par erat, cibis repleto vexari consueverat; puncturas etiam sentiebat in latere siniſtro, quæ illitô spiritu vini camphorato statim evanescebant. Pulsus frequens erat, æqualis tamen, nullô modô durus aut tensus. In eodem statu omnia die 24. Julii & nocte, quæ diem hunc excipiebat, somnus, si quando tussis non eum abrumperet, ægram, sicuti & præcedenti nocte contigerat, utcunque refocillabat. Enim verô exquisitissimus dolor pungens ac distendens 25. Julii circa horam duodecimam diurnam latus siniſtrum imò & dorsum ipsum exercebat; spiritus erat difficilis ac frequens, non tamen adeò densus; tussis autem doloris

loris sensum maximoperè intendebat. His symptomatibus jungebatur, qui circumstantes omnes turbabat, vehemens ronchus, ein sehr grosses Röcheln/ qui ab eo tempore noctu diuque sine intermissione ad beatam usque analysin jam intensior, jam aliquanto remissior continuavit. Circa noctis duodecimam, cùm parum dormiisset, urinam reddebat non adeò saturatam, quæ mox turbabatur; adhæc dolores imminuebantur, nec tantâ vehementiâ urgebant, donec iterum horâ sequentis diei duodecimâ recrudescerent tantâ ferociâ, ut sumpta S. Eucharistiâ ad mortem sese pientissimè præpararet. Sed post sex horas aliquæ concedebantur induciæ. Urina erat turbidissima, pulsus, qualis ab initio, frequens & debilis. Aliquis etiam somnus sequebatur. Die 27. urina clara sine sedimento persistebat, & dolor, quantumvis non tàm immanis, à latere sinistro usque ad regionem ventriculi procurrebat; de reliquo eadem symptomata, quæ pridiè; nox δύσφορος multaque tussi & frequenti respiratione transacta est, sudoresque circa horas matutinas per totum corpus erumpere cœperunt. Die 28. Julii, qui erat à primo decubitus die sextus, dolor mutatâ sede latus dextrum cum ante memoratis symptomatibus exercebat. Urina manè reddita sedimento usque ad meridiem carebat, ea verò, quæ post meridiem excernebatur, eô, post duas horas, abundabat. Præterea corpus totum blandô sudore madebat. Septimô morbi die vix alia rerum facies, nisi quòd dorsum circa duodecimam ejus vertebram dolor vehementius affligeret. Cæteroquin hoc & antecedenti die malæ modò in hac modò in alterâ parte roseô & laccæ florentinæ æmulô colore perfundebantur; quâ re semel iterumque animadversâ anxius trepidavi. Etsi autem multum tussiret, nihil tamen quicquam, quod mireris, toto hoc temporis intervallo expectorabat, etiamsi fauces gargarismô die 30. Julii & sequenti colluerentur. Lingua satis erat humida, parumper rubebat, neque tamen per omne morbi tempus crassa aut nigra reddebatur vel findebatur. Nares prorsus erant siccæ, & ut hoc etiam addam, frigidæ. Citius quoque ex pumice aquam quam lachrymulam ex oculis

puellæ, ad lachrymas fundendas auditô paulò acerbiori casu alienos etiam concernente proniſſimæ, elicuiſſes. In urinâ per hoc biduum denuò copioſum conſpiciebatur ſedimentum, ſed ingens erat virium deliquium pulſusque planè exiguus. Et die 31. Julii ferè actum videbatur de vitâ, eadem erant ſymptomata, viriumque majus diſcrimen, & motus arteriæ vix ac ne vix admotis in carpo digitis percipiebatur. Modò ad hunc modò ad illum locum deferri cupiebat. Id verò etiam annotatione dignum, quòd, quamdiu ex puncturis lateris ſiniſtri dolebat, non potuerit in hoc latus decumbere, ſed vel ſupina jacuerit, vel in latere dextro cubarit, ſimulac autem dolor hinc faceſſeret, optimè ſiniſtro lateri, non autem dextro dolenti, tandem verò & huic, ubi puncturæ illud etiam deſeruiſſent, incumbere valuerit. Ex his phænomenis facilè patuit, ſanguinem alicubi in corpore ſtagnare, imò & in coagulum abiiſſe atque hinc febrim eſſe excitatam, ſtagnationi autem huic humorum per frigidiorem potum, corpore per motum calefacto hauſtum, anſam fuiſſe ſuppeditatam ſuſpicio eſt hodienum adhuc firmiter menti meæ inhærens. Primô decubitûs die cum mentionem lenioris cathartici injicerem, obſequioſiſſimè filia ab evacuantibus & reſiquis omnibus medicamentis ſummoperè abhorrens (nam non ſemel ea vomitu antehac rejecerat, & aliquot ante morbum diebus monitis meis obſecutura cùm polychreſtas Beccheri pilulas magnâ ſibi illatâ vi deglutiiſſet, nullâ ratione, quicquid ageret, impedire potuit, quin easdem per vomitum denuò redderet) ejus uſum deprecabatur, addens, ſibi moriendum eſſe, ſi vel ad purgans vel vomitorium accipiendum paternô mandatô adigeretur. Subſtituebantur purgantibus enemata, quæ ei ſingulis diebus usque ad nonum fuerunt injecta, atque his obſtructioni alvi & primis viis conſulebatur. Reliqua cura omnis ad ſtaſin ſanguinis & coagulum humorum diſſolvendum à primo morbi inſultu converſa fuit & directa. Cùm verò diſſolutio illa non obtineri poſſe videretur per additionem materiæ alicujus ſubtilis ad coagulatos illos humores, ſicuti non pauci ſunt, qui ſalium

vola-

volatilium urinosorum efficaciam hìc ad cœlum usque extollere solent, tùm quòd *immediatè*, ut vulgò loquuntur, *condensatam materiam non attingant*, tùm quod *in tanta quantitate, quæ ad hunc effectum præstandum esset necessaria, nequeant exhiberi* propter motus constrictorios ac translatorios secretionibus & excretionibus è diametro repugnantes ex eorum usu in partibus fibrosis resultantes; eò ab initio morbi impensè allaboratum est, ut æqualis & libera distributio sanguinis obtineretur, ac jugi vitalis hujus laticis sufficientique ad coagulum appulsu aliquid de stagnanti materiâ abluеretur, vel, si mavis, abraderetur, & sic sensim stasis dissolveretur, unô verbô, ut febrilis commotio sanguinis à natura ad stagnantem materiam dissolvendam excitata rectè ac prudenter dirigeretur. Nec minùs opera data fuit, ut materia in corruptionem vergens liberâ transpiratione ex corpore eliminaretur, orgasticæ corruptelæ obex poneretur, & simul etiam massa humorum attenuaretur, cùm in ejusmodi statu, ut rectè observat Sydenham, sanguis maximoperè lentescere soleat. Manè itaque accepit vel mixturam simplicem additô tantillô Spiritus Nitri dulcis & syrupo flor. papav. edulcoratam vel essentiam ex radiçibus alexipharmacis pimpinell. alb. helenii, petasitid. contrajerv. vincetoxici &c. præparatam & cum essentia gummi ammon. peculiari in subtripla dosi mixtam; Horis verò pomeridianis circa quartam & tandem circa noctem pulvisculos ex ocul. cancr. lap. percar. mandibulis luc. pisc pptis Antimon. Diaphoretic. &c. compositos & mistos cum sextupla parte Nitri aut Tartari vitriolati vel Arcani duplicati; hæc enim, dum serum colliquant, ac lentescentem dispositionem corrigunt, absterstvâ discussione effectum præstare notum est. A Camphorâ & Myrrhâ abstinui, majorem sanguinis incalescentiam veritus. Externè Spiritus Vini Camphoratus cum essentia Croci adhibitus fuit, applicati etiam sacculi paregorici; ab unctuosis & aliis valdè mucidis, quantum fieri poterat, cavimus. Hæc aliaque cum moderatô regimine diapnoico administrata fuere, non omissis humectantibus e.g. infusô foliorum Thee cum scor-

diô, juſculis ex Chærefolio, floribus bellidis &c. gelatinoſis demulcentibus &c. Anodyna & opiata abeſſe juſſimus. Potiones quidem averſabatur, monita tamen ſubinde mixturam ex temperationibus bezoardicis & aquis diſcutientibus ac reſolventibus, ex. g. aqu. ſcabioſ. Chærefol. heder. terr. flor. bellid. ſcorzoner. &c. ſyrupo hyſſopi vel alio quodam edulcoratam libavit. Pulverem, quem ſperma ceti cum ſacchar. canti ingrediebatur, maximoperè faſtidiebat, & vix bis aut ter de eo aliquid deguſtavit. Venæſectionem die 26. Julii, quo punctura ſummoperè intendebantur, celebrare animus erat, ſed quia, ut dixi, urina circa duodecimam nocturnam tanquam initium quarti diei à decubitu reddita turbabatur & copioſum deponebat ſedimentum, eam omittendam eſſe duximus multiplici experientiâ edocti, incautâ in ejusmodi rerum ſtatu venæſectione naturam turbari, excretiones ſupprimi, & omnia in deterius ruere. Accedebat ætas tenera puellæ, recordabar quoque, quòd toties vidiſſem absque ullo dolorum levamine in ejus generis doloribus ſanguinem fuiſſe detractum, nec ignorabam, doctiſſimos quosque viros de efficaciâ V. S. à multis ſeculis etiam in febribus extra omnem controverſiam inflammatoriis hæſitâſſe. Præterea, nec pulſus, ut ante relatum eſt, tenſus, plenus aut magnus erat. Maturè invitati fuerunt Honoratiſſimi Domini Collegæ, Dn. D. Preus, Graſſius, Pauli, Klaunig, Practici experientiſſimi, ut & ægram & me mœſtiſſimum parentem conſilio ſuo ſublevarent, iisque expoſitum, quid hactenus ad quartum & ſextum diem morbi in cura fuerit actum. Oſtendebam, me à pectoralibus & linctibus datâ operâ abſtinuiſſe, & hactenus ne in peripneumoniâ & pleuritide ægrorum aliorum in iis ullam poſuiſſe fiduciam, ſed bezoardicis & reſolventibus cum pectoralibus cautè mixtis contra hos morbos pugnâſſe, ac in eo etiam me ſuffragio Wedeliano *in Compend. Prax. Clinic. exemplar.* p. 39. fulciri. Omnes unanimi conſenſu methodum medendi & medicamenta à me præſcripta probabant, ac uſum remediorum ordinatorum continuandum eſſe judicabant. Rogatus, ecquidnam de ſede

morbi

morbi & subjecto causæ statuerem, respondi, ejus rei cognitionem non adeò magni ad præsentem curam momenti esse videri, cum morbi ex humorum stagnatione oriundi, & cum febri continuâ complicati, eâdem methodo iisdemque medicamentis omnes rectissimè curentur, eò quidem, quòd remedia, quibus humores coagulatos resolvendi potestas tribuitur, nulli planè parti internæ corporis immediatè, ut vocant, applicari queant. Subjunxi tamen me vix præsentem morbum pro pleuritide aut peripneumonia habere posse; nam præterquam, quòd Cælius Aurelianus *lib.* 2. *acutar. passion. c.* 13. pag. 98. rectè observârit, pleuritidem magis *Viris* quàm *Fœminis*, & inter illos *Senibus magis* quàm *Juvenibus*, ac *hyberno* potissimum *tempore* non *æstate* esse infestam, pulsus nullo modo erat durus aut tensus. Et profectò nullo modo potuisset lateri à dolore immuni incumbere, quod quàm optimè poterat, si pleuritide laborâsset, quia pulmo in eo situ necessariò manet pendens, proprioque pondere pleuram cum appendicibus adducit, unde non potest non difficultas maxima quiescendi in latere sano oriri, hæc autem, ut dixi, hìc prorsus aberat. Porrò cùm ex Anatomicis constet, pulmonem esse aggregatum ex lobulis, lobulos ex subtilissimis membranis esse efformatos, membranas à reti subtilissimo cingi, ac ex lobulis infinitas emergere ramificationes, easque cum tracheâ habere communicationem: Cùm id quoque constet, quòd in pleuritide, si tot insignium Virorum multoties repetita experimenta (Petrus Servius, Archiater Romanus cum viveret, affirmare solebat, plus quàm 300. in Nosodochio ad S. Spiritum Romæ pleuriticos à se sectos, & semper aliquem pulmonis lobum infectum, materiaque repletum conspectum esse, *pleura aut nihil ad sensum vitiata aut leviter tantum inquinata:* idem quoque in 20. pleuriticis observavit Barthol. Vicarius, ut jam non commemorem Claudinum, Orium, Tulpium, Malpighium &c.) ullam apud nos merentur fidem, non tàm in pleurâ quàm in pulmonibus, & in his non membranæ ac pelliculæ, ex quibus lobulos constrúi diximus, quippe quæ dilatari possint, sed vasa

minima, quæ tracheæ inseruntur, per stagnantem & effervescentem sanguinem aperiantur; vix fieri aliter potest, quàm ut in pleuritide vasis minimis ruptis, sanguineum excernatur sputum: Enim verò durante toto ferali morbo mellitissima mea filia nullum prorsus, multò minùs sanguineum ac purulentum ejecit sputum. Ulterius punctura, quod alias in pleuritide fit, pulsui non respondebant. Multò minùs credere licebat, eam cum peripneumonia conflictari; nam si hujus morbi signis, quæ satis dubia, incerta, ac ut cum Malpighio loquar, æquivoca sunt, ullo modo credere licet, peripneumonia cum insigni horrore ac frigore incipit, primis quoque diebus, testante ex multiplici experientia, Pisone *de morb. ab illuvie serosa*: sect. 3. c. 9. non rarò cum vomitu conjuncta est; nares simæ in summo sunt in eo morbo, venæque temporum grandescunt, oculi eminent, lingua ex flavo rubescit, ingens frigidi potûs cupiditas est, pulsus magnus est ac celer, intermittens undosus &c. at nihil horum in filiâ meâ reperiebatur, nec in latus indolens reclinata præfocationis periculum ullô modô incurrebat. In nares illius igneus fervor tantùm abest ut aspiraret, ut ipsæ etiam essent frigidæ. Verum est: in latere primùm sinistro, deinde & in dextro puncturas exquisitissimas passa est: attamen propterea non illicò, juxta illud pervulgatum, *ubi dolor, ibi morbus*, inferendum erit, in lateribus fuisse sedem ac focum morbi; nam commune illud universaliter verum non est, sicuti ex observationibus Anatomicorum constat: Matrona, testante Malpighio, de acerbissimis doloribus versus uterum conquerebatur, ac noster celeberrimus Anatomicus in unâ emulgentium, ubi nunquam dolorem senserat, post fata abscessum deprehendit; ac rursus in alio repertus fuit calculus ramosus insignis magnitudinis, qui dolorem non in lumbis, sed in genu perpessus fuerat. Ac profectò immotæ veritatis videtur esse, quòd in *diductione & contractione nervorum partiumque membranosarum commotio non sit vehementior in partibus causæ movenți proximis, sed in remotioribus ac versus alterum caput*, cui assertioni uberius lumen fœnerantur, quæ

passim

passim inculcat Celeberrimus Georgius Baglivius. Nec ex aliqua respirationis difficultate & impedimento statim est concludendum, pulmonem ac pleuram pati; nam, ut narrat Clarissimus Anatomicus quidam, in Asthmatico crebrâ & per intervalla etiam anhelosâ respiratione affecto tam gravi insultu, ut in paroxysmo sæpe erectâ cervice sederet, postquam mortuus fuerat, non in pulmonibus, sed in glandulis mesenterii detectum fuit vitium. Ronchum quod attinet, eum credebam oriri ex lymphâ in fastigio laryngis stagnante ac extravasatâ; nam evidens est aëri ad pulmones ruenti & rursus ex pulmonibus ad os & nares regredienti, obicem & impedimentum per illud ipsum humidum in majori quantitate exundans poni, eundemque (aërem) dum non nisi cum violentiâ quadam per illud obstaculum, scilicet lympham stagnantem, perrumpit, stridulum illum efformare strepitum. Jure etiam in nostrâ ægrâ suspicari licebat *conniventiam limborum in meatibus nasi posterioribus*, quos homo, dum valet, pro lubitu movere potest. Malarum quoque abruptus ille rubor duobus illis affectibus, pleuritidi, inquam, & peripneumoniæ minimè proprius est, cùm ob alias multas causas genæ rubere possint, ut benè notavit Petrus Franciscus Phrygius *Comment. in hist. Epidemic. Hippocrat. parte* 1. *ægroto* 14. *p.* 212. imò, quod etiam me vidisse memini, juxta illum ejusmodi *rubedo non raro perotides præsagit.* Potius ergò, his omnibus rite perpensis, inclinabam in eam sententiam, mali sedem in abdominis visceribus, primariò autem in hepate ac mesenterio fixam hærere multiplici experientia confirmatus, quòd & *tussis & respirationis difficultas ex ventriculi, hepatis, mesenterii congestoriis, inflammatoriis, spasmodicis ac scirrhosis affectibus oriatur*, quoniam etiam hisce malis diaphragma in consensum trahitur, ac eo ipso motus concussorius, quam tussim appellamus, cum aliquâ respirationis difficultate excitetur. Ac hepar non esse immune colligebam non tantum ex prænominatis symptomatibus, tussi, impeditâ respiratione, dolore costas nothas perstringenti & ad jugulum usque & humeros sese extendenti, sed etiam

ex *gravitate lateris dextri* ac ex urinæ paucitate; nam & hoc addendum superioribus censeo phænomenis, quòd semel ferè tantum in die per totum morbi tempus urinam reddiderit. Quicquid verò tandem hâc de re fuerit, medicamenta morbo oppugnando fuisse apta comperimus die 1. & 2. Augusti, nam illis ordine convenienti exhibitis sensim dolorum ferocia remittebat, imò jam nox, quæ 31. Julii diem excipiebat, sensum eorundem imminuerat. Alvus sponte aperiebatur. Urina sedimento erat fœta & clarior reddebatur. Uvas passas degustabat, ficus appetebat, vinique cochlear sibi dari postulabat. Die 4. Augusti vultus multò erat hilarior, cibum iterum appetebat, sed nox propter copiosissimum sudorem erat inquietissima; quintô autem die magna erat symptomatum malacia, & febris, quæ hactenus continuarat, multum remittere videbatur, ex parte etiam imminutus erat ronchus; sed ecce in regione processus maxillæ inferioris, quem coronam vocant Anatomici, tuberculum pisi magnitudinem æquans conspiciebatur, id quod ægræ magnum doloris, mihi verò summum tristitiæ sensum inferebat. Communi Dominorum Collegarum consensu decernebatur, exulare debere omnia repellentia, nec probabantur cataplasmata aut unguenta vel emplastra emollientia & suppurantia; innoxium tamen esse posse scobis cornu, ex quo pectines formantur, calidè applicatæ usum (eam enim scobem sale volatili esse prægnantem) addebatur. Applicata igitur semel ac iterum fuit. Sudores per diem continuabant & noctem, quâ tranquilliorem totô morbô non habuit. Sexto Augusti eadem erat tuberculi conditio, nec augebatur, nec minuebatur, sed circa noctem, quæ admodùm fuit turbulenta, calor denuò intendebatur, & pustulæ instar purpuræ scorbuticæ in dorso & pectore efflorescebant. Adeò vera sunt, quæ habet Bartholinus *de anginâ puerorum Campaniæ Siciliæque Epidemica pag. 5. & 6. latens in jecinore virus per extremam manus pedisque* (cur non & dorsi & pectoris?) *cuticulam ex anthematum efflorescentium specie prodit, perque decoram faciem aphthæ figurâ efflorescit.* Nec

muta-

mutabatur ægræ conditio die 7. Augusti, nisi quòd instante horâ prandii mensæ assidere & cibum cum parentibus ac unico fratre suo Joanne Christiano capere vellet. Manibus nostris deducta aut ferè portata de sensu gravitatis circa regionem hepatis in dextro hypochondrio conquerebatur. Parùm manducabat, nec adeò multum bibebat de emulsione ex amygdalis, quæ hoc die, ægrâ petente, fuerat præparata, & verò interrogata, cur tam parcè vesceretur ac biberet, regessit, deglutitionem sibi esse difficiliorem. Advocato perito Chirurgo fauces inflammatæ, sed nullâ pituitâ obductæ deprehendebantur, nullus verò tumor comparebat. Attonitus stupui, quippe qui optimè sciebam, hanc sive ἐπιγένεσιν, sive μετάςασιν, sive tentatam materiæ morbificæ ad parotides rejectionem filiæ unicæ, & unicè dilectæ fore funestam, quâ in opinione multum confirmabar, cum raucedo, deglutiendi difficultas, maxima corporis jectigatio absque ullo somno totâ nocte per singula momenta, quicquid etiam moliremur, invalescerent, & nihilominùs sudores, quod jure mireris, moderatè ex toto corpore fluere non desinerent. Manè die 8. Augusti virium dejectio quidem erat ingens, alvô tamen spontè aperta, & quòd deglutitio non adeò esset impedita, aliquantulum erectiori erat animo. Unde statim novam non absque fundamento μετάςασιν metuebam. In periculo ergò tantô cum esset, nec aliquid ejicere valeret, quemadmodum nec per integrum morbum quicquam expectoraverat, cessaretque subitò tussis suffocationem veriti Domini Collegæ, (quorum dexteritati soli, cum ego præ summô mœrore vix non collabascerem, tam charum mihi caput commisi,) blandissimeque alvum aperiendam esse rati commendârunt potionem sequentem, quâ blandius vix reperias medicamentum: ℞. Decoct. pector. August. col. & clarif. ℥iiij. aqu. laxativ. Viennens. ℥iß. Syrupi regii ʒvi; ex hac Chirurgus ei duo cochlearia exhibuerat, eademque dosis post duas horas repetita fuerat non malis, ut videbatur, filiæ rebus, cum appetente horâ duodecimâ secutis ad hanc usque sine omni molestia, duabus sedibus, jusculô hordeaceô, prunis

coctis & perdice absque notabili molestiâ moderatè vesci posset. Verùm enim verò elapsis duabus à prandio horis cœpit admodum esse inquieta, de dolore & obfuscatione oculorum anxietatibusque præcordialibus conqueri, tametsi mens rectè sibi constaret, & præterea etiam animi sensa sermone morti proxima explicare commodissimè posset. Interrogata an mori vellet, se contra voluntatem DEI nec velle nec posse pugnare, sed potius in eâ acquiescere se, regessit, pollicita etiam se pro parentibus devotas in cœlo esse fusuram preces. Ardentissimè viatico extremo muniri cupiebat, ac pientissimi animi voto suo potita est, & absque molestia S. Eucharistiâ, licet emulsionem bis aut ter in modicâ quantitate sumptam per nares non ignara hujus rei refudisset, cum maximâ humilitate ac profundâ veneratione est usa, quo facto expalluit, ac in hæc erumpens verba: Mein JEsu erbarm dich mein, ich muß fort/ obmutuit, & citra ullos violentiores motus placidissimè intra aliquot momenta exspiravit puella, longiori vitâ, si DEO ita visum fuisset, dignissima omnibusque non tantùm propter excellentem corporis formam & egregias animi dotes, peritiam linguæ Gallicæ, notitiam Geographiæ, amorem poëseos &c. gratissima, sed & ob omnigenas, quæ sexum hunc ornant, virtutes ac pietatem, parentum amor & delicium. Jam mihi videor rectius capere assertum Walæi *in methodo medendi*, de cujus veritate non semel dubitavi: *In hepatitide seu inflammatione jecoris derelictâ causâ ipsum morbum incendium illud extingues, aliàs oritur apoplexia.* Sed dolendum est dari casus, in quibus nullis medicæ artis præsidiis febrile incendium relictâ causâ extinguere licet. Non omni etiam probabilitate destitui imposterum sententiam Clariss. Bartholini in citato libro *de anginâ Exercit.* 1. credam, partem affectam, *suo modo in anginâ cerebrum esse*, propemodumque in eam abeo sententiam, anginosos omnes non cum manifestis suffocationis signis obeuntes mori apoplecticos, sive angina sit primarius, sive supervenions, ut in filiâ meâ, affectus.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. CHRISTIANIDE HELWICH.

De

Variis puerperæ ſymptomatibus cum febri & ventris tumore complicatis.

IN flore ætatis conſtituta uxor Dn K. duorum liberorum mater cum tertio partui eſſet vicina, fruſtra & non ſine anxietate exſpectatâ illius obſtetricis, cujus miniſterio ante fuerat uſa, præſentiâ, aliam advocat, eademque opitulante filiam enititur Anno 1705. menſe Majo, quo magna erat apud nos vereque hyemalis aëris inclementia ac in frigido hypocauſto imprudenter lecto committitur; dum hæc aguntur, multis antea votis experita accurrit obſtetrix; ejus verò adventus non ſolatio fuit, ſed occaſionem iræ præbuit puerperæ æmulis mulierculis ad importunas deſcendentibus rixas. Brevi poſt puerpera immanibus doloribus infeſtari cœpit, ſive quòd frigus incautè admiſſum ſanguini exituro per coagulationem remoram attuliſſet, ſive quòd ira & alia animi pathemata omnia turbâſſent, ſive quòd cibis dyſpeptis menſibus geſtationis ultimis uſa fuiſſet & alias ſeroſioris conſtitutionis eſſet, ac antea etiam fluore albo laborâſſet. Vocatus altero à partu die carminativa aromatica ex zedoaria & galangâ &c. parata cum uterinis & grumoſitatem ſanguinis diſcutientibus in aquâ chærefolii exhibui, ſed ſine fructu. Itum eſt ad externa & topica, quibus medicina domeſtica luxuriat, absque omni dolorum levamine. Nec quicquam opis inventum fuit in ſacculis paregoricis ex radice Angelicæ, Zedoariæ, Ariſtolochi, fol. Meliſſ. rorismar. abrotani, floribus chamomill. cheiri, ſambuci, ſemina lini, cumini, fœnumgræc. baccis lauri &c. ut linimentorum ex oleo carminativo Mynſicht. hyoſcyami &c. jam nullam faciamus mentionem. Injecta fuerunt blandiora enemata, ſed nec illa dolores pertinaces ullâ ex parte mitigârunt. Cùm autem etiam lochia tertiô à partu die prorſus ſupprimerentur, venæſectionem ſuaſi, in quam ægra nullo pacto conſentire volebat virium debilitatem cauſata. Et profectò ea ſatis

magna erat, ac ne per quadrantem quidem horæ à tempore partûs dormire potuerat. Præterea vehementer sitiebat, cibum autem omnem aversabatur, ex quibus facilè colligere licebat subesse febrim, quæ indies majora posthac capiebat incrementa; Certatum contra eam fuit bezoardicis blandioribus, confortantibus, humectantibus, semper utroque oculo ad lochia & sævos ac nunquam intermittentes dolores intento. Tametsi verò eam servaremus moderationem, ut nec calidis nec refrigerantibus ægra obrueretur medicamentis, debitum regimen adhiberetur, potus tepidus submini strraretur, diæta tenuis religiosè coleretur, alvus obstructa enematibus injectis officii admoneretur &c. omnes tamen hæ curæ inutiles ac vanæ erant, & morbus quotidie in deterius ruebat. Tandem cùm topica, ut hactenus ultra 8. dies erat factum, applicarentur, deprehensus est in abdomine tumor, qui ita contrectari poterat, ac si farcimen manu prehenderes. Scirrhosus erat, obliquè descendens, spithamam magnitudine excedebat, quem mulierculæ ex applicatione topicorum calidorum enatum esse, & ipsæ credebant & aliis persuadere satagebant. Mihi certum re seriò perpensa erat, esse omentum in tumorem actum & induratum, hujus tumoris natales aliunde quam ab inflammatione arcessere vix licere, notum quippe, quòd membranæ inflammatæ in omnibus corporis partibus tumeant, inflammationem hanc febri hactenus fomitem præbuisse, ut febris puerperarum ferè inflammatoria esse solet. Quid verò illud sit, quod inflammationi omenti ansam dederit, non æquè patet, fatendum tamen est, non vanam videri conjecturam, quòd & ab utero à partu distento & à visceribus abdominis omentum subinde comprimatur; id si ita est, mirum videri non debet, quòd compressio partis tot vasis sanguiferis irrigatæ inflammationem pariat. Multa tum temporis pro discussione hujus tumoris tentata in irritum reciderunt. Aliquam discussionis & resolutionis spem faciebat applicata aqua calcis vivæ, aliquam etiam emplastrum de gummi ammoniaco cum diaphoretico Mynſ. mixtum & cum oleo Tartari fœtido

mala-

malaxatum, aliquam etiam nonnulla alia, sed quam ingravescentia symptomata, maximus calor, linguæ squallor, sitis clamosa, pertinaces vigiliæ, inquietudo, & anxietas maxima, deliria intercurrentia, pertinacissima lochiorum suppressio, debilitas virium summa, firma secuturæ mortis persuasio, non satis esse fundatam facilè comprobabant.

OBSERVATIO LXXXIX.

DN. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Rheumatismô cum convulsionibus & carie ossium conjunctô.

VIr ille, cujus hemicraniam cum symptomatibus variis complicatam *in hist. Morbor. Vratislav. Anni 99. superioris seculi (pag. 81. in edit. 1. & p. 55. in edit. renovata)* descripsi circa autumnum An. 1704. crebrâ tussi cœpit vexari, cui sese comitem jungebat respirandi difficultas & ingens ciborum fastidium, ac subinde eorum, quæ repugnante appetitu, ingesserat, vomitus. Lingua arida erat, saliva mucosa & glutinosa. Urina nonnunquam satis erat saturata, interdum in magnâ copiâ ac tenuis excernebatur. Alvus erat obstructa. Maximè autem de distensivo ac gravativo, haud rarò etiam lancinatorio, longè frequentius verò de spasmodico dolore in pectore, dorso, lumbis, carnosis humeri partibus ac tibiis non sine ejulatu conquerebatur. Circa noctem sensus molestiæ erat multò exquisitior. Non nisi cum summâ difficultate corpus movere poterat, adeò omnia membra languebant, ut non rarò diceret ita illa esse affecta, quasi rotâ fuissent contusa. Postquam aliquot egisset sub his cruciatibus septimanas, accedebat febris, quæ typum intermittentium per aliquot dies æmulabatur. Nam statis circa vesperam horis cum horrore & rigore eum invadebat, ac prævio diuturno æstu cum profusissimis sudoribus terminabatur, unde vires ita dejiciebantur, ut vix spiritum traheret. Elapsis aliquot diebus lae-

vam continuæ febris hæc induebat, & ægrum maximopere debilitabat. Hiſce malis viro ad incitas ferè redacto, poſtquam & hæc continua ultra ſeptimanam durâſſet, horribiles horâ 4ta matutinâ ſupervenere convulſiones, quæ in epilepſiam deſinebant mortis vicinæ aut præſentis metum circumſtantibus injicientem; ſed natura pulvere ex ſelectiſſimis antiſpasmodicis compoſito adjuta & hunc inſultum ſuperavit, minimùm ad tempus ejusdem phaſeos lunæ proximo menſe redituræ; ac febris violentia ad triduum ferè retuſa videbatur. Hinc ſpes ægro affulgebat, ſed prorſus infida, nam febris denuò ſub ſchemate ejus, quam erraticam vocamus, eum moleſtiſſimè adoriebatur, ac quotidie creſcens hecticam contabeſcentiam minabatur. Calamitoſam ægrotantis ſortem novos epilepſiæ acceſſus augebat. Terribiles prorſus erant genarum labiorumque ſpasmi ac præceps membrorum in varios flexus agitatio cum ſenſuum omnium orbitate conjuncta. Cadaveri poſt hunc paroxysmum finitum quàm homini noſter erat ſimilior, conquieverat autem dirus paroxyſmus eodem, cujus modo mentio facta eſt, exhibito antiſpasmodico pulvere; nihilominus febris funeſtum ſuum decurrebat ſtadium, non absque ſummo virium languore. Aſt aliud adhuc tormenti genus noſtro erat ſubeundum. Inhorruerat veſperi ſolitô graviùs, ſolitôque diutiùs; intercurrentes enim aliàs horrores ac in momento quaſi evaneſcentes ei perquam erant familiares; elapſis aliquot à graviori & diuturniori horrore hoc horis intolerabilem dolorem in metatarſo dextri pedis perpetiebatur, ita, ut vir minimè mollis & doloribus ferendis aſſuetus non tantum gemeret, ſed acerbiſſimè fleret. Mane horâ ſextâ vocatus accurro, pedem mihi oſtendi jubeo, & in eâ parte, in quâ os pollici ſubſtratum eſt, cerno ulcuſculum ac circa ejus ambitum inflammationem, enim vero hôc locô dolor non concludebatur, ſed integrum pedem vehementiſſimè affligebat. Incredibile dictu eſt, quàm toto corpore exhorruerit, quàm flebili ululatu cruciatus deſcripſerit, quando Chirurgus ſuſpensô digitô non locum affectum, ſed pedem tangebat. Nec

ullâ

ullâ arte dolor cicurari, aut ulcusculum consolidari poterat. Ex ichore autem ac tetrô hujus fœtore facilè erat colligere, ossa pati, eademque exesa ac erosa esse, quod subinde in maximâ humorum dyscrasiâ contingere, si præcipuè quicquam venerei miasmatis subsit, ex observat. Rhodii *cent* 1. *observ.* 33. & 34. Mercati lib. 2. de *morb. Gallico*, Riolano, Rolfinccio, Benedicto, Dodonæo, Libavio, Sorbait aliisque constat; in hoc autem corpore de summâ humorum acrimoniâ dubitari non poterat. Fortassis etiam ipsa epilepsia ab hac carie ossium dependebat; ex eâ sanè mali illius originem in Senatore Veneto petiisse Rumlerum meminimus. Parum opis manus chirurgica, ut innui, misero attulit, eò quòd sectionis aut discissionis beneficio, absque quo in latentibus ossium vitiis omniâ sunt vana, uti noluerit. Post mensem denuò convulsus ex ærumnosâ hâc & dolorum plenâ discessit vita, mihique constanter eam suspicionem reliquit, nec reliqua corporis ossa à carie fuisse immunia, quòd medicamenta alias in Rheumatismô efficacia nullum ægro solatium afferrent. Ante febris accessum conati sumus humores stagnantes ac viscidos attenuare, & recrementa ex massâ humorum ad partes externas criticè deposita omnimodè ex corpore eliminare. Præmissâ scarificatione decocta ex resolventibus fuere ordinata, quæ tamen æger vehementer nauseabat. Salia alkalia & fixa cautè dedimus, à volatilibus ferè semper abstinuimus. Salsa eg. Tartar. vitriolatus &c. aliis pulveribus fuerunt admista, quibus acrimoniam humorum temperare studuimus. Præsenti febri orgasmum humorum moderari pulveribus præcipitantibus, nitrosis, cinnabarinis, potionibus item & humectantibus curæ cordique fuit. Antispasmodica, & quæ virtutem quasi specificam habere creduntur, ex lumbricis parata, utramque fecerunt paginam. Anodyna blandiora fuerunt interpolata, sed absque omni prorsus adjumento. Nec in externis suggerendis subsidiis diligentiam nostram desiderari passi sumus, sed omnia absque ullo emolumento.

(*Vratislaviâ Augustam Vindel. d. 12. Septemb. An. 1707. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO XC.

DN. D. JOH. MELCHIORIS VERDRIES.

De

Matre vehementi ira commota, iterum in infantulum ab ipsius uberibus pendentem, transferente.

QUemadmodum infantes tenellos abditis uteri recessibus adhuc concluſos maximum cum matre gestante consensum habere, adeò ut omnes in Diæta à matre commissi errores in tenella ipsorum corpuscula redundent, atque ad affectus animi illius graviores, iram v. gr. tristitiam immoderatiorem similesque commotiones illi cumprimis afficiantur, tot observationibus ubique consignatis notissima res est, ita quoque hanc ipsam consensionem neque tum temporis, ubi infans utero licet excluſus, ab uberibus tamen matris adhuc pendet cessare, verum tantam aliquando esse, ut matre nil quicquam gravius sentiente, ipse solus innocens matris erratorum pœnas luat, observationibus constat non unis; sicuti ipsi mihi tale quid ante aliquot annos oblatum fuit: Fœmina sc. circiter quadraginta annorum hysterico-hypochondriaco-scorbutica, infantem annuo majorem lactans, cum illatam sibi, uti putabat, injuriam paulò intemperantius ferret, vehementi ira commota est. Postquam affectus jam aliquo modo despumaverat, ipsa quidem nil gravius sensit, post dies tamen aliquot puerulus ubera ipsius quotidie premens per omnem corporis superficiem colore intense flavo tinctus comparebat, excrementis albicantibus, urina, quicquid contingebat flavedine inficiente. Vocatus ego, ut ope & consilio hic adessem, cum puerulum omne id, quod odorem saltem alicujus medicamenti præ se ferret, aversari viderem, ex nullâ re aliâ, quàm quæ læserat salutem petendam esse existimavi, atque viæ Medicis prudentioribus in morbis lactantium satis tritæ insistens, ipsi matri infusum Anticstericum, aliaque huc inprimis facientia remedia exhibui, quo ipso etiam DEO benedicente, eo deducta res est, ut icterus, quoad colorem cumprimis flavum exteriora occu-

occupantem, omninò depelleretur, causa tamen morbifica nondum ex omni parte subacta atque proscripta, infantuli abdomen post aliquot hebdomadas ingentem tumorem concepit, ut tympanite inflatum credidisses, flatibus copiosissimis, vitiosi, necdum omni labe defuncti, lactis culpa, obortis, illud tam insigniter expandentibus. Miratus ego veritatem illius *Hippocratis aphorismi 72. L. V.* hic non obtinere, quando dicit: *οἱ ὑπερώδεες ἀπάνυτι πνευματώδεές εἰσιν*, cum ipsi puerulo nil, præter externa, adhibere possem, matri convenientem diætam impero atque aperientia cum carminativis, interfitis subinde laxantibus propino, ipsiusque infantuli abdomen stupendum in modum tumefactum linimento carminativo ex ol. Chamomill. aneth. laur. rut. additis quibusdam guttulis olei destill. anis. cumin. menth. obliniri curo, tanto quidem cum successu, ut subacta hac ratione & expulsa tandem causa morbifica, adjuvante cumprimis habitu pueruli solidiore, brevi eundem in integrum restituerim. Valet aliquo modo exinde, quanta cum restrictione sit admittendus citatus modo laudatissimi Senis nostri aphorismus.

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. JOH. MELCHIORIS VERDRIES.

De

Pelliculis, intestinali tunicæ similibus, excretis.

INteriorem intestinorum superficiem muco quodam viscidiore obliniri nemo Physiologiæ atque Oeconomiæ animalis non planè rudis nescit; atque hunc mucum præternaturali modo in lentam duramque pituitam intestinorum parietes incrustantem, obducentem, gravissimaque hac ratione symptomata producentem, concrescere, plus simplici vice solerres rerum medicarum observatores annotarunt. Hinc illæ pelliculæ diarrhœa excretæ, de quibus lumen ac decus viri Excell. *Heliodorus* noster *Ephem. Dec. III. An.* 9. & 10. *Obs. LX.* Nec adeò ignota est de celeb. *Lipsio* historia, qui quum multum diu gravi cum malo

esset colluctatus atque pharmaco sumto materiam cohærentem intestinulo similem excerneret, consternatus atque aliquid intestinorum effudisse se ratus confestim Medicum vocari jubet, actum esse de vita sua exclamans; cum tamen re curatius perspecta deprehensum fuerit, esse id ipsum nihil aliud, quàm viscidiorem pituitam in intestinis sensim coacervatam, eorundemque superficiei cohærentem, atque hinc intestini figuram retinentem insigni corporis emolumento exterminatam, brevi enim pristinæ sanitati restitutus est. Non multum absimilis fuit sequens, quem paucos ante annos hic locorum observavi, casus satis profecto curiosus. Videlicet Vir quinquagenario paulo major temperamenti cholerico-melancholici, febre biliosa sat graviter decumbebat, torminibus eundem simul miris modis excruciantibus, ego cum accersitus nihil non tentarem, quod ratio officii postulare videbatur, brevi meliori loco res ipsius esse cœperunt, utroque malo multum à rigore suo remittente. Vix tamen id, quicquid erat levaminis, bona spe repleverat adstantes, cum icterus ex improviso superveniens nova eosdem sollicitudine detineret. Ego verò fretus LXV. *Hippocratis* aphorismo Lib. IV. bonum id esse signum pronuntiavi, atque huic quoque nodo convenientem cuneum quæsivi. Accidit verò, ut cum infusum anti Ictericum laxativum obtulissem, post dies aliquot me properanter accersiri juberet, cumque mei fecissem copiam, & quid rei esset interrogarem? hoc quoque medicamine se aliquantum quidem levari dicebat, eo tamen loci veniisse res suas, ut satius sit medicamentis abstinere. Nihil spei esse reliquum, intestina atque viscera putredine esse infecta, **er sey faul im Leibe**/ nec audere se usum medicamenti continuare, integra enim intestinorum frusta id ipsum expuliisse. Ego facilè suspicabar, quod res erat, atque frusta hæc aqua abluta afferri curabam, penitius contemplabar nilque esse aliud, quàm ejusmodi pelliculas concretas & ad continentis intestini figuram accommodatas manifeste deprehendebam, quamobrem bono eundem esse animo, jubebam, &, ut in usu optimi medicamenti pergeret, seriò hortabar;

ita

ita excreta singulis diebus magna fistulosæ pituitæ & pellicularum copia, ex voto tandem convaluit, atque postea à crebris morborum insultibus, quibus subinde antea divexabatur, immunis vixit.

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. JOH. MELCHIORIS VERDRIES.

De

Inflatione abdominis à convulsione.

TYmpaniten non tam à flatibus intra intestinorum vel abdominis cavitatem collectis atque conclusis, quam spiritibus animalibus in imo ventre ad viscera membranacea spectantibus ab incongruo quodam in ἀταξίαν adactis, in fibras ubique nerveas tumultuariè irruentibus, easdem inflantibus nec statim denuò ab iis recedentibus originem ducere, & flatus effectum magis quàm causam hujus mali esse, illudque hinc in numero morborum convulsivorum habendum, celeberr. *Willisius* persuadere nobis sustinuit *Pharmac. Rational. P. II. sect. III. Cap. IV. p. m.* 170. Cum verò experientissimum virum acu rem hic non tetigisse viri in Praxi clinica non minus exercitati observaverint, prout id ipsum ostendere conatus fui in *Dissertat. Epistol. de Inflatione Ureterum ad Magnif. Hertium nostrum*; sæpius hinc cogitavi, quæ causa tantum virum ad hæc tantâ confidentiâ tradenda commoverit, eamque tandem deprehendisse mihi visus sum, quoniam sc. haud rarò offeruntur casus, ubi convulsiones abdomen in magnum tumorem attollunt, flatibus postea occasione hujus jamdum factæ inflationis, oborientibus. Idque cum aliis, sequens quoque casus me edocuit. Fœmina annorum circiter quadraginta gemellos haud ita diu non sine maximo labore pepererat, cum nescio quid gravativi sentiens Medicorum non solùm, sed & empiricorum, vetularum aliorumque hujus farinæ hominum consilia expeteret, ita factum, ut purgantibus super purgantia injectis adeò tandem commoveretur, ut sanguis

sequeretur, & non solùm intolerandis doloribus excruciaretur, verum etiam abdomen in magnum tumorem elevaretur. Ego quoque in consilium tandem adhibitus Clysterem statim è spec. emollient. & carminat. adjectis quibusdam oleis paratum, injici curo, & carminativa fixiora cum antispasmodicis, uterinis & anodynis in forma mixturæ exhibeo. Ita malum aliquantum remisit, venter fuit mollior factus, sed ad primum sensibiliorem, sæpe & inordinatiorem corporis motum, quo hystericas maximè lædi in vulgus notum est, malum recrudescebat, donec injecto clystere ex meris oleis parato ingentem seri viscidi quantitatem excerneret, atque sic non solùm venter detumesceret, sed & dolores omninò sopirentur. Jamque per aliquod temporis spatium omnia pacata erant, cum dolores circa umbilicum ex improviso ingruentes, abdomen rursus subito in magnum tumorem extenderent & quidem durissimum, qui tamen adhibitis antispasmodicis sopitisque hoc modo doloribus statim iterum subsidebat. Et ejusmodi paroxysmi jam adhuc sæpissimè ingruunt, alvo licet per totius morbi decursum satis lubrica, nisi, quando nimii dolores instant, tum enim satis quoque suppressa est. Quamprimum aliquid admittit, quod uterum vel genus nervosum tot purgantium exagitatione debilitatum aliquo modo lædere potis est, confestim abdomen insigniter intumescit, statimque etiam flatus colliguntur. Exinde ergò videre est, quod prima hujus mali causa omninò fuerint convulsiones, flatibus postmodum ex occasione genitis. Scilicet cum viscera membranacea spiritu impetuoso turgida velut in molem attolluntur, & intestina distenta quasi constringuntur, facilè flatibus, à cruditatibus, quibus scatent impura ejusmodi corpora obortis, exitus præcluditur, qui deinde intestina ulterius distendentes constrictionem spasmodicam & dolores adaugent, donec spasmo remittente illi quoque diffientur. Hac igitur ratione flatus certo respectu effectus dici possunt hujus mali & non causa. In Tympanite verò rem quoque ita comparatam esse nondum probatum est, experientia potius contrarium quotidiè demon-

strante,

ſtrante, quamvis hoc ipſum malum in Tympaniten poſſe degenerare diffiteri nolim.

(Gieſsâ Haſſ. Auguſtam Vind. d. 14. Sept. Anno 1707. miſſa.)

OBSERVATIO XCIII.

DN. D. GEORGII SIGISMUNDI POGATSCHNIGH.

De

Maculis ſcorbuticis vulgò hepaticis dictis.

CUtis maculas morbus ipſe, qui agmen illarum ducit, color, demum figura, ac tandem ſuperficies peculiari nomine inſignit, & in ſuas claſſes diſpeſcit. Hinc ex aërea diatheri aliæ peſtilentiales; ex malignæ febris conſortio aliæ nominantur Petechiæ, aliæ Scarlatinæ efflorescentiæ. Figura & color prodit Eryſipelas, & Volaticam. Judicantur ex mox enatis ſuperficiei cutis tuberculis Rubeolæ, ſimul & Eſſeræ, ut taceam Variolarum & Impetiginis ſpecies, vel Achores, Ceria, Meliceres, Helcydria, Tineas, aliasve hujusmodi capitis defœdationes, quæ non tam maculant, quam ſpirabilem corporeæ machinæ totius illæ, capitis iſtæ tunicam exulcerant, unde non maculis, ſed ulceribus adnumerandæ. Hæc & plura ſymptomaticè prodeunt Exanthemata, criticè alia erumpunt, alia neutro horum genere apparere videntur, ut Ephelides, atque Lentigines, quæ in naturali, vegeta, imò ut plurimùm venuſtiori fronte, manibusque reſident, citra valetudinis tamen, ſed non eximii decoris noxam.

Inſolitus nobis ad meridiem accedentibus, & hucusque vix niſi nomine notus verus ſcorbutus ſuo quoque macularum ſatellitiô ſtipari perhibetur, hoc febri intermittenti nuper immixtum adverti. Juvenis namque duodecim annos natus tertianam ſimplicem cum denſiſſimis in colo & pectore ſubrubris pulicum morſus æmulantibus maculis, febre verò curata evanidis perpeſſus eſt. Similes in Atrabilario Clerico fervente ſub canicula præſentis Anni Sole maculas conſpexi, quarum pars alia colore

subrubro, alia livido, nigroque tincta, pars alia magnitudine, & rotunditate obulum æquans, alia ab ea amplitudine, & circulari regularitate decedens brachia potissimùm, sed & pectus, rarius dorsum & crura sine alio pathognomonico ullius affectus signo deturpabant. Anxium ego, & vano creditarum petechiarum terrore tremulum, & propterea in calefacto (Sole aliunde in Leone existente) melioris, ut asseruit, expulsionis causâ hypocausto sub stragulis jacentem, & tantùm non colliquatione exanimem jusseram in atrium secedere, & liberæ sereni cœli auræ potiturum sub Dio versari. Fecit, & sine ullo remedio disparentibus intra biduum maculis vivit etiamnum incolumis. Alius triginta annorum sanguineo-cholericus operariæ mercedis ergò in Dalmatiam concedens crudo, ut patrius illius Adriatico mari conterminæ gentis mos est, victu pastus inde sub nativum hoc cœlum reversus est, & ecce paulò post subrubris, fuscis, amplis, & irregularibus maculis intercurrente Narium Hæmorrhagia per totum corpus tam densè conspergitur, ut vultu sanguinolentus velut ex conflictu superstes, reliquam cutim quasi suffusô venenô horribilem monstri instar præ se ferre videretur: magno, duro, & tardo pulsu explorantem Arteriæ feriebant, tunc ergò quid scorbutici subesse suspicans primùm ligamentis brachiis injectis, mox epithemate refrigerante hepati admoto decumanum illum sanguinis fluxum, quo non stillantes, sed rapido cursu manantes nares jam à biduo solvebantur, non alium in finem moderari studui, quàm ut aptius dein medicamina, quæ regurgitans in guttur recti, vel supini oris sanguis nunc deglutire præpediit, assumerentur, sed velut

Aggere sublato montano flumine torrens
sternit agrum.

Ita ruptis suorum vasorum cataractis rapidus è naribus sanguis languidum stravit ægrum, sprevit admota, meosque labores, donec in moderatam revulsione intentus brachii venam incidi, & porrectô sæpius ex conf. ros. antiq. sang. drac. os. sep. & syr. coral. confectô bolô ad incitas redactum restitui. Maculæ verò

non

Tabula Prima

Fig: Tert:

Fig: Sec:

Fig: Prima

non nisi purgato corpore & temperatis Antiscorbuticis, ut agrim. cuscut. hed. ter. capil. ven. rad. cich. acetos. gram. &c. in jure decoctis (angusta siquidem res ægri domestica haud alia tulit) in integrum disparuerunt faniſſimo illo etiamnum degente.

Vereor sanè, ne scorbutica ista, cujus iniquè hepar arguitur, ægylops atque zizania è fatali Pandoræ pyxide copiosius in populares nostros aliquando disseminetur.

(*Labaco Augustam Vind. d. 15. Septembr. Anno 1707. missa.*)

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. HECTORIS EX VALLE.

Acus crinalis, in basi tartaro obducta, ex vesica juvenculæ extracta.

JUvencula 20. annorum, in Finali Mutinensi, tentigine lacessita, eandem acu crinali ossea demulcire tentaverat, verùm aut nimia fuerit incuria, aut aliud infortunium, acus claustrum pudoris supergressa, in semitam, quæ ad vesicam ducit, pervenit, tamque altè adscendit, ut fundum ejus attingeret; hæc verò illico se contrahens atque ab insolito irritamento quasi convulsa, acum manui juvenculæ extorsit, totamque intra se absorpsit. Et quamvis omnibus viribus eandem recuperare tentarit, irritus tamen erat labor, cum transversum in vesica situm adepta, ostium reperire amplius haud potuerit. Timida & verecunda per quatuor incirca menses hospitem hunc peregrinum in cubili suo cum dolore toleravit, usque dum urinæ libera excretio impedita, dolorisque augmentum, chirurgo ægritudinem suam manifestare ipsam impulerunt. Acum quidem in utero hærere ipsa credebat, credebat & Chirurgus, sub imaginario præsuppositio attractionis factæ ab utero, qui naturalem & insatiabilem suam aviditatem satiare desiderabat. Sed per Finalem tum transiens Ill. D. Antonius Vallisnerius, publicus in Universitate Patavina Professor, erroris ipsos admonuit, acum in vesicâ esse debere adse-

rens,

rens, non in parvo uteri globo, utpote extra imprægnationis tempus, tantæ longitudinis acum recipere prorſus inepto. Et res ita ſe habebat. Siquidem debita adhibita induſtria, in veſica fuit inventa, ac feliciter inde extracta, prædictoque Domino in conſilii ſui præmium oblata, ut muſæo ſuo, multis rebus curioſis ad naturalem hiſtoriam ſpectantibus divite reponeret, cui nempe poſt ſerias magis in medicina operas, horis ſubciſivis ſingulari & adcuratiſſimo ſtudio incumbit, non æſtimando peſſimos quosdam, qui inepta malignitate obcœcatis oculis inſignem utilitatem in Phyſicam inde reſultantem non vident aut non videre ſe ſimulant, neque otii ſui turpitudinem, in quo vivunt, vel palpabilem ignorantiam, cui implicantur, ſpiritusque ſuos aliàs ſuperbiſſimos impendunt, agnoſcunt.

Illud verò curioſum eſt, quòd baſi & parti majori acus circumcirca copioſus tartarus tenaciter adhæreat, qui ſubinde creſcendo, dolores indies augebat, & quaſi totum veſicæ foramen occludendo, moleſtum urinæ ſtillicidium excitabat. Longitudinem craſſitiemque acus figura exhibet, una cum indurata cruſta, quæ non aliud eſt, quàm materia illa tartarea & gypſea, vel ſalino-tophacea, quæ in fundo matulæ comparere ſolet. Poſt aliquot dies alia fruſtula tartari cum dolore eminxit, quæ fortaſſe reliquis in acu partibus adhæſerant, atque inter ejus extractionem ſeparata intus remanſerant.

Ex hoc caſu generatio calculorum in veſica clarè cognoſcitur, videlicet ſemper, ubi corpus aliquod extraneum, aut etiam internum, ſed condenſatum in fundo veſicæ ſubſiſtit, circa illud ſe conglomerat, ſtricteque conjungit feculentum illud ſeri urinoſi, quod ſalibus & glutini vel viſco tenaci ex glandulis ſtillanti commixtum, motum perdit, inque corpus durum condenſatur, quod nomine generali calculus adpellatur.

SCHOLIUM.

POſtquam Author Clar. caſum hunc non adeò rarum & inſolitum eſſe, ut non ſimilia occurrant exempla, quæ tamen aut

Tabula Secunda.

Fig. 3.



Fig. 2.

Fig. 1.



Fig. 4.

Fig. 3.

Fig. 6.



Tab. Tertia

Fig. 1.

a

Fig. 2.

b

Fig. 3.

c

Fig. 5.

g



b

Fig. 4.

f

d

e

Fig. 6.



a

c

c

b

d

d

Append.

aut modestia supprimat, aut feminarum astutia aliter effingat, aut Medicorum & Chirurgorum ignorantia non benè cognoscat, adnotavit, illiusque acus, quæ in theatro anatomico Patavino monstrari solet, de qua Anton. Molinettus in dissert. anat. pathol. l. 6. c. 8. videri potest, mentionem fecit, aliam quoque argenteam acum sibi visam memorat, Veronæ extractam, cui equidem nulla materia calculosa adhærebat, elegantissima tamen smaragdina viriditate tincta fuerat; cujus phænomeni causam in acido vitriolico, quod in argento occultatur, quærit, quod solutum, exaltatum, atque ad superficiem eductum roserit, quantum muci vesicalis, tartari, & salis serosi cum viscido in cisternam illam transcolati accesserit.

Tandem similes observationes ex Zodiaci Gall. Ann. 2. pag. 76. & Actis Erud. Lipsienf. An. 1701. M. Maji pag. 231. adducit; in priori tamen non ex utero, sed vesicâ à Chirurgo, viciniâ loci & præjudicio de attractione uteri imaginaria decepto, acum istam crinalem fuisse extractam, in posteriori autem non deglutitam fuisse, credere mavult, ita ut callida virgo, ad persuadendam illibatam pudicitiam, hanc venustam fabulam commenta fuerit, cum potius ab eadem per viam solitam acus fuerit intrusa. Qua occasione aliarum etiam observationum fidem dubiam reddere ipsi libuit, quibus hordei grana, clavos, chordas, vitrum, acus &c. deglutita & cum urina excluſa narrantur, hunc in modum Italicis, hîc Latinis verbis differens: Ego qui de omni re, si quæ magna & singularis mihi refertur, dubitare didici, cum etiam in parvis sæpius deceptus fuerim, idem cum illis quoque, quæ lego, facere soleo, cum sæpe falsum deprehenderim, quod cum multa pompa & fiducia scribitur. Primò id bilanci rationis impono, aut in lapide Lydio naturæ exploro, sique paulò deficere, aut ab ordinariâ lege deflectere videam, ceu falsum rejicio. Multa quidem extra ordinem, sed non directè contra ordinem naturæ accidere solent. Aliud est, quod res miraculosæ contingant, aliud, miracula fieri. Et miraculosa hæc ipsa terminos quoque suos habent, nec progredi ulterius possunt. Non omnia quidem

rectè, neque transversim fiunt, sed illa ipsa confusio lege sua regitur. Potest v. g. res parva deglutita ad vesicam pertingere, potest acus parva novam sibi viam parare, aut incognitam penetrare, non verò chordæ, clavi, acus crinales, aut alia majora corpora. Potest per interstitia vasorum, musculorum, membranarum, aliarumve partium corpus minutum, sine canalium laceratione, fibrarum discissione, aut nervorum majorum ruptura reptare, non verò corpus scabrosum, rigidum, longum, aut multis spiculis armatum idem efficere. Juvenem aliquando, meum condiscipulum vidi, qui genas in pluribus locis acicula sine noxa aut dolore perforabat, quod acu crinali non præstitisset. Si tamen vias nondum detectas, à fundo ventriculi ad renes, aut à receptaculo chyli aliisve partibus ad renes vel vesicam concederemus, easdem admodum subtiles & invisibiles nobis imaginari deberemus, quia hucusque à peritissimis & oculatissimis Anatomicis non fuerunt inventæ; Unde difficulter admodum concipi potest, quòd eædem in tantam amplitudinem dilatari queant, quæ corpora aliena millies majora admittant; multoque magis, si tortuosæ, cum variis mæandris & obliquitatibus aut implicationibus fuerint, vel denique si, quod verisimile est, ex tenerrimis membranis constent, ut tantum corporibus liquidis, aut saltem mollibus & cedere aptis, non inflexibilibus & duris, aut saltem his minimis atque proportionatis, non nimia & insolita magnitudine præditis transitum concedere valeant. Via insuper per cor intricatior & magis portentosa est, siquidem materiæ duræ & longæ, si per illud ad pulmones, atque ab his per canaliculos serpentiformes denuò ad cor deferri debent, imaginari mihi nequeo, quomodo id sine dilaceratione subtilissimorum canaliculorum fieri queat, & non in cellulata istorum substantia potius firmentur & incuneentur, quàm longum illum & intricatissimum circuitum absolvant atque ad renes deveniant.

Figura

OBSER-

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. HECTORIS EX VALLE.

Calculus uteri fungiformis.

CAsum hunc ab Ill. D. Ramazzino, Professore Patavino celeberrimo communicatum habeo, de calculo nempe singularis figuræ, à Chirurgo quodam ex utero cujusdam adolescentulæ extracto, quem Dn. Breynio, Dantiscano donaverat; cujus figura hîc exhibetur. Multum is adsimilatur fungis illis, qui in pratis vernali tempore nascuntur, vulgò Regiensi *Sforacchielle* dicti, cum toti quasi foraminosi adpareant, à populo autem Patavino *Sponzole* nominantur, cum aliquam spongiæ similitudinem habeant. Turnefortius in Tom. 3. pag. 329. Boletos, & Gallice *Morelle* vocat. Calculus tamen ille non est excavatus & perforatus, nec cum canaliculis aut cavernulis profundis sulcatus, sed scaber & tuberosus, atque aliquam rudem convenientiam cum prædicto fungo, ob pediculum, & ovalem ac inæqualem figuram obtinet. Ast ut verum fatear, hunc quoque calculum, uti alter, qui in præcedenti Observatione memoratur, ex vesica prodiisse suspicor, id quod nominati modò prudentia & eruditione clarissimi Domini non minus opinantur; siquidem natura ejus eadem est cum illa materia, quæ collecta & indurata in fundo matulæ invenitur. Potest itaque esse, quod hîc quoque Chirurgus fuerit deceptus, atque eum ex vesica, non ex uteri cervice extraxerit. Non est tamen improbabile, in utero etiam calculos generari, uti in omnibus corporis partibus eos produci videmus. Aëtius serm. 4. tetr. 4. cap. 98. calculos tophaceos in eo nasci testatur, & Hollerius calculos in ipso se vidisse adserit. Charus noster Senex, Hippocrates lib. 5. de morb. vulg. sect. 7. num. 2. ex versione Foësii pag. m. 149. elegantissimum casum adfert, quem, cum curiosus admodum sit, & nostrum ad propositum faciat, huc transcribere liceat: *Larissæ Dyseridis ancilla juvencula cum venere uteretur, vehementer affligebatur dolo-*

ribus, aliàs verò dolorem non sentiebat, neque concepit unquam. At cum annum sexagesimum attigisset, post meridiem vehementibus velut partus doloribus conflictabatur. Post multum verò ante meridiem porri esum, ubi dolore correpta est omnium, qui antea tenuerunt, vehementissimo, exsurgens asperum quiddam in ore uteri contrectavit. Deinde cum jam animo linqueretur, ab alia muliere manu immissa expressus est calculus asper, fusi verticillum propemodum æquans. At tunc statim sanitati est restituta, & deinceps perseveravit. Nimia foret audacia, si de hac quoque Hippocratis historia dubitare vellem. Aliqua tamen suspicionis umbra insurgere posset, cum bonus Senex non ipse rem hanc observaverit. Duæ fuerunt mulierculæ, una doloribus adflicta, altera anatomiæ ignara; quarum ex fide totum factum recenset. Scimus autem quam lubrica harum sit fides & facilis deceptio. Excretio calculi post multum esum porri, quod est potentissimum diureticum, in vesicâ eum fuisse, suspicionem mihi movet. Dolor, quo in actu venereo adfligebatur, non adeò longe abfuisse calculi sedem, indicat, cum eousque, ad uterum, membrum virile non pertingat. Promtius sentiri poterat, si in vesicâ fuit, tum pressione, quæ supra pubem contingit, tum viciniæ intuitu, quam supra uteri collum, quod revera membrum genitale ingreditur, obtinet.

Figura.

(*Patavio Augustam Vind. d. 7. Octobr. Anno 1707. missa.*)

OBSERVATIO XCVI.

Dn. LIC. ROSINI LENTILII.

Historia aneurismatis trunci ascendentis arteriæ magnæ admodum rara & plane curiosa.

RHedarius annorum circiter quadraginta, ante duos annos cum dimidio, deturbatus ab equo furiente per aliquot passus in viarum strata præcipitatur. Ab eo tempore dolorem gravativum in pectore sentire cœpit, qui, cum in obeunda functione nihil

nihil eum quidquam moraretur, contemtim habitus eſt. Longo poſt tempore ſaccum avena turgidum humeris impoſuit, cujus mole prægravatus & quaſi tergum verſus retractus, cum omni robore reniteretur, ſibi viſus eſt in thorace fragorem quaſi percipere, unde gravativus ille pectoris dolor augmentum pedetentim cepit, donec ante annum circiter rheda vectus, cum equi in horrorem agerentur, ad eos retinendos, quidquid brachia valuerunt ac omnes nervi, coactus impendere, dolore brachii dextri præmodum ſenſibili afflictus, eo per tempus bene longum ad operas uti non potuit, usque dum, ipſomet referente, dolor, humerum verſus protenſus ad dextram circiter mamillam reſedit, quamvis tum quidem tolerabilis. Ab eo tempore perpetua in illa ipſa mamilla ſupra pupillam pulſatio cum aliquali dyſpnœa, ſucceſſive iſta mamilla in tumorem attollitur, & cumprimis notabilis fuit venarum ibi loci diſtenſio in ramificationes lividas valde conſpicuas, per totum thoracem, præcipue dextrum id latus, diſtincta, ut etiam venarum valvulæ in conſpectum venirent, venis ibi loci in parva tubercula, ſeminum inſtar cannabis, protuberantibus, thorace ſimul maculis lividis hinc inde fœdato. Ab eo tempore ſonorum aſthma, licet absque tuſſi, notabile ſumebat incrementum, flammea facies intumebat, magis rurſum ejus dextræ, quàm ſiniſtræ partes, ut inde non minima deformitas exiſteret. Stupendum viſu, quoties pronus inclinaretur, quaſi de ſtrato quid ſublaturus, faciem inflatione tantam, cum vaſorum turgeſcentia, ſurrexiſſe, ut, quaſi mox ſtrangulandus, livore ſuggillatorio horreret, pulſatione thoracis notabiliter aucta, donec erecto rurſum corpore, vultum pedetentim detumeſceret, ſuccedente pallore leviorique ſpiratu. Eo denique ventum, ut ſcalam aſcenſuro idem, quod verſus pavimentum inclinato, accideret, ipſique aliquantillum ante quieſcendum fuerit, quam verbulum profari poſſet. Cætera demoleſtiis nullis querebatur, ingerebat, digerebat, egerebat, ſomnum placide capiebat.

Ut ſalvum ſe vindicaret, nulli non Medico, nemini non Me-

dicastro, semet credebat, & his quidem potissimum ultimis, quamvis ne ullo cum mali saltem apparente levamine. Grassabatur hic loci tum temporis quidam ardelio, malefico medicandi genere famosissimus, cui nomen erat Serp, à serpente forsan antiquo. Is Medicorum omnium imperitiam buccinatus magnifica quæque pollicebatur, donec eum florenis novem egentiorem, sed & florenis centum ægrotantiorem dereliquisset. Miser enim se istius veneficiis ad ἀκμὴν miseriarum perveniisse, non nisi post mortem quiritari desivit. Medio circiter Novembris 1702. me quoque consulere decrevit. Ponderatis omnibus circumstantiis judicavi 1) ex pulsatione supra dextram papillam adesse anevrisma, idque fortassis in arteriâ pulmonali; 2) Attamen cum pectus in isto latere tumefactum comparuerit, & respiratio tam ægre processerit, ipse quoque de dolore ardente pectoris conquestus fuerit, quæ symptomata aneurismata interna, aut non, aut certe nulla necessitatis lege comitantur, simul de empyemate dextri lateris cogitavi, & denique 3) ob creberrimum suffocationis periculum & pulsum intermittentem de polypo cordis sui suspicatus. Data quædam medicamenta, datum simul prognosticon perennis, immo momentanei vitæ periculi, tametsi per quietum vitæ genus hora fatalis adhuc longinquior esse posset.

Sic inter spem & metum consumti dies multi, multa, sed pleraque quam minimè ad rhombum, in usum tracta. Denuo me compellat miser circa initium *Februarii Anni* 1703. Tumor pectoris dextrorsum jam multo elatior, doloresque ferme intolerabiles. Collata cum Chirurgo jurato, *Dn. Simonio*, consilia. Conventum, ut, quamvis sanationi locus non esset, ad leniendos tamen dolores animum applicandum esse. Affixum isti pectoris regioni, ubi pulsatio sentiebatur, potentiale cauterium. Sternum enim ibi loci perforatum, & ex eo scaturiginem puris è cavitate thoracis, augurabamus, certe repagulis istis perfractis, quo pacto æger à doloribus levari posset, proclive nobis futurum sperabamus. Exesione ad sternum usque promota, firmum

hoc

hoc & incolume repertum, neque consultum judicatum ulterius progredi ; verebamur enim, ne aggere protinus perrupto supposítum aneurisma læderetur, pone secutura lethali hæmorrhagia, quod secundum ea, quæ post mortem reperta sunt, inevitabili necessitate sic eventurum fuisse deprehensum. Igitur sanato rursum ulcere, lamina plumbea tumori aptanda laudabatur, unde id lucrifecimus, ut ab illo tempore longe mitius haberet, cumprimis, quia simul decocto pectorali traumatico uteretur, sic ut facies aliquatenus detumesceret, tumor pectoris minueretur, respiratio melius succederet, & ipse in publicum sine magnâ molestiâ prodiret.

Postea verò, quam noster itinere equestri in *Saxoniam* proficisci ausus fuisset, prima statim equitationis vespera se in deterius relabi, tumoremque thoracis denuò sustolli, persensit. Ille verò, cum contra audentior ire pertinaci proposito tentaret, victas in *Hennebergica Schleusinga* dare coactus fuit; ab assumtis paucis pharmacis tantisper levatus, revertendum sibi putavit, & cum *Svinfurti* rursum per paucos dies aliquot ollulas pharmaceuticas vacuasset, *Cellis ad Cuprum* fluvium in Comitatu *Hohenlohico* apud fratrem ibi habitantem vix anhelans appulit. Accersitus *Kiinzelsavia* Balneator, explorato pectoris tumore, hunc in capitis humani magnitudinem excrevisse, sic ut mentum attingeret, reperit. Dyspnœa & dolor ardens tanti, ut æger Balneatorem, quantumlibet invitum, in locum pulsationis, ut lanceolam pollicis profunditate adigeret, coëgerit, vulnere aliquot sanguinis floridi guttulas, prætereaque nihil, plorante. Applicata turunda, impositio sacculo herbaceo, æger suos lareis visundi cupidus, comite fratris filio, *Stuttgardio* nostro faciem obvertere cœpit. Haut procul *Weiblinga* animo quasi lictus, madorem circa locum affectum percipit. Descendens de equo, remotis vestibus, ecce tibi vis magna sanguinis congrumati indusium ad usque cingulum oppleverat; inde quidem virium se debilem, sed levius spirantem, dolore scil. nonnihil sedato & pectore detumescente, notavit. Vulnere *Weiblingæ*

lingæ deligato, denique fere syncopticus familiam salutavit, tumore, ardore, dyspnœa, de die in diem rursus increscentibus, usque dum præterito 23. Junii circa meridiem arrepta *acicula majore* (Hefftklufe) obtusiore & capita ejus parte vulnusculum *Kiinzelsàviæ* inflictum titillare & fodicare tamdiu pergeret, donec primo insignis copia cruoris atri, postea verò sanguinis quoque arterioši cum subsultu pulsiformi tanto cum impetu prosiliret, ut animo vere linqueretur; discurrunt simul ad Parochum alii, alii ad Medicum, tertii ad Chirurgum, qui advolantes suo quisque officio indefessi fungebantur. Sanguinis fluxus *crepitu lupi* sistebatur, & licet carpus propemodum planè quiesceret, attamen, quod sanè mirum, æger non illud tantum diei, sed sextum ferme adhuc diem supervixit. Etenim, cum sanguinis arterioši scaturigo rupturam aneurismatis testimonio omni exceptione majore doceret, consectarium quod aliud esse potuit, quam totam sanguineam massam pectoris cavum inundare, ejusque circulari motu abrogato, vitæ pausam insequi debuisse? si quid enim ratio valet, ab hæmorrhagia *Waiblingensi*, quod vivus esse nondum desierit, mirandum. Sed mortui corporis apertura, de qua suo loco, nodum expedito solvit. Properamus ad finem tragœdiæ. Nunquam viribus magis ante defecerat noster, attamen animum erigebant pauliser spiritus jam liberior, ardoris cessatio, pectoris subsidentia. Facies ante turgida jam quasi à diuturnâ tabe confecti. Parvæ induciæ. Sustolli tumor ad capitis infantilis molem, lapidem dixisses, adeò tactui renitebatur. Interim, quod ab hæmorrhagiæ repressione vita miseri penderet, Dn. *Du Vernoy*, Chirurgus juratus, supra pulvillos stipticos (quos removere consultum non erat) sacculos adstringentes vino calido immersos imponebat, circumjecta insuper satis valida ligatura. At verò, die 28. Junii, circa meridiem, cum æger lectulo suo se inferendum curaret, rupto iterum per vim aggere, sanguis amplius retineri noluit, quo plurima sui parte exhausto circa 4tam pomeridianam, æger cum vita miseriarum ærumnas morte placida deposuit. Die sequenti 29. scil. Junii

mane

mane corpus demortui præſentibus & manum commodantibus me, Dn. *Du Vernoy* & Dn. *Breuningio* Chirurgis apertum. Ante ſectionem ſuggillatus livor in dextra thoracis regione. tumor in collem dimidiati capitis infantilis elatus, nunc mollicellus; ſupra iſtam papillam ab ulcere relicta caverna, cujus circuitum florenus imperialis explere potuiſſet. Inde manabat ſanguis ater, grumoſus & olidus. Jam igitur cultro diviſa cum carne muſculoſa cutis à pomo Adami (laryngis regione) ad umbilicum usque, hinc transverſim à thoracis uno latere ad alterum (abdomen enim dividere ſupervacaneum viſum.) Integumenta quoque ad ſternum usque ſeparata, tumor quoque cruciatim ſciſſus, vi magnâ ſanguinis coagulati & fetentis explebatur, cujus inde colluviem inſignem in pectoris cavo repertum iri certo certius opinabamur. Detecto cruore prolutoque aqua tumore, mamilla quidem dextra ſpongioſo-glanduloſa reperta, ſed interim pectoralis & ſubclavius muſculi in ſolidum, & magno noſtro cum ſtupore, coſta ſecunda & tertia cum notabili parte oſſis ſterni foramine rotundo, trium facile digitorum capaci, pereſa, phænomena nobis planè curioſa præbuerunt.

(α) Tertiæ coſtæ portio quatuor circiter pollicum longitudine, è fuſco nigra, carioſa & planè friabilis à ſterno coſtæque ſuæ parte ſana abſceſſerat.

(β) Coſtæ ſecundæ potiſſima pars ligni ad inſtar putridi nullo vel tantillo negotio in fruſta comminui poterat, eadem carioſa, nigra.

(γ) Coſta in ordine à collo prima & dextra ſub *illius* lateris clavicula prius remota, latitudine ſua duos pollices æquabat, duplo, quam par erat, in comparatione ad lateris alterius primam coſtam latior.

(δ) Foramen ſupra notatum ipſum quoque ſternum, facie lunæ falcatæ, ſic eroſerat, ut ipſummet foramen exactam rotunditatem indipiſceretur.

(ε) Jam verò curioſi attendite! Sternum à coſtis more ſolito ſeparatum remoturi, cum, qua, neſcio, remora, impedire-

mur, ecce nusquam fortasse vel lectum vel auditum reperimus. Namque sub isto floreni perimetrum expediente foramine non erat à nobis expectata thoracis cavitas, at verò foramen istud ambiebat cutis crassa, firma, tantum non cartilaginea, marsupium dico simile isti, quo reconduntur globuli sclopetarii minores. (Schrotbeutel.) Per hoc foramen, tanquam patulum canalem ingressus digitis patebat in ipsummet sinistrum cordis ventriculum, quo de plura suo loco.

(ζ) Hac igitur cuti remota & sterno sublato, dextræ pectoris cavitati innatabat stagnum seri limpidi subcrocei, quo nec planè thoracis sinistra specus destituta fuit. Jam verò, loco crediti empyematis, hydropem thoracis conspicabar.

(η) In tali quales capiuntur flumine pisces? Abscesserat lobi pulmonis dextri superioris mucro palmæ circiter magnitudine, quæ huic aquæ tota corrupta, & compressa tabi modo diffluens innatabat, miro sane & insolito spectaculo, quamvis, ut nil diffitear, dexter pulmonis bipartitus lobus inde à trachuæ divisione, totum se putridum & friabilem ostendisset. Iidem pleuræ firmiter annectebantur.

(θ) Pulmones, qua sinistrum occupant, non equidem putridi, sed colore subfusco & compage valde laxa suspecti, nullibi tamen, quod recorder, pleuræ adhærentes.

(ι) Cor flaccidum è sede sua sinistrum versus adeò propulsum, ut ejus mucro costas illius lateris tangeret; quin & ipsa basis sinistra thoracis cavitate claudebatur.

(κ) Parenchyma cordis puredini valde propinquum.

(λ) Trunci arteriæ magnæ ascendentis à sinistro cordis thalamo ad costarum supra dictum foramen adeò stupenda extensio, ut, cum sanguine adhuc distentus esset, aneurismatis capacitas pugnum virilem facile admisisset; unde quoque liquescit, supra litt. ε. memoratam & costis interius adglutinatam densam cutim nil aliud fuisse, quàm ipsiusmet arteriæ subclaviæ dextræ, à trunco ascendente arteriæ magnæ oriundæ substantiam.

(μ) Dexter cordis ventriculus exsanguis, vacuus, intra cujus

cujus columnas duæ concretiones polypoſæ ſat longæ, quarum principium ſubſtantiam parenchymaticam mentiebatur, finis autem æmulus erat congeſtionis fibroſæ ſanguineæ.

(*v*) In ſiniſtro cordis thalamo cruoris denſati parum continebatur. Oſtium ejus in arteriam magnam mirum ac inauditum in modum dilatatum, vah! quantum patebat?

(ξ) Auriculæ binæ cordis collapſæ & corrugatæ. Omnia cor circumjacentia vaſa plane vacua, ſic ut aperturam corporis demortui adeò incruentam, quinquagenarius vir, nunquam obſervarim, imò perſuaſus in ipſiusmet abdominis apertura, nihil vel parum ſaltem ſanguinis profluxurum fuiſſe.

(*o*) Pericardium liquore ſuo turgidum, mediaſtinum, diaphragma &c. nil inſoliti oſtendebant; & hic ſubſtitimus.

Agedum! parum circa hæc phænomena commentari liceat.

I. A primo Patientis lapſu de equo, in trunco arteriæ magnæ aſcendente, ubi jam in arteriam ſubclaviam dextram divaricari cœpit, vel extenſio, vel ruptura tunicæ internæ nerveæ & craſſæ eſt orta; quæ arteria ſic læſa ob perpetuam ſanguinis arterioſi contenti pulſationem ſucceſſivè dilatata ſaccum finxit & in *aneurisma* excrevit, cujus incrementum per ſacci frumentarii geſtationem & equorum ferocientium violentam retractionem notabiliter auctum fuit. Hoc igitur aneurisma non fuit in arteria pulmonali è dextro cordis thalamo in dextrum pulmonis lobum prodeunte, ſed in principio ſtatim arteriæ ſubclaviæ dextræ.

II. Idem aneurisma ſucceſſive productum fuit fermè ad illam usque regionem, ubi arteria ſubclavia, mutato nomine, arteria axillaris appellari incipit.

III. Hæc arteria axillaris dextra, cum ſiniſtra partim ſit amplior, partim altiore loco ſita, adeò ut, antequam axillaris evadit, circa primam & ſecundam coſtam, propemodum ad pleuram impingat; ita ob ſui expanſionem neceſſariò qualibet pulſatione violentius ad coſtas duras allidere debuit, unde factum,

ut foris imposita manu pulsatio tam promte sentiretur, quod, si situs aneurismatis profundior fuisset, fieri non potuisset.

IV. Ob perpetuam hanc ad costas duras allisionem denique membrana exterior tenera arteriæ subclaviæ attritionem est passa, & cum pleura successive coaluit.

V. Hæc attritio vel erosio ob contiguitatem in mediam illius arteriæ tunicam propagata, hanc etiam perfregit, adeò ut tota arteria subclavia ibi loci perrupta costis adglutinata fuerit.

VI. Jam igitur sanguis arterioſus continuis pulsationibus ad ipsasmet costas, fluctuum instar ad scopulos marinos, violenter allidens, fervore, ebullitione, forsan & acrimonia sua id effecit, ut, successu temporis, & contigua sterni portio, & ipsæmet costæ friabiles factæ, quin denique plane perfractæ fuerint. Immo, non est captu difficile, quo pacto post quemlibet appulsum ad costas iterum versus sinistrum cordis ventriculum repressus, immò repulsus, sanguis, majoris extensionis arteriæ auctor extiterit.

VII. Verisimile tamen est, sterni costarumque plenariam exesionem prius non factam, quam, ubi Patiens ultimo Saxonicum iter suscepit; & tunc, sine dubio apertura prima non admodum magna fuit, per quam sanguis arterioſus, musculos thoracicum & subclavium, & postea substantiam dextræ mamillæ glandosam permeavit, ibi congrumatus, & acescens, tumorem doloremque lacerantem excitavit, immò denique plane sphacelatus fuit.

VIII. An cauterio potentiali diu ante applicato hæc ossium erosio promota fuerit, affirmare non audeo; in eam enim profunditatem usque dictum cauterium nullatenus penetrare valuit.

IX. Cum itaque sanguinis affluxus sub integumentis communibus & musculis pectoralibus accumulatus fuerit, inibi stagnaverit & in corruptionis statum abierit, aliter fieri non potuit, quàm ut, symbolam quoque addente equitationis motu, tumor repente augeretur, & denique in capitis virilis quantitatem

tem ſuſtolleretur; ubi ſimul ob nimiam tendinum, fibrarum & membranarum tenſionem dolor, & ob repulſum ac reniſum ſanguinis verſus coſtas ac diaphragma, dyſpnœa augeri debuerit.

X. Punctura Balneatoris *Cünzelſavienſis* cultello facta procul dubio non ſatis profunda fuit, nec ad ſanguinis congrumati molem penetravit, hinc paucæ tantum ſanguinis guttæ profluxerunt.

XI. Nihilo tamen minus, dilatata ſimul per applicatam turundam, illa punctura id effecit, ut ſubtus collectus ebulliens ſanguis, debilitatio ſic partium mollium reniſu, promovente ulteriore per equitationem motu, prope *Waiblingam* aggerem verſus inciſuram perruperit & cum impetu profluxerit.

XII. Deligatio verò & iſchæmorum applicatio *Waiblingæ* facta, hæmorrhagiam equidem ſufflaminavit, interim tamen foramen ſterni & coſtarum ſucceſſivè dilatatum fuit, donec per fodicationem acicula majore factam ſanguis denuo ſibi viam patefecit, protruſo primum ab impetu ſubtus ebullientis arterioli, ſanguine grumoſo, illo poſtmodum, more ſuo, ſubſultim ſequente, qui per iſchæma & ligaturam fortem ad aliquot dies rurſum reſtitit, ſed repagula denuò perfregit, & exhauſtis fere vaſis ſanguivehis omnibus, vitæ ſat miſeræ pauſam fecit.

XIII. E quibus omnibus rite penſitatis nunc planum exiſtit, partim cur in cavitate thoracis ſanguis extravaſatus fere nullus repertus fuerit, non obſtante, aneurismate rupto, quod omnibus aliis obſervationibus anatomicis contrariatur, hanc autem propterea mirabilem magis & curioſam facit? partim, cur æger non ſtatim poſt primam hæmorrhagiam vivere deſierit, quod ruptis alioqui internis aneurismatis fieri ſolet? Utrumque inde venit, quia arteria ſubclavia, qua aneurisma conſtituit, ſterno & utrisque coſtis agglutinata fuit, ſaccum ibi, ſeu marſupium formavit, intusque contentis ſanguis ebulliens, æſtuoſus, continuo allidens, primo membranam arteriæ coſtis affixam, deinde coſtas & ſternum ipſummet eroſit, & ſibi ſpecum in muſculoſis pectoris partibus excavavit; unde omnis in aneurismate rupto

contentus sanguis viam per foramen osseum ad extremitates pectoris quæsivit, cujus ne gutta quidem in cavum thoracis penetrare potuit, nisi aneurisma interiora versus æque rupturam passum fuisset, quod autem factum non esse, sectio patefecit.

XIV. Repertum in aneurismate costæ, innatans frustum (sine dubio paucis ante mortem ægri diebus ab osse suo segregatum) defuncto peculiaris doloris propterea caussa non esse potuit, tum, quia in ista aneurismatis amplitudine spatium natandi sat liberum fuit, cum, quia arteriæ interior membrana sensu non admodum exquisito gaudet.

XV. Immò & hinc dispalescit, cur æger primis inde sui affectus temporibus è brachio dextro tam insigniter doleret? Primum enim extensio usque ad axillarem arteriam processerat, postea verò, versus aortæ truncum retrocessit, quo spatium liberius ibi obtineret, cum econtrario axillaris arteria, quo magis in brachium perpetuata, eo angustior evadit, quibus in angustiis coactus sanguis per fibrarum distensionem doloris auctor extitit.

XVI. Nec est conceptu admodum difficile, unde venarum protuberantia maculæque suggillatæ in pectore? Tanta subclaviæ arteriæ expansio sibi proxime adjacentem venam subclaviam compressit, sanguinisque per eum refluxum quandamtenus impedivit, cui proinde in ramis thoracicis & intercostalibus stagnandum fuit, quod magis factum corpore terram versus inclinato, majore tunc etenim venarum compressione existente.

XVII. Quin & fieri pronum erat, ut propter nimiam arteriæ subclaviæ expansionem, sanguinis parcior affluxus oriundis ab illa arteriis intercostalibus supernis & mammariæ dextræ, paruerit, unde factum, ut earum capillamenta sanguinem venosum pro rata non resorberent, hinc venas mammarias & intercostales nimium impleri necessum erat.

XVIII. Quod verò, ubi pronus fieret ægrotus, facies adeò vehementer inflaretur, livore tota suffunderetur, & liber spiratus intercipieretur, inde est, quia inclinato corpore, & angustato thora-

thorace, aneurisma, instar utris pleni, comprimebatur, sanguisque in ea contentus vi quadam in arterias carotides confestim irrumpebat, caputque inundabat, hinc & pulmonibus spatium semet per inspirationem libere expandendi denegabatur. Quemadmodum ipsius faciei perpetua quædam inflatio tumorque dextri thoracis maxima sui parte succis ob impeditam circulationem intra vasa stagnantibus & in gelatinam coëuntibus; dyspnœa verò partim dictæ circulationi præpeditæ, partim hydropi pectoris merito accepta ferenda.

XIX. Qui thoracis hydrops à quibusdam per lapsum ex equo, gestationem facci, coërcitionem equorum ferocientium disruptis vasis lymphaticis thoracicis petendus. Sic enim serum pedetentim in dextra thoracis cavitate, tanquam cisterna, colligi oportuit. Cujus loco, ob summam spirandi difficultatem pectorisque intumescentiam, empyema suspicatus eram.

XX. Porrò tam stupenda moles aneurismatis cor successive loco migrare coëgit, quod sinistram thoracis cavitatem ad usque sinistras costas occupavit.

XXI. Quod etiam lobi pulmonum dextri sero extravasato tamdiu innatarunt, eos à putrefactione haud multum abfuisse, mirum non est: id verò planè mirandum, ungulam lobi superioris à corpore suo plane separatam fuisse, quamvis id quoque non multis ante mortem diebus contigisse verisimile existat.

XXII. In eorum cordibus, qui thoracis hydrope laborant, polypi frequenter inveniri solent, cordium præcipue *in* thalamo dextro. Quod hinc existere puto, quia per istum hydropem, sanguis sero suo depauperatur, hinc sanguinis venosi fibræ in angustis interstitiis intra cordis columnas comprimuntur, per iteratos pulsus conquassantur, & in massam carnosam densantur.

Observatio ad hæc nostra non multum abludens reperitur in *Ann. V. & VI Dec. III. Ephem. Cur. obs.* 179. quæ legi meretur. It. *in obs. Joh. Udalr. Rumleri à Velschio Curat. & observat. medicinal.* editis, *observ.* 81. Nam & ibi memoratur de aneurismate aortæ, quod costis & spinæ vertebris accreverat, quin

& co-

& coſtis vicinis inde carioſis redditis, immò una plane confracta &c. Tantum!

(*Stuttgardiâ Auguſtam Vind. An. 1707. M. Octobr. miſſa.*)

OBSERVATIO XCVII.

DN. D. JOHANNIS CONRADI BRUNNERI.

De

Caruncula in urethra, rarius, quàm hactenus creditum fuit exiſtente.

ERrores, uti in aliis ſcientiis ſæpius, ita in medicina ſæpiſſimè per traducem propagantur, adeò ut quod perhibet veriſimiliter unus, facile huic ſubſcribant alii, inexperti. Veritatis autem tanta vis eſt, ut ſciendi cupidos non tantùm proprio motu alliciat, ſed & labores, quos in eruenda adhibent jucundos & indagandi faſtidium ſuave reddat atque volupe. Superiori Anno *illuſtri Collegio* ſuppeditavi nonnulla, quibus errorem, quem fortè errârunt tam Medici, quàm Chirurgi circa *carunculam in urethra* detexi. Monui & adhortatus fui debitò naturæ Myſtas, ut, quoties occaſio tulerit, in veritatem juxta mecum inquirere velint, cum hic ſcopus ſit & intentio Societatum, quæ hinc inde laudabili naturæ ſtudio cluent, falſa arguere, obſcura illuſtrare, vera & occulta in lucem protrahere, undique & ubique ſcientiam naturalem adaugere.

Contigit Generoſo cuidam, cujus nomini parco, ut poſt inveteratam gonorrhœam in hanc inciderit calamitatem, quæ urinam aut plane non, aut nonniſi exiguum ejus filum ſeu radium, magno cum nixu & conatu emittere potuerit. Tam Medici, quàm Chirurgi, quotquot conſilium rogaverat, rogavit autem plurimos, uno ore profitebantur, *Carunculam* eſſe in urethra, quæ crucem figat & urinæ exitum impediat, cum tamen poſt mortem nihil tale apparuerit, uti ex memorata hiſtoria colligere, ſi libet, licet. Cum autem error publicus, pervulgatus,

magno

magno ægrotantium damno ſubeſſe mihi quidem videretur; ſcio enim Pariſinos Chirurgos inſtrumenta excogitâſſe, quibus Caruncularn artificiosè reſcindere & dedolare; alii cathæretica ſummiſerunt, quibus luxuriantem abſumere anniſi ſunt; hinc mearum partium eſſe duxi, errorem modeſtè indicare, aliosque ad indagandam veritatem invitare; eoque magis, quia (quæ fortè cauſa eſt, quod veritas tamdiu latuit) rarò ex hoc affectu moriuntur ægri, mortui autem vix inveniunt, qui in mali cauſam ſollicitè inquirat anatomiæ peritum.

Contigit nuper, ut idem ſubierit fatum quidam Legioni militum Præfectus, poſtquam per annos eadem labe & urinæ difficultate laboraverat. Omnes, quotquot & iſte conſuluit Medicos & Chirurgos, nullum autem non, ubi ubi obvium conſuluit, *Caruncularn* eſſe in meatu urinæ, quæ exitum ejus impediat, absque hæſitatione pronuntiârunt, variaque ad hanc auferendam adhibuerunt remedia, ut dubitem Carunculane hæc vexatiſſima, an ſiniſtra medentum conſilia ægrotantem magis vexârint. Res tandem ad agyrtas, barbitonſores & anûs ipſas, uti fieri amat, devoluta fuit, cum evidenti ægrotantis damno: acceſſit enim ſtranguria acerba, urinæ odor acris & mordax feriebat nares: fundo matulæ adhæſit mucago, ad inſtar albuminis ovi aut terebinthinæ tantâ tenacitate, ut vacuando matulam filum ſat longum verſus terram traxerit; id quod haut levem latentis in veſica calculi ſuſpicionem movit. Vocatus proin Chirurgus, qui exploraret malum cathetere, nec viam invenit, nec ad veſicam usque illam adigere potuit, cauſſatus itidem *Caruncularn*. Febris quæ ſupervenit, miſeriæ finem, ſimul in veritatem inquirendi nobis copiam fecit. Cultrum hinc anatomicum, impetratâ veniâ adhibui. Initio urethræ nihil vitii aliquousque apparuit: in medio autem ejus inſignis ſtrictura & coarctatio, ceu ex aduſtione, occurrit: Circa proſtatas mira cicatricum ex ulceribus antiquis, inveteratis, nunc perſanatis facies conſpicua fuit & ſumma meatûs anguſtia, quæ catheterem ulteriori progreſſu prohibuit: Collum veſicæ durum & ſcirrhoſum fuit: Veſica ipſa mephitim ſpira-

ſpiravit & odorem acerrimum: in orificio ejus hæſit non calculus, ſed portio *cruſtæ calculoſæ*, ſimilis ei, quæ parietibus matularum, diu non purgatarum, accreſcere ſolet: fundum veſicæ plures incruſtârunt ſimiles cruſtæ lapideæ, non ſine ingenti, quod facilè ſuſpicor in vivo irritamine. Cæterùm veſica undiquaque rubra, ceu inflammata, nonnullibi ſphacelata intolerabilem ſpiravit fœtorem acerrimum.

Cautius hinc mercari diſcant medentes, ſi in ejusmodi casûs inciderint & ægrotantes, quos emollientibus, laxantibus, canalem urinarium dilatantibus & anodynis potius tractandos, quàm irritantibus, cathæreticis, non citra inflammationis periculum vexandos; ipſam autem *Caruncularam*, decantatiſſimam in Chirurgia, figmentum Chirurgorum eſſe planè perſuaſum habeo. Hinc forte factum, quòd opprobrium Chirurgorum audierit: Ignoti enim nulla eſt curatio morbi.

(*Düſſeldorffio Auguſtam Vind. d. 27. Octob. Ann. 1707. miſſa.*)

OBSERVATIO XCVIII.
DN. D. LUCÆ SCHRÖCKII.
Gravis abſceſſus abdominis curatus.

MAtrona 35. annorum, tenerrimæ conſtitutionis, hypochondriaco-ſcorbutica, cum quarta vice gravida eſſet, ſatis commode quidem uterum gerebat, aſt d. 29. Junii An. 1707. juſto tempore filiolum, qui poſt partum mox exſpiravit, difficillime ob præternaturalem ejus ſitum, enixa eſt. Hinc præter inſignem debilitatem, dorſi & hypochondriorum dolorem, tuſſiculam, alvique ſiccitatem, calorem etiam febrilem in ea deprehendit ipſius frater, Exc. D. D. Johannes Hermannus, Medicus Auguſtanus, quem d. 5. Julii exanthemata fuerunt inſecuta, cum ventris torminibus, quæ d. q. diarrhœa excepit, præcordiorum gravitas, adpetitus proſtratus, vomendi conatus, ſomnus irrequietus, & fauces pituita viſcida penitus obductæ, calore autem febrili nondum ceſſante. Et quamvis tot malis, non ſine multo levamine

mine, varia medicamenta ex arte oppoſuiſſet, d. 14. tamen diarrhœa torminibus ſtipata recurrit, quæ ipſa quidem denuo ſopita, ab uſu autem Elixirii proprietatis D. Claud. ad lochia (quæ licet primo poſt partum die rite fluxiſſent, paulo poſt tamen juſto citius ceſſaverant,) promovenda adhibiti, d. 18. rediit, cum pulſu celeri, urina intenſe rubra, faucium & linguæ ariditate, ſapore ſalſo, tuſſi, anorexia, totius macie, tumore pedum circa talos œdematoſo, nec non puſtulis rubris, per totum corpus, brachia inprimis, cum pruritu efflorescentibus. Quibus iterum medicamentis convenientibus cum proſpectum fuiſſet, d. 24. alvi & urinæ difficultas oborta eſt, cum totius abdominis tumore, in quo infra umbilicum d. 30. dolor fixus, tuberculumque durum fuit notatum. Interea vocatus & ipſe fui ab eodem meo Domino Collega in curæ ſocietatem; ubi poſtquam cataplasma emolliens ventri imponendum fuiſſet ordinatum, d. 7. Auguſti mane ruptum tuberculum pus copioſum eructavit, tumor autem abdominis, qui durus & quaſi ſcirrhoſus erat, nondum detumuit, cui tamen emolliendo, continuato cataplasmatis & emplaſtri mallactici uſu, ſtuduimus, calori inſuper gliſcenti ac doloribus abdominis pulvere ex lapillis gammarorum, antimonio diaphoretico & cinnabari nativa parato, urinæ difficultati propinandó aquam calidam herba veronicæ medicatam, atque alvi ſegnitiei clyſteribus ac infuſo foliorum ſennæ cum paſſulis obviam ivimus. D. 10. cum antemeridiano tempore fruſtaneus, licet ob ſcybala dura maximus egerendi conatus adfuiſſet, veſperiChirurgus poſt emplaſtri remotionem excrementa alvina puri immixta, & reliquis etiam diebus animadvertit. Unde non tantum pulvis prædictus, cum interpolato balſami de Copaiva uſu, potiſſimum continuatus, ſed alia etiam pro adfectus exigentia fuerunt ordinata, pro potu inprimis herbæ agrimoniæ, nunc ſolius, nunc cum paſſulis aliisve mixtæ decoctum inſerviit, Chirurgusque balſamicis injectionibus in abſceſſum inſtitit. Qua ſolertia effectum eſt, ut tumor durus ſenſim detumeſceret, & ulcus M. Octobri carnoſo intus velamine obduceretur ac coaleſceret, cutis etiam ſenſim

cicatricem indueret, quin ipsa ægra vires sensim recolligeret, ut jam ex voto valeat.

SCHOLIUM.

QUamvis aliæ consimiles curatorum abdominis ulcerum observationes passim prostent, cum tamen rariores sint, sæpiusque incurabiles fuerint, præsens quoque exemplum notasse, haud ingratum esse posse credidi, præsertim in hoc tenero & prorsus emaciato corpusculo, quod tot tantisque malis ferendis vix par esse posse, credi poterat. Excrementa verò quod in cavitatem abdominis ex intestino ileo, ab ulcere perforato, non exciderint, juxta mentem Fel. Plateri lib. 3. obs. p. m. 881. & cum eo Dan. Sennerti libr. 3. prax. med. part. 2. sect. 2. cap. 9. de simili casu tractantium, labiorum tum vulnerati vel exulcerati abdominis, tum intestini mutuæ conglutinationi adscribi debet, ocularí demonstratione b. nostri Salom. Reiselii in Eph. N. C. Dec. 2. Ann. 7. obs. 15. idem confirmante. Omnes autem membranas nihil ferè aliud esse, quam vasculorum minutissimorum expansionem & compigmentum, per quorum poros & meatus humor ab exiguis & vix sensibilibus arteriolarum ductibus advectus, stillans madorem ipsis impertiat, nostèr Cl. Pæon in Apiar. obs. 47. differit, atque in specie peritonæi interna superficies, quæ intestina tangit, levigata est, ac, uti Anatomici loquuntur, velut humore oblita; quo mediante in constitutione præternaturali peritonæum ipsis etiam intestinis adglutinari atque adnasci posse, scribit & exemplo confirmat Jo. Theod. Schenckius exerc. anat. pag. 256. Quale quid in nostro quoque Casu contigisse verisimile est, ubi lympha in peritonæo inflammato crassior ac viscidior reddita, ex ostiolis stillans, ibique ob lentorem hærens, intestina invisçare ac peritonæo connectere valuit; quæ partes deinde ab alluente pure sensim arrosæ, atque nisu illo in propellendis fecibus intensiori ruptæ fuerunt. A lochiorum autem suppressione sanguinem in vicinis abdominis musculis & peritonæo inflammationem excitasse, difficillimus partus, abdominis dolor, febrilis insultus &c. quin ipse hinc obortus abscessus evincunt;

eunt; qualem inflammationem in simili apostemate etiam Corn. Stalpartus van de Wiel cent. 1. obs. chir. anat. 60. & Guil. Fabricius Hildanus cent. 1. obs. 54. suspicati fuerunt.

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

Hermaphroditus primo pro puella, binc pro masculo habitus.

SUb finem mensis Novembris hujus M DCC VII. Anni, cuidam Præceptori Classico hîc Ulmæ natus fuit Infans, quem obstetrix pro Puella agnovit, unde & in S. Baptismo nomen Catharinæ Felicitatis ei impositum fuit; utut adstantes statim mussitarint, hunc Infantem sic se non habere, ac quidem aliæ fœmellæ solent, qua partes nempe genitales. Unde & fama emanavit, natum fuisse hermaphroditum: quod unum ex susceptoribus permovit, ut Chirurgum quendam veteranum eo miserit, Infantem inspiciendi, & cujus sit sexus? judicandi causa, qui, seu jam solùm superficiariè hunc inspexerit, seu Parentes solari voluerit, judicavit; eum perfectum esse masculum: cum quo postmodum Medicus ordinarius forsan iisdem de causis consensit: Utut ergo de S. Baptismi veritate & efficacia nemo dubitaverit, similiter tamen omnes consenserunt, aliud eidem nomen esse imponendum; hincque solemniter nunc Reinhardi Felicis obtinuit: Re verò & ad Inclutum Magistratum delata, hic mandavit, ut Collegium Medicum, excepto eo, qui jam judicium suum tulerat, ad Infantem se conferret, & inquireret, an revera masculus, an verò hermaphroditus sit? & si tale nomen mereatur, qui sexus in eo præpolleat? Ubi, cum huic mandato satisfactum fuisset, patuit, ex nuda inspectione, hunc infantem pro masculo haberi quidem posse, dum oculis penis justæ pro hac ætatula magnitudinis & stylo pervius se obtulit, simulque non defuit pars, quæ scrotum repræsentavit; dum verò manus admovimus, vix paululum remoto pene ad latus hujus sinistrum itidem foraminulum inveniebatur, in quod cereum ad longitudinem articuli di-

giti haud ita difficulter immittebamus; linea insuper, quæ aliàs scrotum in duas dividit partes, sub futuræ nomine Anatomicis veniens, in viris elatior quodammodo in hoc rimam, quin vulvam coalitam præsentabat, nec tantum propendebat, quantum aliàs scrotum solet, quin pro nunc testiculis planè vacuum reperiebatur: Unanimiter itaque statuebamus; non tam pro mare vero, quàm hermaphrodito hunc fœtum esse habendum, in quo nunc quidem sexus masculinus præpolleat, non sic tamen, quin olim tempore pubertatis mutari res, fœmininusque præpollere posset, nunquam tamen, quamdiu sit superfuturus, utriusque sexus quædam indicia defutura. Docet hæc observatio, hodienum generari fœtus, qui hermaphroditi nominari mereantur, in quibus tamen quod & in nostrâ relatione addidimus, vix unquam utriusque sexus genitalia plane perfecta inveniuntur, quod & alii notarunt; nemo verò, qui has partes sic constitutas, cum iis, quæ Auctores de Hermaphroditis tradiderunt, conferet, nostrum eorum numero inferere, vel minimum dubitabit. Ne autem ejuscemodi fœtus minus rite tractentur, juvat omninò, quamprimum sunt editi, rem ad cujuscunque loci Magistratum ordinarium deferre.

(*Ulmâ Augustam Vind. missa, d. 17. Decemb. An. 1707.*)

OBSERVATIO C.

Dn. D. MARCI GERBEZII.

De roris corrosivitate, & inde ortis pustulis.

QUàm malè subinde in usum culinarium trahantur herbæ, radicesque comestibiles, quamque malè edantur fructus arborei adhuc roscidi, seu rore madidi; mihi exactius perpendendi occasionem suppeditavit elapso currentis anni 1707. Julio pharmacopolæ nostratis Spatthii socius, quodam mane ex collectione herbarum domum reversus, manuum extremitatibus, & facie totus cum insigni ardore & pruritu pustulosus. Recen-

suit

fuit siquidem hic, se cæterùm saniſſimum domo exiiſſe; poſtquam autem herbis, floribusque præcipuè chamomillæ (quam inter reliquas copioſiorem in agris prope Turrim ſpecioſam PP. Soc. JEſu recreationis domum deprehenderat) rore madidis ſibi manus, & ſucceſſivè etiam faciem, quam caſu ſubinde manibus contrectârat, madefeciſſet, ſe ardere, mox prurire, & demum in tales, quales præ ſe ferebat, puſtulas erumpere cœpiſſe. Unde hariolari occœpi: quòd ſi memoratæ herbæ tactu ſimplici externo tactas partes adeò corrodere valeant; quidni idem quoque efficere queant in ventriculo, & inteſtinis, ſi roſcidæ manducentur? præſertim ſi accidat, ut eæ præterea fortè variis inſectis, quæ in eis ex rore ſubinde generari in ſuis Inſtit. Med. memorat Daniel Sennertus, ſcateant. Procul dubio inde ſubinde talium ſive herbarum, ſive fructuum præſertim uvarum eſum conſequentes nauſeæ, vomitiones, ventris corroſiones, diarrhœæ, & ſimilia. Sale ſiquidem volatili adeò corroſivo præſertim vernis menſibus, & in locis nitroſis pollet ros matutinus, ut Chymici paſſim ſe inde tam efficax menſtruum præparare nôſſe glorientur, ex quo quæcunque metalla, adeoque & aurum ipſum perfectiſſimè ſolvi poſſit. Hinc concludo, conſultum omni modo eſſe, ut roſcida quæque, priusquam ſive cruda, ſive cocta in cibum trahenda ſint, probè abſtergantur, abluanturve: & non, prouti communiter fieri ſolet, nudè crudè manducentur. Plura aliàs de rore Schrœderus *in ſua Pharmacia.*

Similes puſtulas aliàs aliquando vidi etiam in Monacho Ciſtercienſi, ſed cum longè majori vultûs intumeſcentiâ, & ſcabie horridiore. Item primo elapsâ hyeme in Juris Conſulti uxore, in utroque absque ſingulari pulsûs alteratione. Ille culpabat halitum ab ægroto ſub confeſſionis exceptione ſuſceptum: hæc autem afflatum cujusdam fortè auræ malignæ, à ſe dum ſub crepuſculo nocturno ex Eccleſia domum rediret ſuſceptum. Fortè autem apud utrumque culpanda fuit talis corroſivis atomis fœta aura? uterque ſiquidem ſub reditu veſpertino infectum ſe taliter fuiſſe aſſeruit. Aërem autem talibus atomis ſubinde ſcatere,

tere, jam alibi à me doctum est. Pro curatione eis talem mixturam diaphoretico- alexipharmacam propinaveram: ℞. *Aq. flor. sambuc. fumariæ cardui ben. ana* ℥ß. *Rob. sambuc.* ʒij. *Elect. Diascord. Frac.* ʒj. *Nitr. diaphor.* ϑß. *Syr. papav. er.* ʒij. m. f. potio. Et convaluêre intra paucos dies, successivè abscedente squamatim scabie.

OBSERVATIO CI.

Dn. D. MARCI GERBEZII.

De Maculis scorbuticis.

CUm scorbuto aliàs nobis hisce in oris ferè nullum occurrit negotium: occurrit tamen cum accidentibus ei communiter imputari solitis; cum colicis puta, & vagis articulorum doloribus: cum gingivarum putredine, dentium vacillatione, & maculis quibusdam scorbuticis: in præsenti verò solùm macularum meminisse volo, quarum scorbuticarum, & cærulearum tantâ frequentiâ toto corpore perspersum vidi elapsâ æstate Musicum quendam, cæterùm de nullâ præterea molestiâ lamentantem, ut horridum fuerit, eum intueri. Quid istud phænomeni esset, quidque portenderet? interrogatus dixi: quòd, siquidem affectus se cæterùm bene haberet; non habeat, quòd sibi metuat. Maculas quidem esse signum magnæ impuritatis sanguinis; quòd eæ autem nihil molestiæ in corpore reliquerint, signum esse totam illam impuritatem fuisse eis mediantibus motu critico perfecto excusam: pro majore securitate tamen posse affectum usque ad radicalem macularum discussionem publicam auram vitare, & pro promovendo naturæ motu unam alteramve dosim pulveris *pannon. rub. cum antimon. diaph.* aliquot granis ex *aqua fumariæ* assumere: ne fortè ei accidat, quod evenerat ante annos puellæ simillimè citra omnem ulteriorem querelam affectæ; quæ tamen 13. ab affectione die obierat. Prouti id legere licet pluribus in *Chronologiæ meæ Med. Anno primo* §. *LXXXII.*

(*Labacod. 20. Decemb. An. 1707. Augustam Vind. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CII.
DN. D. MATTHÆI BLAW.
De
Varia unius medicamenti purgantis in uno ac diversis subjectis, unoque ac diversis temporibus exhibiti operatione.

CUm non solùm in multis morbis, præcipuè autem in cruditate & repletione stomachi, febribus intermittentibus, affectibus cacochymicis & similibus aliis, verùm etiam ad præservationem morborum medicamenta purgantia multùm in usu sint & magnâ utilitate adhibeantur, immò ab ipsis ægris sæpè expetuntur, & ab hominibus etsi sint bene valentibus pro præservatione ordinaria requirantur, inæqualis tamen & incerta solet esse eorum operatio, ita ut interrogantibus, quot sedes aut secessus inde secuturi sint, aut petentibus, ut toties ἄνω aut toties κάτω moveatur, certi quid respondi aut promitti haud possit, nisi *circiter*, *circa*. Immò & in hoc non rarò fallimur, dum una eademque medicina purgans sæpè bonam mediocrem, sæpe minorem nimis debilem, interdum fortiorem nimis excessivam, quandoque nullam prorsus operationem ostendit. Et quis in praxi medica versatus interdum contigisse non observavit, quod deorsum purgantia vomitum, aut vomitoria secessus moverint, aut quòd fortius catharticum laxativi vices egerit, aut econtra laxans hypercatharsin excitârit? De hac materia, etsi forsan alii (de quo tamen præter *Excellentissimum Lentilium in suis miscellaneis med. pract. lib.* 1. *f.* 288. mihi saltem non constat) scripserint, placuit paucas impræsentiarum annectere observationes.

De electivè purgantibus ego (ut verum fatear) sollicitus parùm sum in præscribendis formulis exiguam hucusque solitus facere differentiam, solummodò attendendo, utrum & quando conveniant: formam remedii purgantis ut plurimùm dictat electio ægroti vel assumentis, aut persuasio præscribentis; dosin seu quantitatem deficiunt corporis vires aut humor peccans evacuandus vario modo constitutus: tempus urget in necessitate &

morborum principiis, in quibus juxta Hippocratem, *si quid movendum videtur, move:* extra necessitatem non datur certa regula; commoda tamen occasio tempore vernali vel autumnali, ante vel post venæsectionem, lunâ quâvis, dummodò non in summâ nec infimâ &c. verùm etsi omnia bene observentur, inæqualiter tamen agunt atque operantur purgantia, uti patebit ex sequentibus.

Familiaris & perquam frequens pulvis purgans mihi in usu est in febrium præcipuè intermittentium principio, ubi inappetentia ciborum, nausea, ructus & oris gustus amaricans deprehenduntur, sive febrilis paroxysmus se jam insinuaverit, aut timeatur, consistens ex pul. Cornach. gr. xv. salis absinth. gr. iij. & Tartari emet. gr. ij. hunc autumno præterito (dum febres intermittentes & continuæ hîc multos invaderent) unâ die pro 4. militibus febricitare incipientibus præscripseram; aft diversa sequuta est ejus operatio; quippe unus solummodò purgabatur per alvum multoties, alter sine alvi apertione aliquoties per vomitum, tertius per utramque viam ἄνω & κάτω (quæ aliàs ordinaria hujus purgantis solet esse operatio) multa bilioſa & viscosa dejecit, 4tus sedes vix duas expertus, omnes tamen notabili cum levamine.

Alia mihi itidem valde frequens & consueta formula potionis laxativæ in usu est consistentis ex Extr. Diacitr. Cnic. ana ℈ß. Tartari vitriolat. gr. v. Syr. de Cich. c. rhab. ʒvj. aqu. laxat. ʒij. menth. ʒß. ol. Mac. gt. ij. Hanc vere præterito curiositatis gratiâ pro 4. meis convictoribus quoad ætatem ab invicem parùm differentibus, unâ eâdemque die & matutinâ horâ, in eâdem prorsus dosi præscripseram, quam simul omnes in uno hypocausto calidè & absque nausea epotârunt. NB. Nullus autem horum singulares habebat querelas de sanitate læsa aut morbificis accidentibus, sed quivis desiderabat medicinam purgantem ante consuetam phlebotomiam assumendam. Sed ecce operationem quàm diversam! unus vix horam exspectavit, & ter per vomitum, postmodum toties per alvum expurgabatur; alter ante pran-

prandium 7. sedibus movebatur deorsum, tertius per totum diem secessus vix duos expertus, 4tus verò frustra & sine effectu se medicinam sumpsisse ratus, ad noctem primùm medicamenti stimulum expertus est, sed ejus operatio pluribus vicibus ad insequentem usque diem continuavit; ita ut omnes ridendo inæqualem medicinæ æqualiter assumptæ virtutem & effectum valde mirarentur.

Simili modo pro 3. personis quamvis diversæ ætatis in una domo cohabitantibus unâ vice præscripsi nodulum purgantem panchymagogum in sequenti formula: ℞. Rad. 5. aperit. ana ℥ß. bryon. filic. polypod. q. ana ʒvj. herb. absinth. pont. agrimon. capill. Veneris, marrub. alb. scolopendr. hyssop. C. B. Leton. salv. ana Mj. flor. anth. genist. ana Mß. cort. fraxin. tamarisc. ana ℥ß. fol. senn. s. st. ℥j. rhabarb. ʒij. agar. tr. ʒiij. mechoac. alb. rad. helleb. nigr. ppt. ana ʒiß. passul. min. mund. ℥iß. sal. tartari ʒij. sem. anis. fænic. ana ʒiß. calam. arom. ℥ß. galang. mac. ana ʒj. croc. austr. ʒß. grosso modo inc. commisc. ad nodul. cui affund. vin. alb. mensur. 4. stent in loco calido per noctem, de quo vino medicato singulo mane & ad vesperas sumatur haustus, dosin vel augendo, vel minuendo, prout operatio procedit. De hoc vino purgante sumpserunt omnes tres eâdem horâ & quantitate æquali, sed effectu iterum perquàm diverso; nam primus præter spem movebatur per vomitum aliquoties, ita ut ulterius sumere recusaret; alter sumpsit haustum manè & ad vesperas, ex quo de die 4. dejectiones deorsum habuit. Tertius primâ die bis hauserat, sed prorsus nihil movebatur; inde altero die augebatur nonnihil dosis, & sic continuando quotidiè ter vel quater per sedem operatio sequebatur. Primus cùm videret reliquos duos ab assumpto vini medicati potu ad vomitum non stimulati, denuò persuasus fuit, atque iterum assumpsit haustum uti prius, & inde sine vomitu moderatè per alvum expurgatus est.

Qui ordinarios in Monasteriis & Xenodochiis Medicos agunt & pro multis ac diversis hominibus eodem tempore purgantia præscribunt, omnium optimè experiuntur, quàm diversas &

sæpè miras ea operationes obtineant ; quod , dum antehac in Suevia & ad Acronianum lacum praxin exercebam & unâ vice simul & semel pro 10. Monasteriis Medicum ordinarium agebam, experientia frequentior me edocuit. Qui pillulis utuntur ordinariis laxantibus singulo mense sumendis, in se ipsis experiuntur, effectum haud semper æqualem esse, licet in eâdem dosi & numero assumuntur; nam interdum operantur mediocriter, interdum vehementer, interdum lentè, quandoque nihil, præsertim si natura seu stomachus in iis sæpius sumptis aliquo modo fuerit assuefactus. Inveniuntur haud pauci, qui à Medicis quandoque desiderant , ut ipsis fortiora præscribantur purgantia , sed hîc semper mediâ viâ procedendum ceu tutissimâ ; qui enim secundùm modum Barbitonsorum paganorum vehementiora ex Antimonio, Helleboro, Scammonio seu Diagrydio, Colocynthide, Euphorbio, gummi gutta, aliisque fortioribus corrosivis præparata exhibent purgantia, hypercatharsin movendo non solùm nocent aliis, quorum sanitatem destruunt, sed sibimet ipsis, prostituendo famam, quàm tam facilè non restituent. Memini, dum adhuc juvenis Medicus essem, & antequam praxin medicam solo Marte exercere inceperim, me ab aliquibus Medicis senioribus celeberrimis, quos hinc inde aliquid in arte perdiscendi gratiâ visitabam, fideliter admonitum esse, ut ad praxin si devenirem, ab usu fortiorum purgantium mihi caverem, quia exinde Medicus aliis redditur vel maximè exosus. Verùm quàm cautè etiam quis agat in præscriptione purgantium, vix tamen semper cavere poterit, quod non quandoque præter omnem intentionem hypercatharsis moveatur, uti mihi quondam contigit in sequenti casu.

Reverendo cuidam Dn. Jonæ Veringer Sacerdoti ante consuetam phlebotomiam vernalem , medicinam purgantem sibi præscribendam postulanti ordinavi similem potionem laxativam, cujus supra facta est mentio; præparatam assumpsit, & septies inde movebatur , ita contentus, ut formulam præscriptam à Pharmacopœo repetteret, idque pro futuris usibus in suo breviario

rio asservaret, inscribendo sequentia formalia: NB *Hæc potio laxativa blandè operata fuit septies.* Proximo autumnali tempore dum ante consuetam venæsectionem rursus medicinam purgantem sumere constituerat, idem recipe me inscio mittebat in pharmacopolium, ut in eádem formâ præpararetur, quam denuo assumpsit, sed operatione longè diversâ quàm in præcedente; exinde enim cum tantâ vehementiâ purgatus est, ut maximis cum torminibus colicis ultra 70. sedes copiosè deponere, viribusque dejectus me tunc loco absentem per expressum vocare ac medicam implorare opem coactus fuerit. Quænam autem causa fuerit hujus vehementis hypercatharseos, invenire haud potui, cùm ex parte assumentis error nullus sit deprehensus; culpa potius Pharmacopœo conjecturaliter imputari potuisset, quamvis incertò constaret. Hoc idem similiter observavi in Perillustri ac Generoso Dn. Lib. Barone de Roth, qui ex usu medicinæ laxantis ordinariæ à me præscriptæ tantam hypercatharsin expertus est, ut de vita periclitaretur, & me in auxilium vocare necesse habuerit; verùm propriâ ipsius culpâ hoc accidit, quia nimirum post assumptam medicinam tempestate importunâ se foris contulit in sylvas, & venationi insistendo corporis exercitium immoderatum instituit, ex qua causa talis operatio importuna facilè provenire potuerat.

OBSERVATIO CIII.

Dn. D. MATTHÆI BLAW.

De

Seminibus Cucumeris Meloniparis.

COntigit hoc ipso anno 1707. quòd semina cucumeris studiosè collecta & asservata præterito tempore vernali in proprio horto meo in terram projecta & seminata loco cucumerum puros & varios melones dulces & sapidos produxerint. Similem seminum variationem ac miram degenerationem hîc loci & hoc anno expertus est alius quidam hujus urbis civis Egg nominatus,

cui idem contigit & loco seminatorum cucumerum melones collegit. Verùm dubitaret fortassis quispiam, ac si error contigisset in collectione, asservatione & seminatione seminum, sed minimè; quippe & in aliis hortis idem fuit observatum. Dum enim autumno præterito fortè fortuna vicinum meum Dn. Hauser, virum sedulum & in rebus domesticis gerendis accuratum visitarem, & in suo hypocausto & camera magnam melonum copiam conspicerem; interrogabam, unde tantam frugum messem collegerit? retulit mihi fide dignus cum admiratione, se antehac in horto suo melones nunquam habuisse, neque horum semina in terram projeciisse, sed semina cucumerum ipsummet anno præterito studiosè collecta asservasse & nomina papyro inscripsisse, ac vere præcedente propria manu in terram seminasse, sed præter spem & exspectationem in uno eodemque horti loco tum cucumeres tum & maximâ ex parte melones varios inveniisse, quorum aliquos gustavimus & genuinos sapidos ac subdulces non sine delectatione deprehendimus. Hujus curiosæ rei, varietatis & miræ degenerationis causam rescire nemo potuerat; hinc & curiosis communicare placuit.

(*Friburgo Brisg. A. 1707. d. 21. Decembr. missa.*)

OBSERVATIO CIV.

Dn. D. GOTTLIEBI BUDÆI.

Abscessus inguinalis, innumerabilia ovula seu vesiculas continens, curatus.

VIr juvenis 30. annorum, mediæ staturæ & temperamenti phlegmatici seu cachecticus, ab operatione vehementiori vomitorii cujusdam aliquando sumti, in inguinali regione sinistri lateris sentit rupturam, & demum post tempus aliquod tuberculum instar fabæ enasci, per sex annos sine ullo incommodo durans, postmodum ad nucis juglandis magnitudinem increscens, cui eò Chirurgo emplastrum discutiens applicari patitur,

ex

ex quo illius incrementum cum aliquali rubore ac dolore eò magis persentiscit, quò longius dictum emplastrum tumori inhæret. Hoc igitur remoto, mox aliud emplastrum stypticum applicuit, tumore verò eò magis magisque accrescente, auctisque doloribus, stigmatibus seu striis obfuscis ac venis circumcirca sanguine plenis & lividis conspicuis. Hinc patiens pejora metuens d. 5. Decembr. 1703. miseriam suam mihi explicat, meumque expetit consilium. Ego ponderatis omnibus circumstantiis atque oculis examinato statu tumoris, ulcus cancriforme omninò metuens, dubium edixi prognosticum, nihilo tamen secius ut Dominum Patientem consolarer, tumorem illum eô tempore, magnitudinem capitis infantilis fere æquantem, maximè durum, rotundum, inæqualem, aspectu tetrum magis ac obfuscum, quàm inflammatum, temperatis & lenientibus remediis tractandum suasi, & adhibito unà Chirurgo nostro in arte expertissimo, Domino Johanne *Gottlob Fleischero*, curam cum DEO, adhibitis & internè & externè variis ex arte salutari remediis, sum aggressus. Et quidem die eodem Dn. Patienti mixturam aliquam bezoardicam & cordialem, ad 50 guttas ter de die sumendam dedi, in lecto se continendo, madoremque & transpirationem expectando; externè verò cataplasma discutiens, temperans & demulcens, sæpius in die calidè applicandum. Continuatis his remediis usque ad 13. Decembris, tumor quodammodo emolliri & elevari visus, accedente fortè aliquâ tussiculâ, præter spem rumpitur, & ex illo hiatu multæ vesiculæ, vel potius ovula, diversæ magnitudinis erumpunt. Patiens his aspectis summè perterritus & nunc de vitâ suâ actum esse persuasus, meum & Chirurgi adventum anxiè expetit & expectat. Nos absque morâ accedentes statum hunc satis mirandum intuentes, nec minus periculosum primo intuitu tacitè judicantes, incisionem majorem faciendam jussimus; quâ factâ ultrà quingenta ejusmodi ovula cum impetu quasi prosilierunt. Quod curiosum spectaculum, & non sine admiratione, ad nostrum petitum, Nobilissimus atque Experientissimus D.D. Friedericus Lieff-

mann-

mannus, Medicinæ Practicus feliciſſimus, aliique plures, nobiscum adſpexerunt. Probè autem examinatis illis ovulis ſeu veſiculis, eadem variæ magnitudinis, uti in effigie videri poſſunt, deprehendimus, quædam inſtar piſorum, alia nucum avellanarum, aliaque ovorum columbinorum; horumque quædam, quod maximè mirabile erat, continebant liquorem limpidum & pellucidum, quædam ichoroſum & quaſi albugineum, quædam materiam flavam & quaſi purulentam, ad vitelli ovorum inſtar, pauca quædam quoque lividam; ipſaque ovula in ejusmodi liquore lento & albugineo, fortè ab ovulis disruptis exeunte, minus fœtente, & ſaltem quid ſebacei olente, innatabant.

Horum ovulorum vel veſicularum magnam copiam infanti curavimus cum liquoribus partim ſpirituoſis, partim oleoſis, quæ in illis etiamnum conſervantur, nonnullis quidem disruptis & liquore ſuo vacuis, veſiculisque membranaceis ſatis craſſis relictis.

Evacuatâ autem cavitate illâ ab ovulis & materiâ albugineâ per vices & dies aliquot, (ne repentina & ſimultanea depletio vires dejiceret,) in eandem injectionem mundificantem ſeu purificantem & defendentem, cum lyringâ infudimus, totâque ſic cavitate probè elotâ & expurgatâ, manifeſto comperimus diverſos ſinus fiſtuloſos, ultra dimidiam ulnæ profundos, ſuprà citraque & ad latera, intra peritonæum & panniculum carnoſum euntes, immò totam illam regionem inguinalem penitus excavatam eſſe & quaſi cavernoſam, membranâque peculiari intus circumductam. Præterea viſu admodum curioſum erat, quod ad repletionem cavernæ illius pro unâ vice plus quàm una libra liquoris conſumi, & propter profunditatem ſinuum ſingulare & flexile roſtrum ultra dimidium ulnæ longum ſyringæ applicari, neceſſum eſſet; aliàs enim materia illa acris & corrupta ex imis illis cavernis (cùm parùm vel nihil ſponte effluxerit initio curationis) extrahi, & contra, liquor vulnerarius in illas infundi non potuiſſet.

Cæterùm primo curationis tempore Dn. Patiens omnibus planè

planè viribus destitutus, febri symptomatica & lipothymiis frequentibus, aliisque symptomatibus (quæ ipsa varia, durante curâ, per vices continuabant) corripiebatur, quæ tamen adhibitis debitis remediis iterum cedebant. Continuatâ autem per 16. septimanas curâ, remediisque bezoardicis, absorbentibus, confortantibus, balsamicis, travmaticis aliisque pro symptomatum exigentiâ mutatis, seduloque & internè & externè applicatis, membrana illa interior tandem separata ac instar omenti educta fuit; quo facto brevi temporis spatio, sinubus fistulosis, totaque cavernâ, novâ carne adimpletis, æger DEI O. M. gratiâ plenissimè convaluit, & jam uxoratus, liberorumque pater optimâ perfruitur valetudine.

OBSERVATIO CV.

DN. D. GOTTLIEB BUDÆI.

De

Cachexia à corruptione viscerum, cum abscessu & gangrenâ Mesenterii.

FOemina nobilissima de H. annorum circiter 38. temperamenti sanguineo-phlegmatici, corporis maximè obesi & cacochymici, diætæ minùs studens, indeque variis haud rarò malis, utplurimùm verò passionibus hysterico-nephritico-spasmodicis, cum vomitibus (qui in singulis per vitam morbis denatam maximè affecerunt,) & diarrhœis biliosis, obnoxia, ante dimidium annum corripitur febri quotidianâ intermittente, cum nauseâ, & consuetis vomitibus, aliisque symptomatibus. Adhibitâ hinc Medici cujusdam famigeratissimi operâ, liberatur brevi ab eâdem, sed paulò post conqueri cœpit de ingenti prostratione virium, respiratione difficili, cardialgiâ, anxietatibus præcordiorum, dolore hypochondrii dextri aliisque. Appetitus quidem debitus adest, sed ob vomitiones continuas nullum planè alimentum, nisi aquam simplicem assumere & ferre potest. Quare in nostram Civitatem delata, meam, ut & Nobilissimi atque

Experientissimi D. D. Friederici Lieffmanni, Medici nostratis celeberrimi, opem efflagitat. Nos ponderatis probè omnibus circumstantiis, Ægræ hujus statum maximè difficilem, nec minus periculosum, & nil nisi obstructionem viscerum, cumprimis hepatis scirrhum esse duximus. Et quamvis huic malo radicato varia ex arte & interna & externa remedia ordinaremus, omnia tamen planè incassum erant, cùm & ipsa Ægra medicamenta assumere, ejusque ventriculus eadem aliaque assumta retinere abnueret; ideoque per plures hebdomadas sine ullo cibo ac potu, sed aquâ tantùm simplici, quam stomachus unicè ferebat, vitam miseram conservavit. Demum in latere dextro circa regionem renis dextri, tumor aliquis inflammatorius, variisque gangrænæ internæ indiciis comitatus, exoriebatur, qui paulò post obortâ vesicâ coloris obfusci & nigricantis, datâque aperturâ, materiam copiosam corruptam, maximeque fœtentem, coloris hepatici, fundebat.

Interim Ægra ingentes patiebatur anxietates, & omnibus destituta viribus, sæpius lipothymiis corripiebatur, adeoque propter corruptionem viscerum gangrænæ atque mortis metus, ex nostro prognostico, enascebatur.

Posteà verò quàm maculæ quædam scorbuticæ & pustulæ in totius corporis ambitu erumperent, atque ulcus illud ab extra benè mundificatum, consolidescere videretur, spes aliqua reconvalescentiæ affulgebat; verùm brevi nullâ amplius materiâ in ulcere apparente Ægra præter summam virium prostrationem & lipothymias frequentes, sensu auditûs destituebatur, vertigine & caligine oculorum, partiumque corporis tremore, viginti circiter ante mortem horis, corripiebatur, durantibus adhuc vomitibus continuis & excretionibus ἄνω καὶ κάτω materiæ nigrescentis & quasi piceæ, instar sanguinis congrumati & corrupti; quibus brevi ex gangrænâ internâ certissimâ mors subsequebatur.

Aperto post mortem cadavere, notavimus sequentia, nimirum

1. Pan-

1. Panniculum adiposum maximè pinguem & crassitie trium digitorum latitudinem æquantem, panniculum carnosum verò maximè tenuem.

2. Omentum totum pingue, & nil nisi portionem aliquam pinguedinis conglobatam & compactam, decem ad minimum libras ponderantem.

3. Receptaculum chyli & meditullium mesenterii ad orbiculi minoris latitudinem erosum & exesum, illamque regionem lividam & planè gangræenosam. In hac quippe regione abdominis, die ante mortem, defuncta motum quendam convulsivum sentiebat, eumque, externè stragulis licet tecta, oculis maximè conspiciendum.

4. Ventriculi & intestinorum substantiam tenuissimam, flaccidam, albescentem & ferè diaphanam, nullis venis conspicuis, intestina inflata, in cavitate autem & fundo ventriculi materiam talem nigram, qualis ante mortem per vomitum excernebatur, ad duas fermè mensuras.

5. Vas breve è liene versus ventriculi fundum tendens, ejusmodi materiâ nigrâ seu fuscâ infarctum, crassitie digitum ferè æquans.

6. Hepar excessivè magnum, pallidum, totum exangue & quasi coctum, corruptum, ad tactum facilè penetrabile & ferè solubile, prætereaque dextrum lobum in parte imâ vel concavâ costisque proximâ à materiâ acri putridâ corrosum & putrefactum; materia autem illa corrupta putrida, maximeque fœtida, (cujus fœtor ab adstantibus vix ferri poterat) regionem illam & cavitatem, ubi ren dexter situm suum habet, occupaverat, renemque ab extra quodammodo eroserat. Et quoniam hæc nimis tardè exitum per ulcus suprà descriptum invenerat, nullum est dubium, totum corpus, massamque sanguineam simul ab eâ infectam corruptamque fuisse.

7. Vesiculam felleam instar ovi anserini magnam & crassam, duplici verò longam, turgentem materiâ illâ viscidâ nigri-

cante & quasi piceâ & fibrosâ, qualis per vomitum subinde & sub finem maximè morbi, intermixta & excreta fuit.

8. Pancreas in duas partes divisum instar duorum ovorum gallinaceorum, planè scirrhosum, & quasi cartilagineum, ejusque portiunculam aliquam exesam.

9. Renum substantiam pinguedine obductam & intertextam, in eorumque cavitate seu pelvi vasisque ductibus urinariis seu ureteribus materiam quandam flavescentem tartaream & quasi putrilaginosam, quæ per vasa sanguifera eò allata, (nam interne renes non corrupti erant,) Ægra quoque per totam vitam fluore albo laboraverat, & in urina Ægrotæ semper ejusmodi ichorosa & purulenta materia, dimidiam fermè urinæ portionem exæquans, conspicua fuit.

10. Uterum admodum parvum, instar ovi columbini, & quasi corrugatum.

11. Denique, quod maximè notandum, paucum vel nullum ferè sanguinem in partibus illis parenchymaticis conspiciendum. Et quamvis partes variæ venis majoribus & minoribus præditæ dissectæ separatæque fuerint, attamen nil nisi parum & saltim ad dimidiam mensuram cruoris affluxerit.

Cæterum pectus non fuit apertum, dum causarum morbi indicia abdomen sufficienter monstrabat.

OBSERVATIO CVI.

DN. D. GOTTLIEB BUDÆI.

De

Asthmate à scirrhosâ intumescentiâ Pulmonum, & glandulâ Thymi.

Die 24. Augusti M DCC VII. Virum quendam, annorum circiter 32. habitu corporis gracilioris, à primâ infantiâ respiratione difficili laborantem, & demum illa asthmatis specie, quam Orthopnœam vocant, denatum, præsentibus Nobilissimis atque Excellentissimis DDnn. D. Johanne Georgio Thummio, &

D. Frie-

D. Friederico Lieffmanno, Compatribus, Fautoribus & Amicis nostris honoratissimis, aperuimus, & sequentia, curioso spectaculo, observavimus, nimirum

1. Totum pulmonum parenchyma maximè intumescens, costisque & membranæ pleuræ, ipsique quoad partem anterio. rem, diaphragmati adnatum, adeò ut non nisi vi & sectione avelli & separari potuerit.

2. Ipsam verò illorum substantiam lividam & nigricantem ac ferè corruptam, cum innumeris hinc inde maculis & tuberculis, materiâ viscosâ albicante & quasi purulentâ plenis, & quoad ejus superiorem partem circa bronchia cartilagineam.

3. Et cumprimis Glandulam, Thymum dictam, magnam in molem excretam, maximeque induratam, scirrhosam & quasi cartilagineam, instar strumæ vel potius steatomatis, vasis illis magnis adscendentibus, nimirùm venæ cavæ arteriæque magnæ, eorumque ramis ad brachia & scapulas euntibus, ipsique jugulo firmissimè adnatam, adeoque totam illam cavitatem thoracis superiorem occupantem, ut pro motu ac ventilatione pulmonum nullum amplius spatium supperetet.

4. Cor extraordinariæ magnitudinis, sed flaccidum, ejusque ventriculos sanguine nigro viscido feculento repletum, inque illius ventriculo dextro filamenta quædam fibrosa & carnea, figuram vermis corrupti unius ferè ulnæ repræsentantia; in pericardio verò magnam copiam, duas ad minimum libras seri, limpidi coloris, & flavescentis, instar ichoris, mox in patina stannea in gelatinam concrescentis.

5. Ventriculum tenuem & flaccidum, minus rugosum, inanem ferè & pauco liquore putrilaginoso imbutum, interiorem ejus tunicam, quasi corruptam, lividam & ad tactum digitorum putridam.

6. Hepatis parenchyma magnæ molis & coloris pallidi seu plumbei induratum, cum variis hinc inde maculis lividis & tuberculis ad magnitudinem nucis avellanæ, aut quid his majus æquat; cumprimis in ejus parte convexa inferiori tubercula ali-

quot scirrhosa, rotunda & quædam satis magna, in forma annuli ex gutture anserino incurvati, prætereaque in vesiculâ felleâ humorem crassum, viscidum, nigrum ac quasi piceum.

7. Lienem magnum ac lividi coloris.

8. Mesenterium multis glandulis induratis & tuberculis, materiâ tartareâ & calculosâ refertum.

9. Omentum fermè totum corruptum & putridum, dimidiâque ferè parte jam consumtum.

OBSERVATIO CVII.
Dn. D. GOTTLIEB BUDÆI.
De
Dentibus molaribus ἐπιγινομένοις.

FEmina quædam nobilissima de M. annorum L. firmæque valetudinis, per diuturnum temporis spatium dolores circa dentes molares in superiori maxillâ dextri lateris, illis quidem omnibus integris & salvis, satisque validis, patitur, variaque remedia ad odontalgiam aliàs probata, aliaque pro temperandâ & demulcendâ acrimoniâ lymphæ usurpat, sed absque ullo levamine: urgentibus hinc doloribus maximè ac tantùm non instantibus motibus convulsivis, præter spem quinque novos dentes paulò minores ἐπιγινομένας seu juxta vel potiùs supra dictos molares ex illâ ipsâ gingivâ erumpentes persentiscit, cessantibus dehinc doloribus. Verùm dentes illi ἐπιγινόμενοι admodum molesti, asperitate suâ internam malæ cuticulam roderunt, tandemque post annum circiter successivè absque aliqua notabili sensatione iterum exciderunt.

OBSERVATIO CVIII.
Dn. D. GOTTLIEB BUDÆI.
De
Ruptura Lienis à concussione.

DIe 30. Januar. hujus anni vocatus ad inspectionem & sectionem fœminæ cujusdam rusticæ, tribulo, (Germanis Dresch-Flegel

Flegel dicto) circa regionem hypochondrii sinistri à Rustico quodam percussæ & summis perpessis doloribus & lipothymiis, post triginta circiter horas demortuæ. Cadavere per Chirurgum aperto, nullis ferè ab extra in loco percusso vestigiis alicujus læsionis visis, invenimus totam abdominis cavitatem sanguine extravasato, partim fluido, partim congrumato, ad quinque vel sex mensuras, scatentem ; Lienem verò tam in extimâ sive convexâ, quàm in simâ sive concavâ parte, unà cum vasis sanguiferis arteriosis & venosis, majoribus & minoribus, aliquoties disruptum ac ferè conquassatum, costamque undecimam spuriam introrsum diffractam. E contrario in corde, pulmonibus & hepate, vasisque majoribus nullum planè sanguinem offendimus, quippe qui omnis per disrupta vasa splenica, interiora versus derivatus fuerat.

SCHOLIUM.

HUic disrupti lienis historiæ alia subjungi meretur, quæ Anno 1705. in vicina quadam Urbe accidit ; ubi cum d. 28. Julii Maritus Uxoris sinistrum hypochondrium baculo fagino ter quaterve, absque magna tamen violentia, percussisset, ipsa quidem nullo de dolore aliove symptomate conquesta est, sed insuper d. 30. ejusd. mensis in publicum prodiit, vesperi autem ebria domum reversa, de doloribus ventris querelas movere cœpit, atque d. seq. noctu inter 10. & 11. horam mortua est. Cujus cadaver d. 1. Aug. à Medico loci lustratum, in brachiis & humeris magnas livescentes maculas ac vesicas, in pectore quoque, mamma sinistra, epigastrio, & utroque hypochondrio ecchymomata, abdominis autem aliquam inflationem, internè verò omnia viscera sana exhibuit, Liene excepto, qui non tantum flaccidus & quasi putrilaginosus, nec non sanguine infarctus, cum venarum & arteriarum insigni dilaceratione, ab ipso inventus referebatur, sed etiam tàm in sima, quàm gibba parte fissuram, cui crassior pollex imponi poterat, ostendebat, magna simul sanguinis grumosi quantitate abdominis cavitatem sinistram occupante. Ubi

quam.

quamvis Medicus ille vulneris hujus lethalitatem verberibus mariti adscripserit, mihi tamen, & Exc. D. D. Johanni Mayr, Physico tum August. nunc Archiatro Electorali Palatino, desuper judicium ferre d. 1. Febr. An. 1707. rogatis, dubitare placuit, dum aperturas illas, ob profunditatem & amplitudinem, magnamque sanguinis effusionem, cui nullâ arte auxilium ferri potuerit, pro absolute letalibus quidem habendas esse, à verberibus tamen mariti easdem fuisse inductas, non verisimile esse, statuimus; cum ex Actis inquisitoriis colligere daretur: 1. Defunctam quarto ante obitum die, ex ebrietate ipsi consueta, in labrum duabus ansis instructum magno impetu cecidisse, 2. sexto antequam moreretur die, itidem super trabem fuisse prolapsam, 3. verbera mariti moderata exstitisse, 4. tertio ab ictibus mariti die in publicum absque ulla querela prodiisse, 5. sanguinem ex inordinato vivendi genere à statu naturali deflectere, lienisque substantiæ sensim noxam inferre potuisse, 6. circa tertiæ demum diei vesperam de doloribus vel torminibus querelas ab ipsa fuisse auditas, 7. suggillationes non tantum in hypochondrio sinistro, sed præcipue aliis etiam in partibus, quas baculus non attigerat, comparuisse. Licet autem non solum verbera, sed repetiti etiam lapsus lieni, præsertim si is ipse non adeò benè prius fuerit constitutus, vim aliquam inferre valuerint, insignes tamen istas fissuras tum nondum contigisse, credibile est, cum in quartum usque diem, ob enormem hæmorrhagiam, tam diu supervivere mulierem vix potuisse, tum ratio, tum exempla (vid. D. Joh. Bohnium in tr. de renunc. vuln. letal. pag. 380. & Ephemer. Nat. Cur. dec. 3. ann. 2. obs. 23. & 70.) suadeant. Ut ita fortasse ebriosa tertio die novo lapsu vel contusione marcidam jam lienis substantiam crepaturæ exposuerit, sicque vitalis humoris effusionem concitaverit.

L. Schröck.

(*Budissà Lusat. Sup. Anno 1708. d. 28. Februar. Augustam Vind. missa.*)

OBSER-



Append:

OBSERVATIO CIX.
DN. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

Affectus cujusdam convulsivi rarioris delineatio.

COnsuluit me his diebus Consiliarius quidam Electoralis Palatinus Düsseldorpiensis in affectu suo chronico, cujus non quotidie occurrentis delineationem, ætiologiam ac curationem à me propositam cum Illustri Societate communicandam duxi.

Extremorum ante aliquot annos in quadragenario incipiens lassitudo cum musculorum imbecillitate, artuum stupore, noctu imprimis gravante, quibus hac hyeme accessit vertigo, circa novilunium imprimis ac plenilunium affligens cum anxietate cordis ac musculorum imitatione, ita ut spiritus ac massa sanguinea in uno puncto quasi concentrata ægro interdum videantur, symptomatibus verò his cessantibus sopor quispiam remaneat, hæc inquam omnia nervosi generis affectum indicant, ac morbi cujusdam convulsivi, quem Deus avertat, gravioris præludia existunt. Spiritus proin animales hic nimis tenues existere atque simul elasticos, & præterea in continuitate sua deficere, idque vitio sanguinis nimis alcalici ac spissi, lymphæque simul viscosæ & acris, extra dubium est; ut adeò, qui ægritudinem ejusmodi abigere intendat, salia hæc sanguinem ita condensantia diluere ac corrigere, huncque ut spiritus animales magis sibi continuos, nec ita irritativos suppeditet, restituere debeat, quo in negotio sequenti methodo procedendum arbitror.

1. Ad primas vias elutriandas cum pulveris Cornachini scrupulo uno incipiet, quem mane in vehiculo calido sumat.

2. Pro sanguinis spirituumque animalium motu ordinato in artuum extremis restaurando singulo mane ad duas vel tres uncias sequentis decocti in lecto sumat. ℞. Lign. sassafr. ʒiij. radic. Chinæ ʒij. rad. pœon. visci quercin. Bacc. Juniper. an. ʒj. passul. maj. ʒj. stent in infusione cum vini tenuioris & aquæ fontanæ. an. ℔iij. in loco calido & vase clauso, per horas 24, dein coquantur, sub

finem coctionis adde Flor. Lavendul. Salviæ. an. p.ij. Cinnam. acut. ʒiij. ebulliant iterum & colatura dulcoretur ſaccharo ℈ij. Apozema. Cum hoc vero tantum calefiat, ita ut vis medicamenti primario in artubus ſe exſerat.

3. Sub hujus decocti uſu ſemper horâ ante prandium utatur Tinctura ſequente. ℞. Elixir. vit. Matthiol. ʒß. Mixtur. ſimpl. ſin. camph. ʒiij Miſc.

4. Singulo meridie horâ quartâ veſpertinâ pulvere: ℞. Radic. valerianæ, Fol. ſaponariæ an. ʒß. Nuc. moſch. ʒj. M. d. ſ. Pulvis ad 3. cuſpid. in Aq. pœonia.

5. Circa alternam ternamve noctem cubitum iturus, pulvere: ℞. Laudani op. gr. I. Succini ppt. ℈ß. M.

6. Externe verticem nucham ſpinam dorſi artusque in flexuris frequenter inungat cum ſequenti: ℞. Spir. caſtorei, lumbricor. ana ʒß. Ol. ſtillat. lavendul. ſalviæ ſuccini. ana ʒij. Miſc. Venæſectionem modo non haut ita pridem inſtituta fuerit, majali hoc tempore neceſſariam arbitror, & quidem in pede, ita ut à principio generis nervoſi ſanguinis motus inordinatus ac inæqualis magis coërceatur.

Atque huic methodo quatuor ſeptimanis inſiſtendum arbitror, ita ut medicamenta, quæ interim deficiant, ſubin reiteranda ſint. Si non tum remiſerit ægritudo, curam ſalivatoriam inſtituat, quæ in affectibus convulſivis magno ſemper præſidio eſt, & à præſenti Medico moderabitur.

Poſt hæc meris confortantibus inſiſtendum, quæ inter adhibendum infuſum radicis Niſi, mane ad modum Theæ ſorbillatum, ac cum hoc ſubin interpolatum. Pomeridie verò infuſum Lapidis Malacenſis, ad cochlearia ſingulis horis hauſtum. Salia volatilia non admittit ſanguinis per venæſectionem emiſſi floridior, ac nimis alcalica conſtitutio. Ex qua ratione quoque nec thermas eidem ſuaſerim, acidulis verò vitriolatis ac martiatis, quales Spadanæ ſunt, ſuo tempore utendum judico, atque eo longius continuandas, quo magis easdem ventriculus fert, ac ſanguinis ſpirituumque diatheſin iisdem emendare in proclivi eſt.

De

De diæta non est, ut quippiam addam, cum præsens Medicus eandem optimè præscribet; circa animi affectus tamen in specie moneo, ut æger à subitanearum alterationum quadam, ut sic loquar, compressione sibi benè caveat, cum nihil magis quam ejusmodi quicquam spiritus animales afficiat.

Atque hac methodo quoque post æquinoctium autumnale procedendum arbitror, nisi quid novi aliam tunc rationem postulaverit. Interea ut Dn. Æger commodiori utatur valetudine ex animo voveo. Hildesii d. 4. April. Anni 1708.

OBSERVATIO CX.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

De

Usu Radicis Nisi.

REverendissimus quidam ac Illustrissimus Dominus jam ab Æquinoctio autumnali superioris anni sanguinis atri splendentisque per inferiora dejectione, phthisi ac quartana intermittente vaga in Hecticam degenerante decumbens ac ita emaciatus, ut jam ante mensem pro deplorato tum ab adstantibus tum ab alio celebri hujus loci Medico, quem me absente etiam in consilium adhibuerat, haberetur, ab eo tempore à me infuso radicis Nisi, Lapidis porcini Malacensis aliisque pretiosis, pro circumstantiarum ratione accommodatis, conservabatur, ut Illustrissimi Agnati etiam quandam reconvalescentiæ spem conciperent. Circa infusum quidem Radicis Nisi, quamvis primo intuitu mihi scrupulos moveret Observatio Illustr. *Dn. Præsidis nostri Misc Germ. Dec. 2. Ann. 4. Obs. 2. Schol. & Menzelii Misc. Dec. 2 Ann. 5. Obs. 39.* in constitutionibus scilicet calidis & siccioribus, qualis etiam Domini hujus erat, febre insuper hectica comitata, radicem hanc minus convenire, negligere tamen hoc casu nolui, partim quod Illustrissimus Æger nullo amplius cibo uteretur, partim quod emulsionibus amygdalatis radicis usus interpolari posset.

posset. Sub initium verò Martii singultu cum calore majori ac continuo, ex pulsu celeriori & faciei rubore se imprimis manifestante corripi cœpit, quem delirium comitabatur, ut nil nisi itinera aliaque non cohærentia rauco sermone & inter continuos die noctuque singultus referret, & sputa quoque purulenta retineret, tumque à me etiam pro conclamato res haberetur, donec demum post sex circiter dies circa meridiem singultus remitteret, pulsus æqualior redderetur, melius dormiret, cum adstantibus rectius loqueretur, & phantasiam suam quodammodo agnosceret.

Singultum illum prima fronte ab usu radicis istius inductum suspicabar, utpote quam citati Autores in temperamentis calidioribus sanguinem nimia sua acredine incendere notassent, quæque acredo proin ventriculum hic quoque affeciisset, quapropter etiam usum istius radicis sepositi. Innocuam verò rursus apud me radicem reddebat vomitus absentia, qui omninò, siquidem singultus hic à substantia ventriculi dicto modo affecta, ortum traxisset, adesse debuisset, ut & delirii præsentia, quod etiam ab usu radicis nulla ratione deduci poterat. Restabat proin diaphragma, quod à præcordiis corruptis jam velut inflammatoriè affici, ac in convulsivum quendam motum, juxta mentem *Francisci Sylvii prax. p.* 216. *Thomæ Willisii lib. de morb. convuls Op. p.* 91. & recentissime *Andreæ Petermanni manuduct. ad prax. p.* 153. adigi videbatur, haut secus ac Hepatis Ileique inflammationes singultum per consensum inducunt. Conjecturæ huic favebat delirium, quod inflammatorios diaphragmatis affectus comitari solet.

Quæcunque demum causa singultus subfuerit, Illustrissimus Æger absque eodem per quatuor fere dies decumbebat, cum pulsu, ut dictum, meliore, delirioque remittente, donec demum die 16. Martii catarrho suffocativo, cui propter iracundiam in extrema etiam hac macie interdum obnoxius erat, correptus apoplecticum in modum exstingueretur, ac morte sua mutationem in morbis chronicis circa æquinoctia evenientem, jamque

alias

alias in *Miſcellaneis Societatis noſtræ* exemplis à me confirmatam, quoque certiorem reddidit.

Inter medicamenta autem ſingultui oppoſita, egregie eundem compeſcebant Infuſum Lapidis Porcini malacenſis, nec non Lapis Bezoarticus.

(*Hildeſio Noribergam d. 16. Mart. A. 1708. miſſa.*)

OBSERVATIO CXI.

Dn. D. JOH. MELCHIORIS VERDRIES.

De

Dolore hypochondriaco & purgatione difficiliori.

Duo cumprimis reperiri, quæ purgantium vim retundant, viſcoſa ſc. atque acida, nemo facile, qui medicamentorum virtutes per obſervationes & experimenta explorare didicit, ignorat, cumque talia in corpore quoque humano ſubinde reperiantur, non ſane mirum, ſi aſſumta purgantia ſegnius aliquando partes ſuas exequantur, immò omni virtute exuantur, infractis à viſcido & acido p. n. particularum acuminibus. Veriſſime *Pechlinus* ὁ χαριέσατος, *de Purgant. Facult. Cap. IV. p. m. 34.* „Cum ventris, inquit, alvei ubique humidi ſint, mucoſisque illa„batur fontibus hauſtum medicamen, quis dubitet, vitium fa„ciente pituita, ſuccoque exæſtuante in ventriculum & inteſtina „acido, etiam ſic corporis noſtri mucilagine, ceu Pſyllii viſco, „involutum iri purgantia, acidique contrario acumine ipſam ſic „perituram acrimoniam adeò purgationi neceſſariam. Inprimis verò hoc obſervamus in hypochondriacis, quorum primæ viæ, uti Medici loqui amant, ejusmodi acido-viſcoſis inquinamentis refertæ ſunt, quosque hinc fortiſſima ferre purgantia non ſine ſtupore videmus, exemplo eſſe poterit ſequens, oblatus haud ita pridem mihi caſus:

Fæminæ quinquaginta circiter annorum, temperamenti cholerico-melancholici, habitus gracilioris ſcorbutici, tormina atque dolores ſub ſiniſtro hypochondrio, jam ab aliquot annis

molesti esse solebant, quos illa, à Medicinæ auxiliis abhorrens perferebat. Cum verò deinde mire augerentur atque ingravescerent, ita quidem, ut, qui antea subinde remitterent atque fere insensibiles essent, jam crudelissimis punctionibus continuatis partem tantum non perterebrare atque dilacerare viderentur, illa noctesque diesque manibus dolenti parti impositis, antrorsum inclinata sedens continuis gemitibus atque suspiriis aures astantium implebat dolorumque crudelissimorum tandem pertæsa opem meam implorabat. Ego primum è fixo continuo atque perterebrante dolore abscessum metuebam, verum cum postea varias, quæ circumstabant, conditiones curatius paulo expenderem, haud difficulter colligebam, esse hunc affectum aliud nihil quam dolorem hypochondriacum satis exquisitum, à muco viscidiori acido sive blenna tenaciori pontica, uti loquuntur, flatulenta, coli intestini cellulis in ea parte, ubi illud angustatum & incurvatum sub siniſtro hypochondrio incedit, adhærente, oriundum. Quamobrem ut symptomati maximè urgenti occurrerem, statim Mixturam ex antispasmodicis, carminativis & anodynis exhibebam, locumque dolentem linimento emolliente anodyno inungebam, frustraneo tamen conatu, dolor nil quicquam remittebat, licet alvus semper esset aperta; tandem cum sacculum ex emollient. carmin. &c. in lacte coctum imponerem, dolor mirum quantum remittebat, atque ægra rursus ad quietem se componere & somnum capere poterat. Ut igitur radicem mali penitus exscinderem fontemque obturarem, digestivis mucilaginem tenaciorem incidere atque purgantibus superinjectis educere conabar, sed irrito successu. Sennata, helleborata, rhabarbarina, gummi ammon. in aceto solutum, extr. troch. alband. aliaque fortissima purgantia nil quicquam movebant, muci visciditas impediebat, aciditas obtundebat eorundem efficaciam. Dolor interea sacculo emolliente repressus post hebdomadum aliquot inducias recurrebat. Clysteres quoque incassum adhibebantur. Pulverem tandem ex incidentibus absorbentibus Martialibus & cinnabarinis offerebam, de quo singulis diebus bis ʒß. sume-

ſumebat, hinc vinum paſſulatum laxativum propinabam, quo ipſo, præparata jam aliquo modo, materia, id efficiebam, quod ántea fortiſſimis purgantibus fruſtra tentaveram, ægra ſingulis diebus ter vel quater materiam excernebat picis inſtar viſcidam, nigricantem à martialibus ſc. cum abſorb. aſſumtis, dolores verò propter materiæ hujus inteſtinis firmiter adhæreſcentis commotionem & hinc maximam inteſtinorum irritationem ita augebantur, ut ægra debilitata eosdem vix amplius tolerare poſſet, accedente ſimul calore quodam p. n. Igitur ſatis hac vice purgatum, ratus, mixturam exhibebam confortantem antispasmodico anodynam, de qua vix cochlearia aliquot acceperat, cum dolores remitterent, omnia pacata fierent, & ægra paulo poſt reſtitueretur, quamvis ſubinde adhuc quosdam ſed leviſſimos experiatur inſultus, quos tamen continuatum medicaminum uſum expugnaturum nullum dubium eſt.

(*Gieſsâ Haſſ. Auguſtam Vind. d. 3. Apr. Anno 1708. miſſa.*)

OBSERVATIO CXII.

Dn. D. GüNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

Τοῦ θείου *in Morbis exemplum.*

VIrgo ætate, indole, virtutibus florentiſſima, vix annum nonum & decimum ingreſſa, nullo in diæta prævio vel errore, vel peccato, calore præter naturæ ordinem majore, vel potius ebullitione ſanguinis ſubinde corripi cœpit, nulla tamen certa vel die vel hora, primum rarius, hyeme adhuc durante, poſt menſes verò aliquot frequentius: nulla tamen alia moleſtia, quam quod leviter caput doleret: Pulſus erat frequentior & citatior, non tamen ultra modum, nec magnus ſcil. nec vehemens, frigoris aut rigoris ne minimus quidem præcedebat ſenſus, nec aliud pravitatis ſignum conſpiciebatur. Incommodi etiam nihil admodum inde ſentiebat, etiam præſente malo, unde functionibus

bus consuetis supersedere esset necessitas, aut in lectum se conferre, aut quiescere: nec cibi potusve appetitus minuebatur, quin increscebat potius, ut vel medio in prandio prehensa, nihil cessaret vesci. Urinæ nulla apparebat admodum mutatio, nec corporis imminutum decus, nec floridus faciei color corrumpebatur, sed cætera omnia rectè valebat. Quid multis? sana ac vegeta omnibus judicabatur. Et jam annus propemodum impletus erat, cum sensim frequentius repeteret paroxysmus, & fere ad hecticam spectare videretur. Itaque molesta paulum cœpit esse affectio, ut de pedum in gressu debilitate, ac gravitate quadam conquereretur. Menses interim nunquam substiterant, ne quis ex obstructione eorum hoc, ut solet, contigisse existimet. Et cum fermè quotidie repeteret malum per horas duas, tres, quatuor, medicamentis idoneis itum est obviam: quibus ita obsecundabat morbus, ut penitus fractus & victus existimaretur; illa etiam ad numeros saltare (quo exercitio apprime se solebat oblectare,) auderet, nec male inde habere diceret. Postero verò die circa vesperam, cum pulcherrimè stare videretur, præter omnium expectationem tam gravi lipothymia subitò correpta est, ut ex manibus viri atque mulieris, qui in lectum eam deportare studebant, concideret, pondere corporis in tantum ducto, ut attolli ac sustineri nullo modo posset. Tandem, cum ad se rediret, se maximam cordis anxietatem percepisse, sensisse tamen, se attolli, horrendo inde terrore & perturbatione animi affectam, narraret. Inde redire & colligere se penitus diu non poterat.

Ea nocte dormivit parum, calebat enim intus, etsi pulsu non admodum commoto. Erat is dies Novembris 21.

Vigesimo secundo adeò debilis erat, ut surgens, non diu post lectum repetere cogeretur, ita tanquam de cœlo fulmine tacta, omnes amiserat vires, roburque naturæ, alioqui insigne, fractum erat. Pulsus interim fortis, sed non admodum frequens: cæterum nec calor nimius, sed naturalis, nec anxietas aderant.

D. 23. in eadem debilitate perstitit, vesperi manifesta febris, cum calore nullo tamen horrore præcedente. Post undecimam dormi-

dormivit, mane pulsus paulo frequentior, sed nullus febrilis calor.

D. 24. eadem morbi ratio; febris hora 7. accessit vespertina: remisit 10. cum levis erumperet sudor, quo levata est, erumpentibus pustulis, sic satis magna copia. Dormivit quantum erat satis.

D. 25. mane pulchrè videbatur valere, utens antifebrili essentia volatili. Circa vesperam pulsus debilior, noctu tamen optimè dormivit.

D. 26. nullum accessionis febrilis indicium, sed pulsus debilis.

D. 27. Optime videbatur habere, & spem faciebat noctis tæ, sed aliter evenit. Cum enim circa 10. se composuisset ad somnum, quod subinde etiam per aliquot dies evenerat, tanta subito orta est virium imbecillitas atque dejectio, ut pene sensus deficerent, & nubecula ante oculos videretur versari, respiratio frequens, celeris, & anxia, pallor & erumpens frigidus sudor: id per horam durabat, frustra adhibitis cordialibus internis, aquis apoplecticis, spiritu volatili oleoso, balsamo apoplectico, donec tandem aceto rosaceo, rutaceo, cum aqua Anhaltina, Damascena, carbunculi & aliis mixto reficeretur. Nox reliqua terroribus, anxietatibus, celeri respiratione, & quasi lipothymiis imperfectis, ubi nunquam sensus aut loquela amittebantur, plena: jamque maxima spirituum imbecillitas & oppressio omnem Medicorum curam ad se trahebat. Itaque pulveres cordiales, cephalici, aquæ cordiales ac spiritus: cinamomi, fl. tiliæ, Lil. convallium, C. C. citrata, Melissæ, &c. externè verò acetum rosaceum, caryophyllatum, rutaceum, Eff. Lavendulæ, anthos, aqua Naphæ ad odoratum præscribebantur, quæ insigniter juvabant, sed non tollebatur malum.

D. 28. vesperi, cum satis benè valere videretur, clistere alvus eluta, summo cum levamine, ut ea nocte optime dormiret: sed altero mane de dolore in pectore conqueri cœpit, & tussire:

addita hinc aquæ cordiali pectoralis cærulea, egregia, materperlarum, corall. alb. ſir. papav.

D. 29. hæc: quæ ſequebatur inſomnis nox, propter tuſſim, ſummumque in pectore dolorem, multa ſpumea tuſſi rejiciebat. Flatus, qui ante cliſterem ſurſum ructuum forma aſcenderant, per guttur inferius prodibant. Theam herbam, cui Badian addita erat, bibebat quotidiè, ſummo cum levamine: eam tunc diſſuaſu nonnullorum omittebat, redibat tamen paroxyſmus cum mane, tum veſperi, cum ſurrexiſſet, alvum deponendi gratia, egrediebatur, isque admodum vehemens: uti quidem ſolebat, quoties è lecto: quod ſpirituum ſummam debilitatem prodebat. Nox ſequebatur ferè inſomnis, ut vix bihorium dormiret.

Quum imbecillitates illam affligebant, pallebat facies, oculi ſplendorem amittebant, reſpiratio erat brevis & ſumme anxia, ſed motus, ſenſus, loquela & intellectus integra erant, nulla aderat convulſio, nullum hyſtericæ paſſionis indicium, ſed mera ſpirituum oppreſſio & labor. Poſt paroxyſmum pulſus magis magisque debilis deprehendebatur, & fractæ naturæ vires.

D. 30. verſus meridiem, cum lectus ſterneretur, ſurgebat facilè, ſeque regebat, ſed in eum regreſſa, corripiebatur. Arceſſitus animæ Medicus, poſtquam comediſſet ſatis benè, quod quotidie faciebat, appetitu integro, ſacro viatico eam pomeridiana ſecunda inſtruebat, quod ſe erigens ipſa, eo in lecto ſedens, capiebat. Nunquam magis valere viſa, & bene habere, loquebatur nobiscum, jocabatur, & jam omnis dolor pectoris & capitis, omnisque debilitas ipſi videbatur abeſſe, ut illa ſublata eſſe, lætaque nunciaret, & ſpem reconvaleſcentiæ ipſa conciperet, cum hora quintâ veſpertina repente in pede ſiniſtro dolor oriretur, & mox paroxysmus rediret, ea reſpirationis difficultate, ut diſerte diceret, diutius ſe id ſuſtinere non poſſe. Interim manus & brachia vitalis calor reliquerat, ut linteis & culcitris eum reſtituere ſtuderent adſtantes, quæ cum & pedibus admovere vellent, illa calere, & non indigere iis dicebat, paulo verò momento poſt, reſpiratione jam magis magisque difficili, & facie Hippocratica, oculorumque

que caligine apparente, videns sentiensque omnia, cum paroxysmus non ultra horæ quadrantem duraſſet, beatiſſima morte animam DEO reddidit. Urina semper sedimentum ostendebat bonum: Hac die citrina & nonnihil pallidior erat: nullum lethale signum præcesserat: corpus nullo modo consumtum, robusta erat & valens, paulo ante mortem extussiens, sputum longe projiciebat, seque regebat in ipso paroxysmo. Nemo eam morituram crédebat, præter parentes, qui cum sorore ante annum, eam morituram, somno divino, eodem, una cum ancilla, quæ ipsi serviebat, eadem nocte, eademque noctis hora commonefacti, id diu ante prædixerant.

Hunc morbum incognitum, & divinitus immissum, nec ex naturæ legibus fuisse, plane patere arbitror.

(*Kilonio Augustam Vind. d. 14. Maji Anno 1708. allata.*)

OBSERVATIO CXIII.

DN. D. REINHOLDI WAGNERI.

De

Hædo Islandico Hermaphrodito.

HErmaphroditos dari, utut rarius appareant, in omni animalium genere negandum non est: Illorum enim existentiam tam in vegetabili quàm animali Regno probant tot Veterum & Recentiorum observationes. Verum enim vero dari Hermaphroditos perfectos, utriusque sexus munus absolventes, olim Androgynos vocatos, quales tradidit *Plinius Lib. 7. cap. 2. & 3.* negante *Aristotele* 4. *G. A.* 4. vel ipsa negabit avtopsia anatomica. Quæ enim ex *Diodori Siculi Lib.* 32. *Photius in Bibliotheca de Androgynis* prolixè tradidit, legi quidem merentur, sed prolixiora sunt, quam ut hic afferri possint. Quæ quoque *Fortunius Affaitetus*, Theologus quidam Italus, de conceptu Hermaphroditico Androgyneo refert, res videtur esse difficilis, quæ & credi & probari satis queat: Fatente Excell. D. D. *Phil. Jac. Sachs in Schol. M. N. C. Dec. 1. An. 2, Observat. CCIII.*

Si propriam hic citare fas sit experientiam Anno 1707. d. 14. Jan. gratiâ Illustris Herois ac Dn. de Moth. ut & Pl. Reverendi Præpositi Dn. C. Wormii, cultro anatomico subjeci Hœdum ex Islandia curiositatis causa, huc transmissum Hermaphroditum.

Externa quidem specie in hoc monstro utrumque pudendum aliquo pacto extare visum fuit, ast re ipsa utrumque imperfectum, nulliusque usus ad generationis functionem deprehendi. Cornutus erat, & se masculum ostentabat: cum verò deficiente pene, nec testiculi propenderent, sed sub papillis insignibus uberum in hypogastrio latitarent, fœmellam esse dixisses, præprimis cum vaginæ prope orificium ani situs idem suaderet; supra sphincterem enim ani rima oblonga pudendum muliebre exactè æmulans, labiis septa perinæi locum occupabat, & ad urethram, denique ad vesicam tendebat, cui adjacebat corpus glandulosum instar clitoridis, ut ex additâ hic *Figurâ lit. a. b. c.* patet.

Ast remotis integumentis nil quicquam fœminini intus apparuit. Nam corpus glandulosum, lit. a. depictum, clitoridem referens indicium dabat penis monstrosi in orbem lineâ spirali convoluti, non perforati & in tantas angustias redacti. Testiculi lit. d. aderant masculi insolitæ magnitudinis ad sarcocelen accedentes, quorum vasa præparantia (lit. e.) stagnante sanguine erant turgida, epididymis quoque in utroque testiculo lit. f. erat sanguinolenta, & ex uno continuato ductu serpentino gressu varie inflexo ad vasa deferentia, quæ tota erant cartilaginea, abibat, ut ex figurâ lit. g. liquet.

Vasis deferentibus adhærebant vesiculæ seminales ob stagnationem seminis in unum receptaculum sive hydatidem efformatæ & notatæ lit. h.

Vesica lit. i. erat admodum exigua & urina vacua, quam cum secundum longitudinem ad extremitatem urethræ, quæ vavulâ erat obducta, discidi, notatu dignum occurrit, quod præter ureteres lit. k. arterias quoque ab ipsa aorta, ubi in ramos Iliacos divisa est, in fundum vesicæ variè dispersas, neque in hoc hædo annuo in ligamenta degenerantes invenerim, sed &

quod

Obs. CXXXV.

A Ossis abrupti portio.
B Dentium molarium postremus plus solito extra alveolum ossium prominens.



Obs. CXIII.

quod aliæ venæ hypogaſtricæ ad revehendum ſanguinem utrinque eſſent notabiles, quorum vaſorum arterioſorum & venaſorum ramum unicum lit. l. m. exhibet.

Hæc pauca anatome in hoc Hermaphrodito detexit, utut Hermaphroditus propriè Mercurii & Veneris filius, de quo ſic *Auſonius*:

Mercurio genitore ſatus, genetrice Cythera,
Nominis ut mixti ſic corporis Hermaphroditus,
Concretus ſexu, ſed non perfectus utroque.

1. Uſus Phyſicus: Androgynos, quos peſſimos homines *Plato* vocat, verè non dari, quicquid de iis fabuletur *Plinius*.

2. Medicus: (*a*) Hermaphroditos dari quandoque ex utroque impotentes, ſive maſculinum, ſive ſequiorem ſexum reſpicias. (*b*) Urethram prope ſcrotum apertam, in puero ex graviori lapſu quondam in Xenodochio Majori Regiomontano animadverti, qualis apertura propter urinæ illac continue affluentis acrimoniam callo undique obducta ſanari nequiit; quæ ab aliis quoque notata *in Ephem. N. C.* item à *Stalpartio* von der Wiel *Cent. I. Obſervat. LXXXVI. Cent. II. Obſerv. XXXIX.*

Figuræ Explicatio

Hœdi Islandici Hermaphroditi.

a. *Penis ſpiralis monſtroſus.*
b *Rima labiis ſepta, ſive apertura ad urethram, ſive veſicam urinariam tendens.*
c. *Inteſtinum rectum.*
d. d. *Teſticuli, eorumque*
e. e. *Vaſa præparantia.*
f. f. *Epididymides.*
g. g. *Vaſa deferentia.*
h. *Veſiculæ ſeminales.*
i. *Veſica urinaria, ejusque*
k. k. *Ureteres.*
l. *Arteria.*
m. *Vena hypogaſtrica.*

(*Noribergæ Auguſtam Vind. M. Majo 1708. miſſa.*)

OBSERVATIO CXIV.
Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.
De
Hæmoptysi graviditatis infido signo.

DE ptyalismo graviditatis signo Dec. 3. ann. 3. Ephemerid. Germ. Observ. L. plura dicta. Eundem ptyalismum cum nauseâ in Conjuge meâ ante biennium, cum gravida esset, per semestre spacium molestissimum, variis remediis eo nomine sine successu fermè adhibitis, notavi, quæ tandem puellam sanam & bellam in hanc lucem edebat. Fidis itaque & bonis graviditatis signis ptyalismum accensendum: Sicut è contrario infidum & malum signum graviditatis esse puto Hæmoptysin. Solet quidem sæpius in honestis virginibus etiam ab obstructione mensium hæmoptysis notari, citra graviditatis suspicionem: Enim verò in nuptis suspicione graviditatis eam non carere, sequentia possunt evincere. Fœmina junior postquam in nuptiis tripudiasset, domum reversa magnam sanguinis floridi copiam per screatum cum tussi sine doloris sensu vicibus iteratis exspuebat. In consilium vocatus phlebotomiam suadebam, præprimis cum mensium fluxum proximè defeciisse audirem. Hinc verò hæmoptysi non perfectè cessante alia remedia sperato tandem cum successu in usum vocabantur. Ipsa verò ægrota aliquandiu post ingenuè graviditatem fatebatur, quam dudum suspicabar. Approximante partu moras uteri solvebat puellus debilis valde & macilentus, qui sacro baptismatis actu vix absoluto animulam Creatori suo reddebat. Huic fœminæ altera vice gravidatæ eadem phœnomena eveniebant, quæ tandem postquam phtisico affectu aliquandiu afflicta, miseram hanc vitam cum meliori & beata mutavit.

OBSER-

OBSERVATIO CXV.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Fluxu menstruo in Vetula.

FOemina sana & robusta septuagesimo sexto ætatis anno menstruum sanguinis floridi fluxum, quem hactenus plures per annos non viderat, stato tempore & ordine egregia cum euphoria quinquies experiebatur. Eodem verò anno circa tempus consuetum sanguinis hunc fluxum cum dyasphoria cessantem notabat, subsequentibus anxietatibus, borborygmis &c. brevi post celerius opinione syncope moriebatur. Post mortem denique filia ejusdem rarum hunc casum mihi referebat, & an remedio quodam vetulæ fortasse succurrere potuissem anxiè quærebat. Cui ego, potuisse tum venæsectione, ex mente Celsi Lib. 2. cap. X. tum aliis medicamentis curari, cum responderem, consilium, matre sic volente, neglectum acerbissime dolebat.

OBSERVATIO CXVI.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Curatione delirii à philtro & Erucis per vomitum & urinam excretis.

MOlator Cœnobii Cellensis in vicino Eisfeldensi districtu, ditionis Electoris Moguntini, siti, Matthæus Goltmann, juvenis 26. annos natus, postquam in convivio genethliaco potum amaricantem à puellâ quadam loco cereviſiæ oblatum absorbuerat, inde dictum factum male habens dysarestesi vexabatur & cardialgia. Sequentibus diebus appetitus solidorum prorsus deficiebat, urgente siti & calore efferato: Somnus inquietus & interruptus erat, singulari mentis stupiditate & delirio singulis die-

bus

bus apprimè circa horam quintam vesperti nam accedente, adeò, ut nec adstantes quidem dignoscere posset, neque quid agendum vel omittendum sibi, sciret. Qualis mentis stupiditas & delirium à quinta vespertina usque ad tempus matutinum perdurabat, unde per totam noctem somnum non videbat. Tertio demum die in consilium vocatus, mixturam bezoardicam præscribebam, à cujus usu posthabito sudore paulo melius habere videbatur. Die subsequente pro Cardialgia curanda emeto catarcticum propinabam, à quo quatuor vomitus suscitati, quibus non solùm maxima saburræ biliosæ copia, sed etiam duo vivi vermes, erucis majoribus haud absimiles glauci coloris (gräuliche Würme wie Raupen) exturbabantur. Cessante tandem vomendi conatu novæ circa vias urinarias molestiæ sentiebantur, ac brevi post vermis erucæ similimus rubicundi coloris una cum urina non sine maximo doloris sensu eliminabatur. Hinc continuato Bezoardicorum, cephalicorum ac stomachicorum usu, venæsectione cephalicæ facta ac purgante medicamento iterato, non neglecto suffitu crebriori è pulvere fumali optimo officinali, addita præprimis adianthi aurei (quod hîc loci in quibusvis morbis à veneficio maximi solet æstimari) quantitate, desperatus hic ægrotus tandem perfecte convalescebat.

OBSERVATIO CXVII.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Rore melleo, erucas producente.

MEllei roris morborum epidemicorum causæ in dissertatione Epistolica ad Illustrem & Magnificum Dn. Præsidem Societatis Nat. Cur. Dn. Dr. Schröckium data & An. 1700. typis excussa, mentionem feci. Similem pene rorem erucas producentem in Dec. III. Ephemerid. Germ. Ann. IX. & X. p. 172. notavi. Qualis cum currente hoc anno in scenam denuo prodierit, nolo quoque cramben bis coctam in medium afferre, quin verò potius

tius operæ pretium puto accuratius paulo rimari, an roris mellei viſcida ſeu glutinoſa ſubſtantia ſeu materia per ſe, an verò ſeminium vel ovulum vel animalculum quoddam in dicto rore contentum erucarum cauſa exiſtat?

Quamvis autem plures celeberrimi Scriptores pro ſeminio militent, vix tamen à mente mea impetrare potui, ut iis abſolute fidem habeat. Lœwenhôckii namque & aliorum ſententiam quod attinet, qui incredibilem minimorum animalculorum eorundemque ovulorum copiam in rore oſtendere laborant, eam ſane huc prorſus non quadrare vel exinde manifeſtum, quoniam hoc anno & ab hoc rore nuſpiam plures, ſed unicam vermiculam generatam invenire potuerim. Scilicet hortos meos, quos ab erucarum nidis & omni infectorum ſeminio ſedulo repurgari curaveram, frequentans, circa medium Aprilis (quo quidem tempore gelu prorſus inſuetum notabatur, adeò ut vinitores ſuetis laboribus fungi vix poſſent & vites glaciatas quaſi deprehenderent) materia quædam aquoſa, inſtar guttæ pellucida, glutinoſa, viſcida, ſubdulcis in tenoris pyrorum, ceraſorum ac prunorum foliis & floribus inde criſpatis, ut gelata quaſi ominarer, viſenda. Nullius hic ovuli, nullius ſeminii veſtigium nec à linceis quidem oculis diſcerni poterat. Interim poſt paucorum dierum ſpacium guttula dicta mirâ metamorphoſi in unicum vermem albicantem, aliquandiu poſt vermis in erucam virideſcentem transmutatus. Stante igitur ſententia citata, cui uſui incredibilis animalculorum vel ovulorum copia, unicâ eruca ſaltim exclusâ? DEUS & Natura nihil fruſtra. Pari ratione in ſylvâ meâ milliare germanicum abhinc diſtante zum Tieffenthal dicta, in excelſis quercubus aliisque arboribus eandem erucarum ſpeciem ejusdem numeri & coloris viridis notavi, quod etiam alii plures non ſolùm in univerſo territorio Molhuſino, ſed & in vicino diſtrictu Eisfeldenſi & alibi locorum obſervarunt. Regerat alius, potuiſſe forſan ope microſcopii accuratioris in guttula citata unicum ovulum ſeu vermiculam diſcerni? Reſpondeo, erucarum ſeminium adeò ſubtile non eſſe, ſed ovula ſolâ oculorum

acie in nidis ſuis, ut vulgo notum, ſine microſcopiis ſatis clarè dignoſci poſſe. Neque ego diffiteri poſſum, me microſcopiorum uſum in plurimis rebus, ſalvâ tamen celeberrimorum Scriptorum autoritate, valde ſuſpectum habere. Ut enim alia ſilentii peplo involvam, Dominus Doctor Himſelius, inventionum mechanicarum ſedulus cultor & maximus microſcopiorum admirator, Halæ Saxoniæ, ubi tunc temporis commorabatur, mihi ſancte aſſeverabat, ſe ope microſcopii tartarum emeticum tam cryſtalliſatum quam ſubtiliſſime pulveriſatum examinaſſe & inveniſſe, eum particulis dupliciter hamatis conſtare.

At ego ſæpius tartarum emeticum microſcopiorum Hafniæ, Hamburgi & Halæ Saxoniæ coëmtorum examini ſubjeci, nec unquam talem particularum figuram & texturam deprehendere potui. Verendum itaque, ne nubem amplectantur pro Junone, qui nimium fidunt microſcopiis; ne fortaſſe inteſtinum aliquem particularum in rore motum pro animalculis habeant, aut plura fingant quam videant. Cum verò altioris indaginis hæc de inſectorum generatione cogitata ſint, alii occaſioni poſt plura experimenta, cum unicum verum experimentum plus valeat, quàm decem rationes, reſervo. Interim meditationem quandam de generatione animalium huc collimantem è rationis fonte depromptam, & ab Amico quodam, qui ex Ratione & Candore philoſophatur, mihi, dum hæc ſcribebam, communicatam, quæ ſane non videtur de nihilo, eruditorum examini promitto.

OBSERVATIO CXVIII.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOVERI.

De

Febre Tertiana periculoſa per Sympathiam curata.

CUras magneticas ſeu ſympatheticas ab aliis laudari, ab aliis negligi & vituperari, ab aliis veluti ſuperſtitioſas & magicas prop-

prorsus damnari, tum quotidiana experientia, tum celeberrimorum Medicorum scripta satis abunde testantur. Non disquiram prolixius, quidnam in vulneribus, ulceribus, herniis, morbis epilepticis, arthriticis, ictero, variisque affectibus aliis externis & internis præstare queant? Sed observatione hac id saltem evincam, ipsas etiam febres sympatheticè feliciter fugari posse. Nimirum cum mensibus vernalibus anni currentis periculosæ & contumaciſſimæ febres tertianæ & quotidianæ typum tertianarum continuarum ferè servantes, quæ nonnullis etiam finem vitæ faciebant, hic grassarentur, inter plurimos febricitantes vir sexagenarius civis & agricola hujus loci me consulebat. Hic prævia leviſſima horripilatione, corripiebatur calore totius efferato, primo singulis, brevi post alternis diebus ingravescente, cum pulsu celeri, insatiabili siti & molestis vigiliis sociato. Aderant præterea anxietates, tremores extremorum, vomitus assumtorum, vires prostratæ & linguæ nigredo tanta, ut tota tandem videretur excoriata quasi. Ob symptomatum vehementiam, subdolam veneni malignitatem, mixturam bezoardicam antifebrilem præscribebam: à cujus usu, cum posthabito aliquoties sudore, parum levaminis sentiret, factâ venæsectione, remedia quædam domestica simul vocabat in usum. Tandem verò medicamentorum internorum pertæsus plura negligebat, & sequens remedium sympatheticum eligebat: Recipiebat carnis bubulæ libram unam semis, quam in urinâ in paroxysmo & statim post paroxysmum emissa in ollâ fictili, superimposito operculo bene tectâ coctam, cani devorandam, projici curabat. Famelicus canis postquam carnem dentibus avidiſſimis arripuerat ac devoraverat, altero die & plurimis sequentibus, eodem pene modo cum anxietatibus & tremore extremorum non sine admiratione febricitare notabatur, quo hactenus Sexagenarius noster. Hic autem longe melius habere sibi videbatur, nil mali amplius sentiens, nisi circa tempus exacerbationis ordinariæ, leviſſimam alterationem cum lassitudine spontaneâ, quam post paucos etiam dies prorsus cessare notabat, hucusque salvus & incolumis ex voto vivens. Brevi

post eâdem prorsus ratione puellam sex annos natam, febricitantem notavi curatam. Simile ferme remedium sympatheticum Franciscus Joel Op. Med. Tom. V. Sect. 11. p. 32. recenset, quando scribit: Urina patientis in paroxysmo projecta & cum farinæ q. s subacta & in massam redacta, & in clibano panis modo cocta, si famelico cani masculo quidem, si masculus est æger, & fœmellæ, si fœmina, projiciatur comedendaque præbeatur, idque ter aut quater reiteretur, patiens quidem liberatur à febre, sed laborabit canis. Idem verò cur tanquam merum superstitiosum Phil. Grülingius Med. Pract. lib. V. part. 11. cap. 6. p. 740. damnet & contemnat, sane non video, sed rideo? Nam si periculosa ac contumacissima tertiana per sympathiam curari potest, quidni minus periculosa Quartana? Et qualem, obsecro, superstitionem, vel magiam ex mente Primerosii lib. IV. de erroribus vulgi cap. 48. (quem hinc non pudet Medicos celeberrimos, novum illud Europæorum lumen, Paracelsum, Crollium, Hartmannum magiæ arguere) in usu horum remediorum latere putabis? Equidem longè aliter sentiunt, qui ætheris, effluviorum & subtilissimarum particularum naturam & operandi modum norunt accuratius, Philosophi & Medici. Tantum igitur abest talia damnentur, ut potius aliis non juvantibus vel ob idiosyncrasiam ægrotorum recusatis & vix propinandis summopere commendentur. Consentientibus mecum plurimis aliis celeberrimis Medicis, quos inter unicum jam meminisse sufficiat Naturæ Curiosorum Biantem I. Beatissimum L. Benj. Scharffium, Serenissimi Principis Schwarzburgici Archiatrum, amicum meum, cùm viveret, integerrimum, qui sanè in eleganti tractatu in vernacula lingua conscripto & inscripto: Unvorgreiffliche Gedancken von denen bißhero heimlich und unerforschlich gehaltenen Magnetischen Curen/ prolixius exposuit maximam horum remediorum utilitatem, utpote quibus non solùm plurimos alios ab affectibus aliis, sed semetipsum quoque à molestissimis cruciatibus podagricis, quibus diutius afflictus fuerat, felicissime liberaverat. Unicum non reticendum, curis hisce non æque solis semper fidendum

dum esse, id quod Excellentissimus Wedelius etiam alicubi monet. Adhibenda itaque hæc, non neglectis universalibus; aut si ob idiosyncrasiam talia abhorreant, saltim conveniens & laudabilis diæta & alimenta medicamentosa curæ cordique habenda, siquidem constantem sanitatis eventum quisquam sibi polliceri velit.

(*Molhusa Augustam Vind. d. 25. Junii An. 1708. missa.*)

OBSERVATIO CXIX.

Dn. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De

Epilepsia rarâ.

IRacundiam qui vicit, hostem vicit maximum. Ira enim est janua omnium malorum; uti puella quædam sex annorum, rustici filia, iram in promtu habens, tristi suo exemplo est experta. Hæc miris symptomatibus corripiebatur, imprimis verò horrore & stridore dentium, uti & calore febrili & Phantasia corrupta. Cum enim Paroxysmus inciperet, semper horrido clamore complebat cœlum: Mutter! thut das Ding weg/ hier steht was/ ach was ist das? Ach ich fürchte mich! Ex his igitur patet, modo memoratum affectum chironium esse, ex febrili dispositione biliosa & torpore spirituum constantem, qui facilè in Lethargum degenerasset, nisi saburra biliosa in tempore fuisset expurgata. Hisce tandem medicamentis morbum ope DEI T. O. maxumi exterminavi, nempe præmissis univers. specific. Ceph. DD. Michaël. Pulv. March. Epilept. Cor. r. antimon. diaph. liqu C C. succ. Ess. succ. castor. tinctur. corall. antiscorb. pœon. it. spirit. extern. sc. spir. passer. alaudar. ardeæ &c.

OBSERVATIO CXX.

DN. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De

Excrescentia singulari loco uteri in cadavere virgineo reperta.

LAtet Anguis in herba. Occasionem ita loquendi dedit mihi mirabilis affectus Virginis cujusdam nobilis. Hæc sæpe sentiebat dolores insignes nephriticos imputatos. Vomitus, salivæ abundantia, dolores circa pubem aut hypogastrium, ut & fixus & stabilis circa lumborum regionem, magnum cibi fastidium, anxietas circa præcordia, urina cum maximo ardore & stranguria, particulæ igneæ ex oculis vagabundæ, evacuationes alvi & tandem lassitudo & debilitas totius corporis cum prostratione omnium virium, sitis, angina, excretio sanguinis per anum putridi, nihil, nisi mortem procurare poterant. Vis enim morbi adversus omnem & præsentissimam medicinam invalescebat, ita, ut virgo nostra nephritide, tanquam malo hæreditario enecta ab omnibus diceretur. Sed sectio cadaveris postea latentem monstravit anguem. Corculum enim erat nimis flaccidum, & omni sanguine vacuum, pulmones vitiosi, marcidi, & circumcirca pleuræ adnati; Diaphragma inflammatum, ventriculus quasi excoriatus, pustulisque magnis, nigris, & rubicundis internè obsessus; Substantia pancreatis fermè tota consumta, substantia verò hepatis pulcherrima; Lien flaccidus, intestina partim bonæ, partim malæ notæ, renes perminuti, molles & absque fascia renali & internè absque omni sabulo & calculo; è contrario verò loco uteri duæ excrescentiæ vesicæ inhærebant, quæ forti membrana cohærebant.

Magnitudo excrescentiæ majoris erat instar duorum pugnorum, alterius verò pugillaris; Colorem album possidebant; Substantia crassa & cartilaginosa. Factâ dissectione minoris, meatus in collum uteri ductum gerens videbatur. Quis itaque

itaque ex urinâ & aliis ſupra memoratis ſignis uterum in tantas excreſcentias transmutatum, judicare potuiſſet, niſi ſectio poſt mortem veritatem docuiſſet.

Aliam uteri excreſcentiam virgineam annotavit Nobil. D.D. Mœren, Obſ. C. Dec. III. ann. 7. & 8. Eph. A. N. C. p. m. 167.

(*Chemnitio Auguſtam Vind. d. 29. Sept. A. 1708. miſſa.*)

OBSERVATIO CXXI.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAUCHARTI.

Pulmones infantis per horas octodecim extra uterum viventis, in aqua ſubmerſi.

QUid in Diſputatione Academica An. 1691. Tubingæ ſub præſidio D. D. & Profeſſoris Zelleri (cujus titulis parco, quod Virum optimum eos nec deſiderare, nec neceſſe habere probe noverim,) publice à me defenſa molitus fuerim, inter cætera, circa ſubſidentiam pulmonum infantis in aqua (p. 17. concl. 1.) paucos forte latebit. Arrexerunt aures, ea viſa, Pamphili non pauci, & aliter, quam antea interdum fiebat, judicandum cenſuere, de fœtibus humanis, clandeſtino partu editis, &, an matris culpa mortem ſubierit? cultro anatomico, & Phyſicorum, jurato plerumque, judicio traditis. Novi etiam non ſemel eandem diſputationem in hujusmodi caſibus poſtea allegatam & ratihabitam. Fuere tamen aliqui rem non adeò ad amuſſim deductam æſtimantes, quod fundamentum negotii, obſervationi ſolum in vitulino fœtu ſuperſtructum fuerit. Interim in toto Phyſicatus mei ſtadio, utut quartum jam luſtrum attingat, alius aut alter non obtigit caſus, unde plenius rem confirmare liceret. Narravit equidem D. Lic. Jægerus, Phyſicus Schorndorffenſis, in diſcurſu privato ante annos aliquot, contigiſſe ſibi ſectionem infantis, cujus pulmones ſint in aqua ſubmerſi, mater verò nihilominus, antequam tormentis quoque adigeretur, fuerit confeſſa,

vixiſſe

vixisse eum à partu & ejulasse. Cum verò eadem post, ex vinculis se subducens, in puteo submersa fuerit reperta, quod dubio procul impulsu conscientiæ fecit, adhuc posset dubitare aliquis de rei veritate. Sed ecce, hoc quo nunc vivimus anno, obtigit Vicino mihi colendissimo, D. D. Brigelio, Physico Biesigheimensi, sectio infantis, per octodecim horas à partu viventis, & in templo baptizati, propterea quod valetudinarius esset, (nam mater funiculum umbilicalem, usque ad tardius vocatæ obstetricis adventum ligare negligens, mortis ejus citioris causa fuerat,) & ejulantis quoque primum fortiter, postea sibilantis; cujus tamen pulmones, tam integri, quàm frustillatim in aquam, non minus copiosam quàm parcam, injecti, fundum petiere. Relatio est fidelis Viri integerrimi, & aliis, juxta leges patrias, testibus adstantibus facta, atque ad Concilium Justitiæ ex officio Jurati deposita. Rem verò scitu vel ideò dignam esse censui, ut posthac in depositionibus inspectionalibus major assertioni meæ fides constet.

SCHOLIUM.

EX adcurata Nob. D. D. Brigelii relatione, quam Exc. D. Author Præsidi legendam communicaverat, notare liceat, pulmones florido rubore præditos, nullibi thoraci adnatos, non spongiosos, sed *compactos & graves*, ratione texturæ & coloris hepati fere similes, cæterum thymum permagnum, cor vegetum, in ejus ventriculis nullum sanguinem, in pericardio autem parum aquæ exstitisse. Conf. Dec. III. Eph. nostr. An. 1. Obs. 105.

OBSERVATIO CXXII.

DN. D. JOHANNIS DAVIDIS MAUCHARTI.

Auricula lateris sinistri, in paralysi affecta, monstrosa, & tota fungosa.

ANte biennium consilium flagitavit meum fœmina, sexagesimum ætatis annum supergressa, macilenta, procera, ante sexen-

sexennium paralysi lateris siniſtri poſt hemiplexiam affecta, labiis simul ad dextrum latus retractis, ut, niſi manu admotâ eadem pauliſper reformaret, diſtincte eloqui, juncta ſcil. simul blæſitate, non poſſet. Monſtrabat inter cætera auriculam siniſtram valde monſtroſam, quippe magnitudine fere palmam latam ſuperantem, deformem, in lacinias quaſi fiſſam, fungoſam, craſſam, multis tuberculis, ſerum loturæ carnis inſtar fundentibus, fœdam, & tantum non, ſi magnitudinem exceperis, elephanti auriculæ ſimilem. Tentata quidem ſunt à me ex methodo, & demum à Chirurgis & empiricis aliquot, omnia, ſed ſine notabili, ſaltim conſtanti effectu, ita ut poſt ſemeſtre ad ſuos redierit, parvo cum ſolatio, ubi quid ulterius acciderit illi, hactenus ignoro.

OBSERVATIO CXXIII.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAUCHARTI.

Cancer faciei rarior, lethalis, poſt variolas.

OCtennium eſt, quòd variolæ in vicinia graſſarentur, plerosque tamen clementius habentes, ut plurimum negligerentur. In pago hic vicino tamen erat fabri plauſtrarii, infauſto omine Krebs dicti, filiola ſexennis, quæ itidem variolis tenebatur, iisdem ferè conſita, evaſit tamen ſine medicamentis methodicè præſcriptis, ut nihilominus diu poſtea maneret in gena dextra dolor profundus, primò urens, poſtea valde pruriens, qui nullo tumore aut rubore ſe manifeſtavit, ſoli puellæ cognitus, quæ in profundo oſſis maxillæ ſuperioris eum hærere querebatur. Adhibita ſunt varia, domeſtica & empirica, à Chirurgis quoque, ſed incaſſum. Poſt ſeptimanas quatuor ſponte puella digitis extraxit duos dentes maxillæ ſuperioris, ocularem ſ. caninum nempe & inciſorem ei propinquum, ſubſequo puris fœtidiſſimi & nigrioris effluxu, quod utut monſtratum Chirurgo tamen flocci penditur. Cadunt paulo poſt reliqui ejus lateris den-

tes, unus post alterum, succeditque ulcus cancrosum, primo gingivæ, deinde labii, postea genæ totius, exacte dimidiam faciei partem, in mento, utroque labio, gena & naso ad oculum usque consumens, ægerrimeque fœtens; cum mihi octiduo ante mortem monstraretur, omnia erant conclamata, & convulsionibus ex doloris vehementia, aut ob nobiliores oculi nervos obituram conjeci, sed præter spem paulo post exesus carotidis internæ ramus, qui in cantho oculi majore pulsans reperitur, lethalem induxit hæmorrhagiam. Ortum mali tribuo variolis internis, frequentibus homicidis, in illo specu seu antro maxillæ superioris, quod Bartholinus in Anat. reform. L. IV. c. X. fig. 1. depingit, & crania dissecta exhibent, efflorescentibus. Ibi verò variolas oriri, utut rarius forsan observatum sit, posse non dubito, & cum materiæ effluxus purulentæ negatus sit, has excitare lachrymas.

OBSERVATIO CXXIV.

Dn. D. JOHANNIS DAVIDIS MAUCHARTI.

Tremores convulsivi particulares lateris dextri ex abscessu calcanei.

Quo magis in praxi medica versor, eo magis aphorismos Hippocratis intelligo & magnifacio. Sit exempli g. §. 42. Sect. VI. Edit. Vorstianæ, nitidissimæ omnium, quas vidi. Dicitur ibi: παχύτητα τῆς πύης, ἢ τῆς τόπης in causa esse, cur pus interdum acutam quoque Semioticen eludat. Erat quidam civis hic loci, duriter satis se sustentans, & in dorso viles aliquot merces per pagos circumportatas divendens. Habebat hic cutem plantarum pedum perquam asperam & duram: is repente, abhinc quadriennio dextro pedi, ob dolorem, calcanei primùm, mox totius, insistere nequit, adhibent hinc primum domestica, deinde Chirurgum, sed frustra. Tertio die accedunt tremores convulsivi pedis, deinde cruris, tandem totius lateris dextri, periodici, dolorifici, sine sensuum obnubilatione. Advocatus ego, cum in doloris ori-

originem inquirerem, audio semper oriri in calcaneo, sine ullâ tamen partis mollitie, rubore aut tumore. Dico subesse abscessum, contradicente Chirurgo, quod nihil posset tangere fluctuans; aphorismum supra notatum frustra allego, tandem tamen persuadeo, ut pediluvium admittat, sed pejus habet. Imponitur cataplasma emolliens, cum euphoria, altero die aperitur abscessus, cum multo puris profluvio, & totali sanatione ægroti. Qui postea se ex ambulatione ibi quondam habuisse pustulam, filo laneo, ut solent trajectam, & hinc negligenter tractatam recordabatur.

(*Marbaco Augustam Vind. d. 5. Novembr. Anno 1708. missæ.*)

OBSERVATIO CXXV.

Dn. D. CONRADI BERTHOLDI BEHRENS.

De

Astrologiæ judiciariæ vanitate.

EX quo sub initium hujus anni prognosticon quoddam Astrologicum inclaruit, quo magnatibus quibusdam, non dies solum emortuales, sed & morborum species prædicere quispiam sustinuit, totus orbis obstupuit, & de medica arte ipsa, termino vitæ ita fatali existente, actum videbatur. Nisi autem personatus fuerit, quisquis demum ita lusit, certe si vitæ humanæ terminus ita se haberet, ipsa divina providentia simul tolleretur. Quantum verò astrorum influxui subsit, tum prognostici ipsius vanitas jam toti orbi innotescens probat, tum facile ex eo colligere est, quod præter Solem & Lunam reliqua corpora cœlestia nullo in sublunaria influxu polleant, utpote quorum lumen, ceu quidem ex conspectu apparet, longe debilius ad nos devenit, multo minus effectum ita determinatum præstat, qui ne quidem Solis ac Lunæ radiis, aliàs satis activis, competit. Quamvis enim sanitas à solaribus lunaribusque radiis non parum afficiatur, eorundem tamen ne dicam reliquorum corporum cœlestium in corpora

humana influxum ita determinata exiſtere, ut etiam Aſtrologi juxta ſupputationes ſuas in individuis & morbos & mortes diu ante explorare ac certo tempore prædicere valeant, non magis probabile eſt, quo ſæpius eosdem, & ferè non quotidie, in aſſignando cujuscunque diei aëre vel ſereniori vel inclementiori, pluvioſo ac ventoſo falli videmus, quod tamen longe minori difficultate ab illis determinari poſſet, cum ſupputatio ejusmodi non individua, ſed totam ſublunarem regionem ſpectet. Cum acie certatur, una ſtrages pariter ex utraque parte operit non diverſi tantum climatis milites, ſed diverſiſſima conſtellatione genitos; Et gemellis quorum una eſt geneſis idemque horoſcopus, vitæ tamen exitus interdum diſpar, ut recte *Salmaſius libr. de Ann. Climacteric. p.* 721. circa hoc negotium urget.

(*Hildeſio Noribergam d.* - - -
Anno 1708. *miſſa.*)

OBSERVATIO CXXVI.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP von der Mülln.

Hiſtoria Sarcoceles ingentis, variis iisque notatu non indignis accidentibus ſtipatæ: Obſervationi 19. *Dec. Ephem.* 2. *anni tertii quadantenus analogæ.*

VIr honeſtus à teneris mihi familiariſſimus, dum in Academiâ Francofurtenſi ſtudiis mecum vacaret, ab Ephoro Nobili duorum Comitum Polonorum, quem dicteriis ſe vexantem dum aliqualis vindictæ loco titillando paulò nimis irritarat, jactu crepidæ ſiniſtrum inguen & ſcrotum graviter non ſine inſigni dolore læſus, poſtquam ictus paululum dedoluerat, contuſionem illic factam, ut ſolet juvenilis ætas, ſusque deque habens, poſt ſatis ingens temporis intervallum, teſticulum ſiniſtrum læſum ſenſim ac ſine ſenſu incrementum aliquod notabile cœpiſſe ac multo majorem ſuo à dextris vicino factum animadvertit. Quod tamen, cum inde incommodum notabile nullum adhuc ſentiret,

ret, patienter tulit. Præsertim cum postea anno ætatis 33tio contracto matrimonio, generationi prolis utriusque sexus obicem nullum obtrudere, à nativitate filii primogeniti satis grandis, septimo à partu die Epilepsia sublati, & filiarum duarum, quarum prior anno ætatis duodecimo, posterior quintâ à partu septimanâ fatis cessere, deprehenderet. Nihilo tamen minus augmentum continuari, marcescente interea, ob præreptum à compare suo nutrimentum, didymorum altero. Defunctâ post quindecim annorum conjugium priori uxore, liberis orbus socero solo superstite septuagenario majore, quem hactenus alrum, in eâ orbitate deserere religioni sibi ducebat, à biennii viduitate ad secunda vota transire coactus, iterato matrimonio duorum filiorum ac filiarum duarum prolifero factus pater. Quorum tres, filius nimirum ex illo connubio primogenitus ac filiæ duæ adhuc superstites. Unde, ut in parenthesi quasi hoc addam, incertitudo illius asserti Democritici, cujus Columella lib. 6. c. 28. meminit, satis aperte liquet: quo à dextro testiculo mares, à sinistro fæminas derivari ex Democrito asserit, ac ligato (de Cabalis agens) siniſtro testiculo mares, dextro ligato fæminas generari contendit, cum unicus hîc, isque læsus & æger, emarcido altero, ad utriusque sexus generationem pensum contribuerit sufficiens. Sublatâ demum post tredecim annorum connubium & hac alterâ uxore, ac substitutâ illi ob liberorum, filiarum præsertim, educationem, post unius & dimidii anni viduatum tertiâ, Sarcocele jam manifesta sui indicia prodens, ob parcius fortè ætate jam provectâ Veneris exercitium, brevi tempore immensum aucta, ut caput infantis prope biennis facile æquaret, ac ab ulteriori tandem illius usu planè arceret, interim nec mole prægrandi, nec pondere satis gravi, nec gressui aut incessui eâ ætate adhuc satis alacri & expedito, incommodum ullum aut impedimentum ultra 70. annum jam provecto adtulerit. Donec 78. ætatis anno, post multas ærumnas simul irruentes corporis animique ægritudines & afflictiones in scorbutum, hypochondriacum malum, febrem cotidianam lentam cum consumtione

carnis & spirituum ferè omnimodâ incideret, sublato penitus appetitu, cum nauseâ assumendorum omnium ferè invincibili ac virium totali prostratione facies Hippocratica in procinctu deque recuperatione sanitatis ferè conclamatum esset. DEO Opt. Max. sic clementer dubio procul disponente, Natura fidelis ejus serva ac sui conservatrix planè sedula in ipsa Sarcocele abscessum molita, sublato in tumorem coniformem paucis diebus satis grandem monstro illo sarcomatis scroto contenti; verùm, (quod sanè mirandum) sine insigni aliquo dolore, nisi forte tensivo satis tolerabili, sine ullâ pulsatione, quæ in abscessibus dum pus fit rarissimè abesse solet, forte quia hic nullum suberat, sine omni molestiâ aut incommodo admodum sensibili, nec ullo signo ominis sinistri, nisi quod in apice coni illius macula initio parum, successu magis rubescens, vix pisi circulum magnitudine æquans, sensim in pustulam epidermidem elevans, mutata appareret, quæ post unum alterumve octavâ tandem Augusti die circa meridiem præter omnem expectationem spontè absque ullo sensu ullius doloris rupta madore solo linteaminum adjacentium aperturam proderet, ac subitò tantam, non sanguinis meri, nec cruoris nec saniei vel puris propriè dicti, utpote omni odore aut fœtore destituti, nec ichoris, sed humoris crassiusculi copiam eructaret, ut non solùm linteamina circumjacentia omnia contaminaret, sed & ipsas, sit venia verbo, caligas inundaret, & squalore immenso, ut vix esset ferendo, saburraret. Unde tanta illius copia, & qua cavitate collecta, cum tumor supra dictus capiendo illi non sufficisset, meum non est determinare. Triduum fluxus ille copiosus continuavit, qui puri nihil analogum, præter aliqualem consistentiam, ab illius plane difformem habebat, miscelæ potius similis laticis, cui pollen lateritius commixtus, qui linteo exceptus exhalante paulatim liquore & exsiccato penitus, minutissimis micantibus salinis quasi crystallis scatere videbatur. Consternabat initio patientem inopinatum illud profluvium, hinc cum diem unum ac alterum continuaret, nec sponte sisteretur, nec plagulis aut emplastris, nedum difficulter admodum illi

plagæ

plagæ applicandis aut ſpleniis coërceri poſſet, vocatur tandem & accerſitur in ſubſidium Chirurgus aliàs non inhabilis, qui attonitus phænomenon illud contemplatur & nunquam tale antea ſibi viſum aſſerit, tandem ampliandam eſſe aperturam cenſet, quo materiæ effluenti liberior pateat exitus, ne fortè partes reliquæ ſcroto contentæ, à putrilagine iſtâ (ab acrimoniâ tamen omni, quantum adverti potuit, planè immuni) illic diutius morante in partem corruptionis traherentur; turundam itaque applicat paulatim ab humore turgeſcentem, & foramen ad piſi paulo majoris capacitatem redactum, turundulâ è lino carpto paratâ, ac balſamo Arcæi imbutâ obdurat, ſicque dietim ſemel deligatum aliquot hebdomadas tractat, nec quicquam fluore indies continuante proficit, ſed palliatiative inter ſpem & metum ægri curat. Materiâ interim tam quâ conſiſtentiam quàm colorem & copiam ſubinde variante, ac pulvere illo rufo paulatim magis minusve deficiente; in liquorem tandem, loturæ carnis aliquatenus ſimilem, mutatâ; quandoque dilutiorem nonnunquam & ſufflavum, amyli inſtar diluti lintea, ubi ſiccata roborantis colorem & conſiſtentiam induente. Demum Chirurgus à tempore medelam patienter præſtolandam præfatus, exſpectationis curæ malum committit, addito prognoſtico ægro nequaquam accepto; fonticuli vices ſubiturum illud foramen, ac à multis incommodis ætatem hanc provectam alias ſæpius gravaturis præſervaturum cenſet, ſicque cum nec conſilii nec auxilii ulterius nil ab illo expectandum, ab ægro corporis ſui Chirurgum poſthac acturo dimittitur. Ab eo tempore varias ſubiit abſceſſus ille mutationes, nunc fluxum aliquot dies continuos ſervavit, nunc verſo quaſi epiſtomio eundem diem unum alterumve, ac ſi plenam ſanitatem promitteret, ſufflaminavit, ac ne guttam quidem liquoris ſtillavit. Interea temporis ſucceſſu papulæ, una prius, mox & altera piſum in medio ſectum referentes, à cute emerſerunt, haud procul à foramine priori, quæ rectâ ferè lineâ viciniam prioris occuparunt, calami anſerini minoris transverſi ſpatio ab invicem diſtantes, proxima priori nunc rurſus paulum

coar-

coarctato, paulo major tertiâ, colorem cutis; initio non mutantes, post unius aut alterius septimanæ lapsum sensim rubescentes, humorem tamen nullum adhuc sudantes. Postmodum media illa papilla major cuticulâ, quâ tegebatur, adtritu spoliata liquorem priori similem quoque cœpit fundere, priori quasi obliteratâ, quæ tamen post unum alterumve diem recruduit, madorem priore tenuiorem exsudans; semel etiam lapillum (an officulum dicam ambigo) semen sinapi magnitudine æquantem, una cum latice extrusit. Demum & tertia papilla utut rarius & parcius lacrymas quasdam sudare cœpit. Nunc quandoque alternant, modò illa, modo altera, raro tertia, modo duæ, modo omnes, licet rarius lympham suam nunc rarius nunc parcius aut laticem exstillant, quandoque nunc una, nunc duæ, nunc omnes tres rursus ad tempus clauduntur, sicque ægrum inter spem & metum suspensum tenentes, an unquam an nunquam à fonticulis illis spontaneis liberandus sit, placidam tandem analysin à divinâ gratiâ expectare jubent.

Cum obligatura vulnerum, quæ spleniis ac vinculis fit, ab initio admodum in hac plagâ molesta, immò ob crebram urinæ redditionem penitus incommoda, coactus est æger loco spleniorum ac vinculorum bursam aut bulgam aut capsam, vocet quisque, prout ipsi visum, cupream stanno internè obductam, & externè corio molliori vestitam excogitare, sibique comparare, qua reculas suas, patrimonium istud carnosum, impositio foraminibus emplastro tribus turundulis balsamo Arcæi præmunitis, & applicato desuper pulvillo, ab ulteriori deligatione immunis, bis dietim recondere, sicque hoc adminiculo, à cingulo forti coriaceo, ilia ambiente duobus loris connexo ac suspenso, adjutus dies noctesque gestare, ac si satis commodè tolerare possit. Plurima eaque notatu non indigna circa hunc casum occurrunt, unde nimirum abscessus ille sine omni dolore, sine pulsatione in parte admodum sensibili tam subito congestus & ortus, tam propere auctus, tam inopinato absque ullo doloris prodromo sponte apertus, tantam saburræ copiam (cui capiendæ tumoris capacitas

neuti-

neutiquam suffeciſſet) eructaverit? An pro evacuatione critica habendus ſit ille fluxus, quo morbum præcedentem gravem in marasmum tendentem ſolvere Natura ſit conata? Annon Naturæ conatus ille, præcipuæ indicationi virium inſtaurandarum, quæ corporis marceſcentis nutrimentum potius & augmentum efflagitare videtur, quàm tantæ humoris copiæ, in ſene præſertim ſubtractionem, è diametro contrarius ſit judicandus? An fluxus ille etiam nunc perſeverans, pro infauſto an pro ſalutari indicio ſit habendus, an ægro à majoribus incommodis præſervando, ut quidam non infimi nominis Medici cenſuerunt, ſervire poſſit? Num verò pro lethifero cum tempore ſit habendus perſtans ille laticis fluor? Multum humoris, fortaſſis & nutritii, corpori ſubtrahendo, eoque exhauriendo potius, ſuoque vigore, ſatis jam exhauſto, ulterius ſpoliando, aptus ſit judicandus? Qualis illa & unde derivanda pulveris illius lateritio pollini ſimilis, ruffi ab initio tanta copia, & illius per aliquod tempus continuata eructatio, jam verò ſenſim deficientis paucitas? Quæ inodori illius, ac quantum ſenſuum judicio aſſequi datum, omni penè acrimoniâ carentis, laticis, cui pulvis hic immixtus, origo? An vas aliquod lymphaticum in ſcroto per diæreſin, vel diapediſin aut anaſtomoſin apertum illum ſenſim excernat aut exſudet; Verùm horum evolutio ac reſolutio animi mei ac judicii provecta hâc ætate aliquatenus jam torpentis horizontem tranſcendunt: Aliis ergò ingenio vegetiori præditis meque ſagacioribus lampada trado.

(*Berolino Auguſtam Vind. d. 8. Dec. An. 1708. miſſa.*)

Monuit poſtea, d. 6. Jun. An. 1710. Nob. hujus Obſervationis Author, faciem ulceris deſcripti quotidie ferè aliam induere faciem, tam quoad exteriorem aſpectum, quam qua redundantem materiam, tum conſiſtentia, tum colore, tum copia ſemper variam: ab aliquot hebdomadis præter ſaniem paulo quam ante craſſiorem, fruſtulatim aliquando cum impetu tanquam è ſiphone ejaculatas, ad diſtans nonnunquam, proſilire particulas car-

nulentas, pallide rubentes, diverſas tam copia quàm magnitudine, ſeminis papaverini & cannabini, piſi etiam tam majoris quàm minoris, quas ipſam teſtis eſſe ſubſtantiam ſuſpicatur, paulatim fatiſcentem ac ſecedentem, ſed absque omni dolore ac fœtore, cum aliqua tamen, ſed vix ſenſibili corporis alteratione, viriumque jactura.

OBSERVATIO CXXVII.

Dn. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI.

Mulier Hydrocephalum cum abſceſſu ſpinæ dorſi enixa in Puerperio aphona.

APpoſite Thomas Barthol. Hiſtor. Anatom. Centur. I. hiſtor. XXX. dijudicat, cum abſceſſus in ſpina dorſi obſervati meminit, abſceſſum iſtum in lumbari confinio ad os ſacrum, ſuo judicio ad ſpinalem medullam usque perveniſſe, cerebrique corrupti fuiſſe productionem. Quod enim ipſi in ſuo ſubjecto tum temporis perſcrutari non licuit & conjecturari tantùm coactus fuit, illius veritatem in ſubjecto & abſceſſu ejusdem characteris & ideæ culter anatomicus ex voto me edocuit. Anno MDCCV. d. 4. Septembr. Miles gregarius Fridricus Bähr ad ſedandos in uxore poſt partum dolores me advocabat, & de tumore quodam circa medium oſſis ſacri in infante, pugni magnitudinem fermè ſuperante, anxiè conquerebatur. Inveniebam eum mollem primo flaccidum, rugoſum, poſtmodum verò indies in majus ſe ſenſim diſtendentem ſpatium, ut tympani adinſtar digitorum oppreſſioni non cederet. Apex tumoris fimbriatus mihi videbatur & cutis tunica initiò rugoſa, in pellucidum ſe transformabat, per quam vitri adinſtar omnes res oppoſitæ diſtinctè transparebant: Pedes cruciatim ſibi impoſitæ & contortæ quaſi paralyſi laborabant, quo eodem malo veſicam ſimul & inteſtinum rectum corruptum obſervabam, quorum ſphincteres ob ſpirituum animalium defectum officio ſuo defungi non poterant, ea propter ad attractum tumoris materiæ urinoſæ & fœculentæ

lentæ profluvium sequebatur. Ex gravitate & magnitudine capitis Hydrocephalum à nativitate statim suspicabar; hinc cum hac de re securior redderer indies, infanti medicamentis, quantum fieri potuit, prospexi, & præterea varia externa chirurgica ratione tumoris & pedum applicari curavi. Elapsis aliquot diebus, cum hactenus Puerperam benè se in omnibus habuisse scirem, hæc habitus phlegmatici ex improviso destituebatur loquela, ita ut ne verbum quidem, nedum difficulter, præter inconditum murmur proferret. Nullus quoad animi pathemata præcesserat error, qui spirituum in nervos recurrentes, quos voci efformandæ potissimum inservire constat, influxum sufflaminare potuisset; mens ipsi omninò constabat, in eo tamen excruciata fuerat antea, quod cum infantem paupercula ipsa libentius lactare vellet, illi ob papillularum in mammis parvitatem parum prodesse possit. Aphonæ ob lochiorum præsentiam parum primò auxilii, præter quædam masticatoria & bonam diætam accedebat, tandem fluxu sanguinis imminuto, cum infuso Plantarum cephalicarum, incidentium & expectorantium, intermixto levi aliquo laxante, & pro emendando acri in massa humorali stabulante aliis quibusdam medicamentis usa esset & cucurbitulas, quarum usus ipsi aliàs solennis fuerat, sibi applicari curasset, feliciter convalescebat. Sic Matre restituta infanti postmodum succurrebam per septendecim hebdomadas, quibus elapsis Paralysi quoque maxillarum tactus, postquam brevi antea tunica tumoris spontè disrupta esset, lymphaque quædam turbida subsalsa ad aliquot uncias exivisset, placidè diem suum obiit supremum. Corpus cultro anatomico subjiciebatur, quod emaciatum non erat, nec unquam, quod mireris, tabidum visum: Artus enim & venter cum in aliis ex succi nervei defectu tabescere soleant, in hoc subjecto pingues inveniebantur. Abscessus apparebat rugosus, crassior & albicans, in cujus medio oculis incurrebat foramen notabile, per quod ope stili cujusdam densioris descendebamus per ipsam dorsi spinam ad cerebrum usque, ex quo liquor quidam turbidus promanabat. Progressi

ergò ad ventrem ſuperiorem caput illud aperiebamus, atque transfoſſa Meninge craſſa & tenui, quæ poſterior ſubſtantiæ præter morem denſioris erat, exindè duæ fermè menſuræ & ultra aquæ limpidæ ſubſalſæ egrediebantur: Cerebri ſubſtantia tota flaccida & aqueis humoribus irrigua perditâ figurâ globosâ, convexo fornici videbatur ſimilior, cujus tamen interior albicans medulla ab exteriore cinerea cortice diſtinctè diſcernebatur. Diſciſſis poſtmodum muſculis pectoralibus & cartilaginibus coſtarum venter medius detegebat Pulmones & adjacentes partes reliquas benè conſtitutas, quarum vaſa ſanguinem ſeroſo-pallescentem oſtendebant perſpicuè: Separatis ventris infimi integumentis communibus cum Muſculis & Peritonæo, illius etiam viſcera omni labe immunia deprehendebantur, vaſorum illorumque ramificationum legitimam conſtitutionem oſtendentia, exceptis vaſis hæmorrhoidalibus, quæ intenſiſſima rubedine turgeſcentia valdè prominebant.

Cuinam cauſæ in hoc ſubjecto tanta aquarum exundatio adjudicanda, an vaſis, quibus ſerum includitur ſive ex impetu, ſive acrimonia humorum ruptis, qualis exempli Illuſtris Dn. Hertodt à Todtenfeld in Crocologia p. 282. meminit: Sive ejusdem ſeri interturbato circulo, monente Celeberrimo Ettmullero, ſi ſcilicet fœtus capite nimis inclinato verſus inferiora ſit ſituatus, anceps hæreo, de quibus Excellentiſſimi Dn. D. Harderi elegantiſſima Obſervatio XXXIII. & Scholium in Apiario ſuo, imò Carolus Piſo ſelectarum Obſervationum & Conſiliorum, cumprimis verò quoad abſceſſuum originem Philoſophus & Medicus, per totam Europam Excellentiſſimus M. Aurelius Severinus in abſolutiſſimo ſuo de Abſceſſibus tractatu legi merentur. Liquorem ex abſceſſu promanantem aquis procul dubio capiti innatantibus debuit infans, prout foramen in principio dorſi ſpinæ ipſaque abſceſſus radice repertum teſtatur; Tumorem lapſui in os ſacrum adſcribebat Puerpera, ſicque propriæ imaginationi, quale idem exemplum Hydrocephali ex imaginatione prægnantis in utero contracti producit Guilielmus Fabricius Hilda-

Hildanus Centur. IV. Obſerv. III. Aliàs aliquos conditionis paris abſceſſus obſervavit Excellentiſſimus Dn. D. Preuſſius, Proto-Phyſicus Vratislavienſium meritiſſimus, quos unà cum aliorum abſceſſuum Hiſtoriis citatos invenies Hiſtoria Morborum Vratislavienſium Anno MDCCI. p. 66.

OBSERVATIO CXXVIII.

Dn. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI.

Sonus in Pariete dubius inviſibilis Avtomati.

RErum cognitionem non facilè aſſequimur, niſi determinata proſtet principiorum cognitio. Hinc ſcientia noſtra umbræ Solis eſt ſimilis vel omninò nulla, ſi cum rebus, quæ adhuc latent, contendatur. Veritatem in ſumma terra levi quærimus manu, quæ ſi quid Democrito, ſi quid ipſi veritati credimus, interdum in altiſſimo demerſa jacet putco. Dies quidem diem docet, & longioris ævi diligentia in lucem ſubinde protrahit, quod ſagaciſſimos olim rerum inveſtigatores fugit; Tutius tamen eſt in rebus dubiis ad ignorantiæ aſylum confugere, quàm errori velum obducere. Quod meum permaneat, eſtoque de ſono hoc in præſenti commemorando dubio judicium, in quo aſſentientem habeo Excellentiſſimum Dn. D. Rudolph. Jac. Camerarium, Profeſſorem Tubingenſium celeberrimum, qui cum Ephemeridum Germanicarum Anno IX. Obſervat. LXXIII. de ſono quodam dubio variè commentatus fuiſſet, ad finem obſervationis rem omnem in incerto reliquit. Octavus jam agitur & quod excurrit annus, ex quo ſono iſtiusmodi dubio, in multis tamen à citati ſoni indole diverſo ad domicilii mei parietes divexatus fui, ubinam etiam hactenus vixi. Sonus hic Vratislaviæ in Patria primum mihi obvenit, notabili pulſu inquieti parvuli & portatilis Avtomati, horarum indici, penitus conſimili, ad latera parietis muralis ſe manifeſtans. Quamprimum ego circa veſperam accenſa candela Muſeum ingrediebar, Horologium hoc pulſatione continua mihi illudebat per dimidium an-

num, ita quidem, ut quamprimum manu locum, quo illud observabam, pulsarem, Avtomaton hoc aliorsum se reciperet, & penes fores se denuò manifestaret, ac ex illo loco ad appulsum manus meæ post breve temporis intervallum iterum aliam sibi sedem quæreret, sicque totum conclave divagaretur, & interdum ad imitationem manus humanæ, quæ post decursum horarum, rotularum currentium & recurrentium cum indice circumactione cursum horologii de novo definit, mirabili sonitu se distingueret. Id expertus ego non solus, sed mecum diversimodè adstantium aures, usque dum ad decursum dimidii anni fatis cederet Generosissimus Patronus, cujus Proli in studiorum consilii partem præeram, & cujus beneficiis me etiam post beatam ipsius analysin æternum devotum mancipo. Sic ad quadrantem anni quievit inquietum aliàs Avtomaton, cum interea pari ratione & modo aliud tale Illustri cuidam Mœcenati, quem Senem Reipublicæ Patriæ DEUS diu servet incolumem, in ipsius atramentario & mensa observare licuit. Accitus ego cum aliis idem auribus percipiebamus, quod per aliquot intervalla recurrebat, cujus generosa Uxor postmodum morbi contumacis vi oppressa in dissito solo & longe abhinc distante Urbe Naturæ cessit. Paulò post ad parietes meos veteres repetebat Avtomaton pulsus eodem modo, eademque diversitate, quâ completæ aures antea fermè obsurduerunt: Insecuta mors quorundam consanguineorum. Ad Academias iter destinabam, vestigia eò viventis persequebatur, & cum stabilem aliàs inoffensumque cursum semper retinuerim, tamdiu tamen me affligebat non interrupta serie, usque dum Lipsiæ amantissimam Matrem morbo confectam & extinctam per literas audirem. Ad tempus iterum conticuit, mutata postmodum Academia, Avtomaton tamen semper sensi, quorsum etiam divagatus sum, & jam ipsa iterum per aliquot annos in Patria indivulsum à latere meo comitem, quem hoc ipso die, in quo hæc scribo, unà cum domesticis ad parietes præsentem auditu capio. Quid hæc res sibi velit, quanquam illam non ex opinione, sed veritate animo & cogitatione

jam

jam sæpius perpenderim, me fugit, latet, præterit fateor, & cum Voëtio Disputationum selectarum part. 2. qui tamen inter Præsagia collocat, quorum causa non est manifesta, & Becmanno Doctr. Mor. c. 8. in re dubia nihil certi determinare nec audeo nec possum.

OBSERVATIO CXXIX.

DN. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI,

Ex aspectu Potiunculæ laxantis Hypercatharsis.

SIngultum in Hypercatharsi prodromum imminentis mortis esse, non solùm quotidiana docet experientia, sed etiam magni Hippocratis testatur oraculum, cum Aphorismorum Lib. V. Aphoris. IV. scribit: *Επὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.* Loquitur hic Divinus Senex universim de omni pharmaco immodicæ purgationis causa, qualia exempla passim apud Autores prostant, ex. gr. à Medic. Mercurial. Ephemerid. An. I. Dec. I. p. 151--131. à Jalappæ resina An. VI. Dec. II. p. 24--183. ex purgante improvide sumpto An. III. Dec. II. p. 304. Eandem autem ex aspectu potiunculæ laxantis singultu stipatam, lethali hoc signo, contingere potuisse absque subjecti internecione, miratu dignum est, & rei veritatem sequens confirmare poterit casus: Mercatoris & Civis cujusdam Vratislaviensis A. K. Uxor, cum ob varias rationes medicamentis purgantibus sæpius corpus levare opus haberet, in tantam postmodum medicaminis hujus aversionem incidit, ut cum antea potiones catharticas, quas ipsa semper expetebat, avidè exhausisset, & ipsi Marito malè se habenti adstans potiunculam ex aqua laxativ. Vienn. Spic. dia tartar. Parac. Arc. tartar. c Syrup. cich. c. rhab. apportari videret, subitaneo terrore, tantaque medicaminis ex improviso apportati aversione mirum quantum concussa, vomitibus primò, postmodum copiosissimo, ad ultimum etiam sanguinolento alvi fluxu, cardialgia, torminibus ventris ac siti, quibus tandem extremorum frigus & pertinax singultus accedebat, adeò fuit divexata, ut accitus ego de ipsius restitutione jam actum esse crederem. Medica-

men-

mentis ipsi succurrebam quantum potui, cum autem postmodum quævis medicamenta præter externas quasdam inunctiones & fotus fastidiret, assentire, & totum negotium Naturæ soli committere coactus sum. Sensim tandem ad se rediit, sed longum temporis intervallum intercessit, ex quo illam iterum restitutam vidi.

Antimonio viso purgationem secutam fuisse refert Thomas Bartholinus Histor. Anatomicarum Cent. V. Histor. 64.

(*Vratislaviâ Augustam Vind. d. 9. Dec. An. 1708. missæ.*)

OBSERVATIO CXXX.

Dn. D. MARCI GERBEZII.

De

Epilepsiæ mirâ metastasi in repentinam cœcitatem, & insperatam visûs recuperationem.

DE nullo humanum genus affligente affectu facilè tam mira leguntur, quàm de epilepsia: quemadmodum neque credo esse affectum conceptu tam difficilem, quàm sit epilepsia. Quòd de ea tamen aliàs passim plurima commentati sint alii; supersedeo ejus ætiologiam pluribus describere. Solùm dico me miratum fuisse elapso anno ejus effectum in Moniali: quæ postquam eam ultra anni spatium sæpissimè passa fuisset, in quodam paroxysmo repentè adeò excœcata fuit, ut absolutè nihil videret, oculis etsi nullum prorsus defectum præ se ferentibus, ab epilepsia intereà per anni dimidium omninò immunis, & propterea successivè instar saniissimæ obesa, & colorata reddita. Ut adeò speraretur ab ea nunquam amplius affligenda. Sed ecce! dum quadam vice nihil tale præsagiret, repentè rursus epileptica concidit, recuperato quidem iterum pristino visu; econtra epilepticis insultibus iterum sæpe sæpius, uti prius, exacerbationes suas renovantibus.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXI.
DN. D. MARCI GERBEZII.
De
Remedio in hæmorrhoidibus quà fluentibus, quà dolentibus experto.

QUid hæmorrhoides ſint, quæque mala eas ſubinde adoriri ſoleant, legere eſt apud Hippocratem & paſſim apud Medicos practicos, præſertim apud Fromannum, Phyſicum Coburgenſem, qui de eis ſpecialem tractatum cum ſingulari ſui commendatione conſcripſit. Relego propterea eò Lectorem, qui de eis planè exactam notitiam addiſcere deſiderat. Hîc ego verò ſolùm refero, quid ego in memetipſo eis tam dolentibus, quàm fluentibus præ aliis remediis proficuum fuiſſe expertus fuerim. Patiebar autem earundem, interpolatum tamen, fluxum jam ferè per quindecim annos, priusquam eæ mihi dolere, vel nimio fluxu moleſtæ eſſe incœperant: poſtquam ante triennium autem ex itinere equo facto nimium incaluiſſem; eis ſubinde adeò dolueram, ut dolori ſufferendo vix par fuerim. Tranſierat verò ſucceſſivè tamen rurſus dolor hic: ſed qui poſt annum circa idem ferè tempus ad ſimillimam ex equitatione incaleſcentiam cum non impari moleſtiâ tamen rurſus redierat, & præterea cum ea ſanguinei fluxûs continuatione, & diarrhœâ, ut inde peſſundatâ ventriculi digeſtione, & attritis viribus vix non ſuccubuerim, non obſtantibus quamplurimis pro tunc in ſubſidium vocatis remediis. Demum eisdem tamen tantùm effeceram, ut ſucceſſivè rurſus me utcunque recollegerim. Quòd pertimeſcerem verò, ne ſæpius recurrens tam periculoſum malum me demum præcipitaret; cogitandum mihi eſſe rebar de certioribus remediis, quibus ulteriori recidivæ obviam irem. Et deprehenderam, quòd ſcrophularia, telephium, chelidonium minus, & millefolium præ aliis talia eſſent, quæ hoc malum curare, & demum etiam radicitus extirpare valerent. Reſolveram propterea eorum effectum experiri: Atque, quòd commo-

dissimus eorum usus mihi videretur esse in decocto; ea cum toto minutim concisa in aqua instar herbæ Thé decoquere solitus eram, & cum tantillo sacchari singulis, vel saltem alternis matutinis quantitate octo circiter unciarum calidè sorbilare: & sanctè dico me intra duos menses (observatâ intereà probâ victûs ratione) rem (laudes summo Archiatro!) eò perduxisse, ut jam in alterum annum, etsi intereà pluries equo peregrè profectus fuerim, inde penitus nullam perpessus fuerim molestiam: quin potius inde notabiliter carnosior, & coloratior effectus veluti renatus esse mihi videar, fluxu eorum quidem subinde intereà tamen recurrente; sed moderatissimo, & minimè molesto: quin imò vel ex eo proficuo, quod eo mediante humorum p. n. particulæ, quocunque demum titulo fortè sanitati aliàs nocituræ, evacuentur, ad mentem Hippocratis, qui diuturnas hœmorrhoides omnino cohibere prohibet 6. Aph. 12. salutares econtra esse deprædicat, si moderatè fluant 6. Aph. 11. & 21. Nec non 4. Aph. 25. Non dubito, quin idem remedium, quacunque demum formâ, præmissis præmittendis, & suppositâ debitâ victus regulâ sufficienti tempore continuatum, & præterea radix telephii ex collo per dorsum suspensa (qualiter eam gestavi ego, & gesto etiamnum) gestata sit infallibiliter quoq; aliis similiter affectis profuturum. Quod opto ex corde.

(*Labaco Augustam Vind. d. 24. Decembris Anno 1708. missæ.*)

OBSERVATIO CXXXII.

Dn. D. SAMUELIS SLOTZI.

De

Ubere Herbæ Kali proventu in Transylvania.

Quemadmodum Transylvania est salis feracissima, ita & Herba Kali: quod ideò annotandum duxi, quod, quantum mihi ex Botanographis, quos hic in librorum penuria habere potui, notum est, in Europa nostra, nisi ad quædam maris littora inveniri

veniri scribatur: cum tamen ego hic prope salis fodinas & aliis in locis aqua salsa irriguis, uberem ejus proventum comperierim. Est Kali geniculatum, ad cubitum & ultra assurgens, caule ex viridi rubescente, succo salso admodum turgidum, ac inde aliis herbis cæteris paribus ponderosius. Quamvis alibi apud opifices latissimus ejus esset usus: tamen ob ignorantiam nullus adhibet. Quibus vero morbis vulgus eam destinet, per turbulenta tempora diligentius investigare non licuit. Hoc tamen à quodam Præclaro Viro pro certo accepi, eam porcis ad scrophulas discutiendas ab Auditoribus suis cum fructu solere exhiberi: quam ille hinc quoque ab eventu scrophulariæ nomine, quamvis eo sensu Latinis non usitate, ad Hungaricæ linguæ genium honoravit. Plura, quæ de ea vulgo narrantur, quia non satis liquida, lubens omitto: quæ tamen si à pluribus confirmari advertero, cum erudito Orbe communicare non prætermittam.

OBSERVATIO CXXXIII.

DN. D. SAMUELIS SLOTZI.

De

Succino fluido in Valachia reperiundo.

AFfertur ad nos è proxima Valachia liquor oleosus, melleæ consistentiæ, saporis non nauseosi neque adeò exstantis, coloris subfusci, odoris penetrantis quidem, sed non adeò ingrati, &, si prunis affundatur, succinum æmulantis. Carabem esse fluidam, cujus meminit Paracelsus, puto. Ubi terram hoc oleoso liquore impræg natam antumant rustici; ad cubitos plures fodiunt, in foveisque collectam pinguedinem arundineis fasciculis excipere atque inde exprimere dicuntur. Usus ejus apud Incolas vilis, nam pro axungia ea utuntur aurigæ; quamvis nec hoc quidem semper impune. Nam nisi mature axis & frequenter aqua conspergatur, à veloci rotatione lentum ignem concipere, friabilis & fragilis reddi, imò in carbones fere facessere dicitur. Macerantur præterea in ea coria, ad fræna vel alium equorum apparatum destinata. Dicuntur enim non solum durabiliora;

cum æque aquam ac aërem unctuositas excludat; sed etiam, ut audivi, à culicibus & aliis infectis, in Hungariæ latifundiis æstate peregrinantibus valde infestis; sessores & eorum equos immunes reddunt. Quis hujus possit esse usus, non est, ut commemorem, cum plurima, si non omnia, quæ de Petroleo scribuntur, & huic convenire putem: hoc tantum dico, me non solum subitam illius vim anodynam in Paronychia intempestivo medicamento exasperata nuper observasse; & sub forma Tincturæ vel solo Spir. vini extractæ (quamvis, quin addito Sal. Tartari saturatior obtineri possit, non dubitem) in capitis doloribus à causa frigida illud cum emolumento exhibuisse: sed etiam, quod per digestionem & destillationem sulphur cinnabarinum combibat, non ita pridem expertum esse; ac inde sal volatile oleosum, via brevi & extemporali confectum, in certis casibus non sine successu adhibuisse. Neque tamen hic subsistam, sed plura experimenta & rariorem sulphuris cinnabarini in sal volatile conversionem cum DEO & die moliar.

(*Viratislaviâ Augustam Vind. à Nob. D. D. Sam. Grassio d. 2. Januar. An. 1709. missa.*)

OBSERVATIO CXXXIV.

Dn. D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.

De

Cachexiâ, hinc insecuta febre tertiana intermittente, ac demum ischuriâ 12. *dierum feliciter curata.*

Illustrissimus & Excellentissimus quidam Patiens, annos suprà sexaginta novem natus, tumore pedum œdematoso cachectico per plures annos afflictus, cùm nec deambulandi diurno, nec decumbendi facilitate nocturno tempore gaudere potuerit, utramque retardante & aggravante tumoris pondere, tot molestiarum pertæsus me in consilium sub proxime elapsi anni principium vocari jussit. Adveniens mox animadverti chylificationis negocium succumbere, Patiente hydropota, prandium amplum diversis

cibis

a
a
a
c
e
d
d
f
Caapeba
Clematis baccifera glabra et violacea rotundo et umbilicato folio.

cibis feriente, quietem tantum non perpetuam admittente, atque in conclavi spatioso, fornace destituto, camino quidem assidente, sed nihilominus aëris frigidi injurias, cum transpirationis insensilis notabili interceptione sustinente: Obveniebant adeò cum respirationis difficultate mox plura cachexiæ solita signa, & vapescentis cum spiritibus sanguinis indicia, quibus nephritici dolores sese subinde associabant. Medelam igitur anxiè expetenti daturus, nunc ad guttas xxx. cum juscule sumendum præcepi Elixir meum stomachicum sali volatili oleoso aromatico & spiritui cochleariæ nuptum, ei alternis vicibus substituendas suasi species ad instar Theæ superaffusa aqua calida sorbillandas, ex radic. chinæ, graminis, sarsæparillæ, bardanæ, liquiritiæ, scob. ligni sassafras, baccis juniperi, cassia lignea, cortic. Winterano, santalo citrino, visco querno, semine anisi Indici stellati, & passulis majoribus exacinatis concinnatas; sub prandii finem buccellam panis vino generoso dulci canarienfi aut moscato inebriatam deglutiendam suasi, horâ 5 pomeridiana pilulas præcepi assumendas numero 15. ex extracto trifolii fibrini, gentianæ, ligni aloës castorii croci antimonio martiali diaphoretico Ludovici radicari crudâ millepedibus præparatis, sale volatili succini, cinnabari nativa & cinnabari antimonii rectificata cum balsamo peruviano & oleo cinamom. macoris, menthæ caryophyllorum destillatorum aliquot guttulis pondere gr. 1. efformatas. Per intervalla Enema ex emollientibus & carminativis applicari curavi. Corpus universum semel usu pilul. hydropicar. Bontii cum mercurio dulci & trochiscis alhandali stimulatarum purgavi. Tumori pedum pediluvio ex aquâ fabrorum ferrariorum, cui fol. rorismarini, betonicæ, salviæ, chamæpytios, rutæ, flores chamæmeli, sambuci, summitates serpilli Sulphur. Nitr. & Alum. incocta fuerant, consulere allaboravi. Et enumerata quædam remedia, Deo ex alto benedicente, ex voto profuerunt, ut absumto pedum tumore libertati restitutus Illustriss. Dn. Patiens arce egredi & breve subinde iter suscipere valuerit. Obtigit autem, ut cùm ipso Saturnalium festo ad epulas in vicinia invitatus esset,

piſciumque eſui indulſiſſet, in febrem tertianam intermittentem incideret, cui remediis idoneis relevatæ illico dolor nephriticus ſucceſſit cum ſummo ciborum faſtidio ac vomitu, ſiti intolerabili, ac urinæ omnimoda ſuppreſſione, quæ quidem ultra diem 12. perſtitit, niſi quod interea bis terve quatuor urinæ ſabulo craſſo turbatæ guttulas ſaltem excreverit. Varia interea adhibita ſunt medicamenta qua interna qua externa: Inter illa erat Decoctum Foreſti, infuſum Theæ cum baccis juniperi, emulſio nephrocathartica Schrôderi, coloſtrum terebinthinatum, ſal volatile oleoſum cum ligno ſaſſafras paratum, diureticum & lithontripticum aliàs uſu probatiſſimum, pulvis teſtarum ovi calcinatarum, oculi cancr. ſal volat. ſuccini, cinnabaris nativa, ſperma ceti tum & alii pulveres lithontriptici compoſiti. Inter hæc Enemata ex emollientibus & carminativis ac diureticis, ſacculi & cataplasmata ex herb. chærefol. matricariæ, malvæ, parietariæ, mercurialis, floribus chamæmeli Romani, bacc. juniperi, alkakengi, ſeminibus dauci, aniſi, petroſelini, lini, fœnugræci, in lacte decoctis renum regioni admota, linimenta ex unguento dialth. ol. amygdal. dulc. ſcorpionum lumbric. terreſtr. petrol. albo, cum oleis deſtillatis ſuccini juniperi terebinthinæ rorismarini, carvi, aniſi confecta, ſuccoque ceparum ex pioſſo admixto attenuata. Irrita verò hæc omnia erant, accedebat angina ſpuria, tonſillarumque turnor deglutitionem intercipiens, injectis gargarismis ope ſiphonis mucus ſanguineo-pituitoſo purulentus viſciditſimus non tam ſcreatus repetito validiſſimo niſu rejiciebatur, quàm mediantibus digitis ori immiſſis extrahebatur. Atque hæc peragebatur ad diem usque duodecimum incluſivè fabula, inter querelas metumque mortis, ac ſalutis ſpem planè dubiam; dum Illuſtriſſimus Patiens vigiliis pertinaciſſimis fere exhauſtus ac nauſeabundus nec alimenta nec medicamenta accipere ullâ volebat, donec ingruente nocturno témpore multis argumentis à me ſe perſuaderi pateretur, ut horâ 9. hauſtum largiorem emulſionis, ad præſcriptum meum ex amygdal. dulcibus n. 12. & nucleis perſicorum num. 8. cum aq. ceraſorum nigrorum ab

ama-

amatissima Thori sociâ paratæ, ebiberet, idque bonum factum post horam elapsam repeteret: sic circà noctis meridiem erumpere cœpit urina effractis quasi claustris, & quidem primum ad aliquot uncias tota quanta sabulosa, instar aquæ luto sabuloso turbidæ, postea effluxit sanorum similis colore citrino conspicua, & quidem intra spatium quinque horarum ad mensuras Franconicas circiter octo, ut adeò divinam benignitatem, quâ ab imminente extremo vitæ periculo Illustrissimus Vir liberatus est, non satis deprædicare potuerimus. Ceterum per insequens biduum ipse commode satis vixit, nisi quod crebriorem ad urinandum stimulum persentiscceret, tunc demum verò excrevit tres calculos, quorum ultimus ob angulum prominentem acutum intra urethram adhærescendo aliquandiu commoratus est, donec ut urina studio aliquantillum retenta cum nisu ejaculatoris concitatiori foras expelleretur. Ab illo tempore Illustriss. Dn. Patiens optimè se habuit, Thermis Embdensibus Mense Majo feliciter usus.

OBSERVATIO CXXXV.

DN. D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.

Sistens os palati sponte ruptum & cum sonitu effractum.

MUlier quædam quinquagenaria defluxionibus seri acrioris catharrhalibus multum obnoxia, ulcus fistulosum tandem suscepit non procul à caruncula lacrymali oculi dextri, ex quo non solùm sanies purulenta per mentum propinquum ad nares sibi viam paravit, quin & supra sextum ossium maxillæ superioris par effusum curiosum illud effecit, ita ut fortean occasione oscitationis (cujus tamen ægra conscia se esse negabat) aut deducti plus solito oris ejusdem pars altera dimidia cum insigni fragore abrupta excideret, quam adjectum schema designatam sistit.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVI.

DN. D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.

Proponens ptyalismum salutarem in epilepsia ex accidenti concitatum.

ILlustris quædam virguncula annos 9. circiter nata, epilepsia sæpius correpta est erratica, nullam certam periodum servante, quam instantem sternutatio crebrior præsagiebat, vocatus ego cum duobus Excellentissimis Medicis consultationem instituì, atque præscripta sunt præter consueta evacuantia antepileptica varia; sic inducias quidem dedit malum, subinde tamen per intervalla modo longiora modo breviora redierunt paroxysmi epileptici. At enim verò cùm ego haud ignarus essem Parentem ejusdem *nunc* quidem vitâ defunctum, antehac lue venereâ correptum quam maximè fuisse, non immeritò in eam deveni suspicionem, virulentum venereum acidum à genitore genitæ quasi per traducem implantatum, & hîc præcipuam forte ludere tragœdiam, autor suasorque fui, ut Trochiscorum hermeticorum Celeberrimi Scretæ quatuor, & quidem in pulverem prius triti cum pulticula pomorum coctorum ægræ exhiberentur: sed ecce, quæ à servitio erant ancillæ hujus præcepti oblitæ trochiscos prædictæ virgunculæ tradiderunt masticandos & devorandos: tunc prima quidem die alvus sexies soluta fuit, altera autem cœperunt cum dolore intumescere fauces, lingua, palatum, gingivæ, demumque insecuta est aliquot dierum salivatio, etsi non intentata, optimo tamen cum eventu; ab illo enim tempore ab omni insultu epileptico immunis vivit virguncula: interea autem hæc observatio memorem nobis vellicavit aurem, atque tacite quasi insusurravit, Mercurii dulcis aut sub forma pulveris solùm dati, aut sub masticatione intra glandulosum oris contextum intimius admissi nunquam tutam fidem esse.

(*Altdorffio Augustam Vind. d. 20. Febr. A. 1709. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVII.

DN. D. JOHAN. CASPARI WESTPHALI.

Inquisitio in Salivationem Mercurialem, occasione salivationis spontaneæ epidemicè grassantis.

PEr variam humorum metastasin, horumque criticas excretiones, ac corporis à sarcina sua exonerationes, morborum faciem multum alterari, imò interdum in alium transmutari statum, ut plane novus exsurgat morbus, Medicorum Observationes ubique loquuntur; quin sæpe unus interdum alterius solet esse remedium. Pleuritides suppuratas & empyemata, aliosque morbos quamplurimos, nunc solis diarrhœis, & hæmorrhagiis criticis, nunc urinæ fluxu, hæmorrhoidibus &c. solvi, Medicis est quam notissimum. Ejusmodi metastaseos beneficio salivationem naturalem (sine nempe Mercurii seu argenti vivi usu ac applicatione institutam) colluviem copiosam sub lentæ viscidæque salivæ specie, citra ullam tussim aut screationem, ex glandulis ac ductibus salivalibus per os evacuare, compertum habemus. Unde Belgii Æsculapius experientissimus, *B. Sylvius*, salivationem artificialem Mercurio mediante excitatam *non-naturalem & medicam* vocat, hancque à *critica* & *symptomatica* rectè distinguit *Lib. IV. Prax. Tract. III.* §. 314. Quemadmodum verò Celeberrimus *Willisius*, Medicus quondam in Anglia Regius, in elegantissimo *Tract. de Anima Brutor. P. II. cap. 9. p. m.* 245. modò dictam Mercurialem salivationem ad tollendas sanguinis impuritates multum facere, scribere haud veritus est: Ita & Facultatis Medicæ Lugduno-Batavæ decus, Excellentissimus *Anton. Nuck*, in curiosissima *Hialogr. & ductuum aquosor. Anatome* talem copiosam salivæ excretionem non solùm post oblata Mercurialia, sed & spontaneo naturæ motu ortam, in febribus potissimum quartanis, sputo sanguinis, & melancholia, maximè salutarem observavit; non minus in illis affectibus melancholicis, ubi sanguis crassitie sua peccans, & tardius per canaliculos glandularum salivalium motus, necessario in vasorum extremitati-

bus moram debet nectere, & copiosiorem salivæ materiem suppeditare. Neque desunt salivationis criticæ exempla, mediante qua, salutari naturæ consilio, morbi alioquin admodum periculosi fuerunt sublati. Sic legimus in *Anno I. Ephemer. Nostrarum Curios. Decur. I. Observ.* 122. phthisicam quandam salivatione spontanea, sine ulla medicamentorum Mercurialium exhibitione, septem dies perdurante restitutam fuisse. Neque minus *in Anno IX. Decur. II. Observ.* 102. notatur arthritis ptyalismo seu salivatione spontanea soluta. Quendam febre ardente admodum periculosè decumbentem ejusmodi critica salivalis humoris excretione liberatum fuisse, observavit *Blegny in Zodiaco suo Medico Gallico Anni I. Mense Octobri Observat.* 7. Pariter ac in capitis dolore, odontalgia, gravi auditu &c. criticam salivæ excretionem sæpe levamen attulisse, testatur supra allegatus *Nuck l. c. p. m.* 37. Adeò, ut plura exempla ex Hoffmannorum Halensium, B. Ettmülleri, Wedelii aliorumque Clarissimorum Medicorum scriptis corradere, supervacaneum (& Lectori curioso atque experto tædiosissimum) fore haud abs re timendum sit. Hac vice describere & indagare placet salivationem spontaneam, quæ anno æræ Christianæ 1694. hic Delitii hujusque circulo & vicinia non solùm, sed & pluribus aliis in regionibus ac locis, Francofurti ad Mœnum, Berolini, Hanoviæ &c. uti ex literis Generosissimi Krugii aliorumque Excellentissimorum Medicorum exaratis patet, epidemicè grassabatur. Salivatio hæc, unà cum variolis confluentibus, hic locorum grassari incipiebat primo ineunte vere, qua sæpe duas & tres imò quatuor personas laborantes vel una domus habebat, quæ omnes iisdem planè in principio & incremento symptomatis maximè dolorosis affligebantur, quæ in salivatione Mercuriali aliàs obvia esse solent; tumore nempe genarum, linguæ, gingivarum, faucium, parotidum &c. in statu verò (evacuatis succis viscidis & glutinosis, interdum etiam primo in principio cruentis) succi apparebant tenues & aquosi, dictis oris & faucium symptomatis pedetentim remittentibus. Morbus hic, nescio quo fato, in Civitate nostra inter primas, quantum mihi constat,

constat, adoriebatur Sereniſſimam Duciſſam Saxo-Merſeburgenſem hic degentem, & Anno 1701. demum pie defunctam, cujus ſanitatis moderamen mihi tunc temporis injunctum erat. Laborabat nempe Sereniſſima hæc Princeps per aliquot ſeptimanas febre lenta lymphatica glandularum conglomeratarum, quam ſibi diuturno mœrore ex obitu filiæ ſuperſtitis adhuc unicæ & dilectiſſimæ, Sibyllæ Mariæ, Sereniſſimo Duci Würtenbergico Lineæ Sileſiacæ ſeu Oelsnenſis, Chriſtiano Ulrico (cujus glorioſiſſimum Vitæ Curriculum beatiſſimaque analyſis recenſetur in famoſiſſimorum *Novor. Literar. Hamburgenſ. Menſe Februar. Anni* 1705. *p.* 45. *ſeqq.*) nuptæ, cum totius corporis laſſitudine, artuum lancinationibus &c. contraxerat. Febris hæc, in qua ſaliva viſcida fauces & linguam incruſtabat, reſolventibus lenioribus remediis, *terræ foliatæ tartari liquori, tincturæ tartari, ſpiritui nitri dulci &c.* minus auſcultabat, quin aucto mœrore & ipſa febris in quintam ſeptimanam protraheretur, ſpretis à morbi contumacia dehinc vel ipſo ſale ammoniaco depurato, arcano duplicato &c. pulveribus immixtis, nec non *ſpiritu ſalis ammoniaci* (qui tamen non intenſe urinoſus, ſed ſalto urinoſus volatilis, æqualis à conjunctione ſalis ammoniaci & limaturæ Martis aut hæmatitis in florum ſublimatione acquiritur, mihi ſimilibus in morbis in uſu eſt) nec non *ſpiritu hujus balſamante Clauderi*, egregio aliàs in febribus lentis, ubi os & omnia viſcera ſalivari muco viſcido infarcta ſunt. Interim Sereniſſimæ huic nondum lecto affixæ proſtratus tamen appetitus penitus, ob increſcentem nempe lymphæ ſalivalis & ſtomachalis viſciditatem, vomitorium indicare viſus; ſed hoc exhij *ſyrupi rubi idæi emetici* (quo Lipſiæ ſine & cum addito ſaccharo ſuperbit Officina Linckiana ad Inſigne Leonis) concinnatum, præter binos pauciſſimæ materiæ viſcidæ vomitus aut potiùs vomendi conatus, nihil operabatur: adeoque hinc propinabam pilulas blandè purgantes ex *maſſa pilular. de gummi Ammon. Quercet. gr.* 12. *auri fulminant. non edulc.* gr. 5. additis *extracti trochiſcor. albandal.* gran. duobus, manu mea paratas, & *auro* obductas, quorum uſu matutino horis demum veſper-

vesperтinis ac post mediam noctem vix quater dejecit. Diebus quatuor effluxis salivam tenuem aquosam omni fere momento exspuebat, & sexto demum die lingua & genæ intumescebant, hicque ptyalismus in formalem salivationem Mercurialem, excepta faucium & palati erosione per omnia similem increscebat, & ad integram septimanam durabat. Hic morbi hujus lymphatici motus, hæc indoles, erat, nec ullus medicationis meæ effectus, utpote à nullo vel cinnabarino, vel Mercuriali medicamento excitatus, sed criticus potius naturæ motus hæc fuit salivatio, qui potiùs viscidum resolventibus succurrendo non intempestivè suppримendus fuisset ab aliis me inscio accersitis, morbi historiam minus accurate tenentibus, & aurum fulminans malè incusantibus. Sed qualis hæc argumentatio: *Aurum fulminans instar pulveris pyrii montes ac altissimas turres subvertit; quos ergo in corde ac reliquis viscеribus effectus edere non valebit, à calore febrili accensum?* Risum teneatis amici in praxi Chymiatrica versati! De Mercuriali quidem salivatione constat, illius remedium inhibens Aurum, adeoque & fulminans esse: Num verò idem & causans & inhibens esse possit, prudentioribus dijudicandum relinquo. Adeoque Casus hic insperatus Serenissimæ non minus quam mihi incommodavit: Illius animum ac gratiam à me, innocuo licet, alienavit: Illam ipsam verò incautis consiliis tradidit. Etenim salivationem hanc criticam importunè suppressam tertiana sequebatur, quæ chin-chinæ usu tractata, sublata quidem visa, sed cacochymiæ fontibus minus exhaustis Serenissimam diuturno imò continuo ad vitæ finem languori exposuit.

At vero tempus index rerum mihi succurrebat! mox enim morbus hic loci ulteriùs proserpens non solum fœminam quandam Nobilem, Generosissimi Domini à Dôring conjugem, in prædio Bendorff prope Delitium, sed & rusticam in Welckau multosque alios tam juvenes quàm adultos, eodem modo aggrediens absque ullo medicamento assumpto. Imò, quod mirandum, non solùm homines, sed & multæ feles & canes hic Delitii & quibusdam in pagis salivatione correptas ipse partim in propria fele vidi,

vidi, partim ab aliis audivi. Inter alios tunc temporis salivantes servus quidam & duæ ancillæ apud Illustrissimum Baronem de Scheiding, Regiæ Majest. Sueciæ Consiliarium Provincialem, in prædio prope Delitium Welckau & Storckewiz curæ meæ subjiciebantur. Qua occasione jam nominatus Baro, præsente Medico suo domestico, Domino *D. Petri*, Misenensi, Coætaneo olim meo amicissimo, hoc tempore Poliatro Mulhusano famigeratissimo, in mei quidem solatium, Medicorum verò dictorum opprobrium crassamque horum ignorantiam exaggerandam, salivationem spontaneam admirandam & admodum raram, in singulas decem septimanas mutabilem, retulit, quam ipse in Suecia ante decem tunc temporis (& quod excurrit) annos, post arthritidem diuturnam passus fuerat: primùm nempe per salivationem quotidie excrevisse tres cantharos præter propter liquoris sapore insipido quasi dulci; qua per decem septimanas continuata, insequentibus decem septimanis excrevisse liquorem saporis acidi; porrò per decem septimanas saporis amari; tandemque spatio unius anni cum dimidio rursus liquorem saporis acidi, una cum uvulæ tumescentis relaxatione: Quæ omnia, omnibus convocatorum Medicorum auxiliis incassum applicatis, sponte remiserunt, toto salivationis tempore maximè extenuatus, hac tamen superata per decem annos Holmiæ, posthac hic locorum in prædio Welckau, hactenusque per tredecim annos Lubecæ degens sanus vixit, utut singulis annis prædiorum causa in Sueciam & Livoniam iter instituere cogatur.

Inquirens paulo intimiùs in symptomatum horum causas, occasionalem causam miasmati varioloso, & quidem variolarum confluentium, ut eas *Sydenhamius nominat*, adscribo. Hæ enim tunc temporis grassabantur, sæpe cum salivatione vel doloroſa vel non doloroſa conjunctæ. Quibus autem variolæ pepercerunt, vel ut clarius explicem, quorum materia varioloſa viscida per poros cutis exitum non invenerat, illi aut per tumorem glandularum in inguinibus, aut subsequentem salivationem, levati sunt.

sunt. An recte sensserim, arbitrio Excellentissimorum Collegarum expositum volo.

Interim, quoad salivationis Mercurialis rationem formalem ac modum fiendi, adstipulari *Tachenio*, *Ettmüllero* aliisque non possum, quasi dicta pathemata dolorosa, in salivatione Mercuriali aliàs obvia, à sulphure Mercurii externo acriori naturæ quasi arsenicalis ortum ducerent: Cùm 1.) tam *à turbith minerali & arcano corallino auro vitæ* &c. in minima dosi, quàm tripla & quadrupla in proportione ac dosi à *Mercurio dulci*, imò externa *Mercurii crudi cum pinguedine porcina misti* largiore & diuturniore inunctione, adeoque longe diversa Mercurii quantitate, una eademque symptomata observentur, ita ut *turbith mineralis* aut *Mercurii* cujusdam *præcipitati* grana quindecim (ad grana tantum duo aut tria una vice ac quotidie) assumpta vehementiorem salivationem excitent, quàm ʒij, imo interdum ad ʒβ. *Mercurii dulcis* internè & partitis vicibus assumpti, uti & ʒiij aut plures *Mercurii crudi* linimenti forma membris illiti. 2.) Italos & Gallos, utpote quibus succi tenuiores & fluidiores, facilè & sine dictis symptomatis à propinatis Mercurialibus salivare, jam olim ab Excellentissimis Dominis *DD. Bohnio* & *Ettmüllero*, nec non *D. Wolfio*, Celeberrimo Lipsiensium Practico, aliisque sæpiùs audivi. 3.) Apud nos Germanos, propter succos viscidos & sæpe glutinosos, salivatio est maximè dolorosa, adeoque ante hanc instituendam attenuantia, balnea, purgationes &c. præmittere necessum habemus, quo succis attenuatis & liquefactis symptomata dolorosa in tantum præcaveri solent.

Potius itaque credo, dicta symptomata dolorosa in salivatione obvia oriri ab ipsius partim Mercurii, nunc simplicis nunc vario modo præparati & cum acido saturati, cum lympha aliisque succis acribus; acidis, aut acido-acribus subactione & resolutione, partim à nimia tubulorum salivalium angustorum nimis, & hinc fibrillarum in lingua nervearum, nec non glandularum palatinarum, distensione, hinc inflammatione, & occasione succorum acrium particulis Mercurialibus imprægnatorum excoria-

coriatione; propter impetuosam succorum simul crassorum & viscidorum impulsionem: Sicut & in salivatione Mercuriali, cum cautela & judicio instituta, sæpiùs observavi, quod genarum ac linguæ tumores, attenuatis prius per balnea, & resolutis, atque evacuatis per alvum succis viscidis, adeoque apparentibus tenuioribus, cito disparuerint. Optimè præ cæteris, quantum mihi constat, Mercurii in corpus humanum actionem, indeque salivationis modum, & rationem formalem atque effectus, explicavit *D. Frider. Hoffmannus*, Consiliarius Aulicus & Archiater Regius, in *Annotat. ad Poterii Opera p.* 22. & exasciatissima *Dissert. de Operandi Ratione Medicam. Evac. mechan.* §. 13. *p.* 17–20. *nec non Dissert. de Mercur.* §. 8. *seqq.*

OBSERVATIO CXXXVIII.

Dn. D. JOHANNIS CASPARI WESTPHALI.

Vomitus stercoreo-chylosus, alvo simul clausa, periodicus.

INter rariora contingentia, quæ Medicorum diligentiam exercere solent, & hic casus est mihi transmissus, curiosis stipatus circumstantiis: In vicinia nostra Vir juvenis 29. circiter annorum, facie pallida & cachectica, hominum consortia fugiens ruri degit. Hic vitæ inordinatione, asotia imprimis, quindecim abhinc annis hoc sibi conscivit vitium, ut scilicet annuatim certo tempore, per hyemem nempe à Festo Nativitatis Christi ad incipiens ver usque, à digestione ciborum peracta reliquiarum excretiones non per alvum, habitualiter hactenus morosam, sed per os, reddere cogatur, nisi quod parum liquoris serosi continuò per anum exstillet. Et quidem dicta illa vitæ inordinatio ab ætatis anno decimo quarto incepta hodienum continuatur hac ratione, ut singulo mane hora audita tertia lectum petat, quem circa nonam aut decimam, interdum duodecimam, meridiei demum relinquat, ac prandium tum assumat, ante prandium

verò

verò & ab eodem mox Tabaci ac cereviſiæ hauſtui per duas ac plures horas (hyeme ad veſperam usque) indulgeat, tunc à meridie tertia vel quarta ad horam usque ſextam œconomiæ operam navando agros ſuos percurrat, quo labore peracto, panisque butyracei tantillo comeſto, Tabaci cereviſiæque delicias diutiſſimè aſſuetas reaſſumat, easque quantitate ſat notabili, donec intempeſta nocte horâ circiter nonâ aut decimâ cœna, & abhinc usque ad tertiam matutinam Tabacipoſia cereviſiæque ingurgitatio denuo repetita cum Venere conjugali & ſomno abſolvantur. Quæ immoderata & planè deteſtanda vivendi ratio quovis die nec interruptâ ſerie continuatur. Interim & hoc notatu maximè dignum nuperis literis à domeſticis mihi perſcriptum eſt, quod præſentis anni hyeme Medicus quidam vomitus dictos ſtercoreo-chyloſos remediis laxantibus, hinc appropriatis ſtomachicis, minimè adſtringentibus, ultra duas ſeptimanas cohibuerit, alvumque ſimul hactenus pigram clyſteribus acrioribus revellentibus in ordinem redegerit; patiens econtra hic, proſtrato appetitu, doloribus abdominis & præcordialibus, vomendi conatibus, cephalalgia &c. vitam tam diu egerit valetudinariam, donec ipſa natura, optima morborum medicatrix, redeunte denuò appetitu reliquias ciborum excrementitias vomitu hactenus conſueto, ſuppreſſis iterum alvinis, per os promoverit: adeoque, hac aſotia non obſtante, præternaturalique excretione eodem modo procedente, de reliquarum functionum rectitudine non amplius conqueratur, craſſitiemque corporis haud contemnendam præ ſe ferat.

Quod ſi verò jam in cauſam formalem excrementorum viâ alienâ, eâque tempore ſolum hyberno, inquiramus, vitium duplex hic occurrere videtur, ſuccorum nempe in primis viis fermentantium, & fibrarum inteſtinalium ſtrictura præternaturalis. Occurrit quidem tale quid in paſſione iliaca, ſed non niſi cum inteſtinorum inflammatione gangrænoſa, adeoque cum lethalibus ſemper ſymptomatibus, quæ in hoc caſu non obſervantur: Exinde tamen ex defectu doloris abdominis inflammatorii,

torii, cohibito econtra nuper vomitu ſtercoreo reſerataque ac in ordinem ad tempus reducta alvo, indeque orta valetudine adverſa, una cum adjunctis præter morem doloroſis ſymptomatibus, paſſio iliaca minus, ſed ſimplex potius inteſtinorum tenſio atque occluſio, ſtatuenda videtur. Unde ſtomachus unà cum duodeno coactus, ac conſvetudine tandem ſic confortatus, adjuvante motu inteſtinorum periſtaltico inverſo, ſine magno incommodo reliquias excrementitias ejicit; præter ichorem illum, qui vel è ventriculo & inteſtinis derivatus & in iis prædictæ inteſtinorum ſtricturæ cauſa collectus, elapſus eſt; vel quod probabilius, è glandulis inteſtini recti, uti in hæmorrhoidali quodam fluxu hoc fit, exſtillaſſe putandus venit. Accedit fermentatio ac digeſtio ventriculi ſatis laudabilis in viro juvene, liquidorumque magis, quàm craſſorum, aſſumptorum facilius digerendorum, præterea fumigati Tabaci fermento continuò imbutorum, ratio. At enim vero phænomeni illius, quod excretio illa via præternaturali facta hyemis tempore ſaltem obſervetur, cauſa non adeo facile patet, niſi quòd illa forte in ſtricturam fibrarum inteſtinalium, hisque ac ſpiritibus animalibus impreſſam conſvetudinem ac memoriam quaſi, hyeme magis arctiorem, æſtate verò & reliquis anni cardinalibus remiſſiorem, rejicienda videatur. Aliorum tamen rectiùs ſentientium judiciis relicta hæc ſunto.

(*Delitio Auguſtam Vind. d. 27. April. A. 1709. miſſa.*)

OBSERVATIO CXXXIX.

DN. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI.

Ex Frigore Salus.

FRigoris Damna tot Obſervatorum calculo confirmata deſideranti longa ſerie proponit Ratio & Experientia, ut de rei fide dubitare, ſit ipſi veritati in faciem contradicere. Proptrea externus etiam aquæ frigidæ uſus pro nocivo à multis jure fuit habi-

habitus; cum ipse Hippocrates Libro de aëre, aquis & locis sect. 3. aquas ex nive & glacie omnium pessimas judicaverit, quæ non solùm visus hebetudinem producant; qualis exempli visus hebetudinis ex frequenti oculorum aqua frigida abluitione contractæ Fabr. Hildanus Cent. 1. Obs 27. meminit: sed etiam affectus alios paralyticos & præternaturales, de quibus præfatus Hildanus, Schenkius, Borellus &c. legi merentur, microcosmo sæpissime attulerint. Quam gravia verò autoritate non proletaria ex Frigoris, & cui naturaliter inhæret aquæ nivalis injuria corpori humano succreviſſe nocumenta observare licet, tam suavia interdum attulit languenti Frigoris asperitas levamina, ut è contrario, teste Batavorum quondam Æsculapio Joh. Heurnio, Prax. Med. Lib. 1. p. m. 31. Agathinus, doctissimus & antiquus Medicus apertè dixerit: Qui vitæ hujus curriculum sani perficere velint, frigida lavari aqua sæpius debere, eosque qui senectâ crudâ his utantur, roseo colore efflorescre ac robur induere, firmareque partes nutritioni dicatas. Nec eundem omni carere fundamento, exemplis patebit. Videlicet Juvenis XXVIII. annorum temperamenti sanguinei explendæ libidinis venereæ ab objecto maleferiato excitatæ desiderio, cum eodem prolixè & liberaliter se oblectabat; subsecuta paulò post virulenta, præternaturalis, involuntaria & dolorosa excretio, continua penis distensio, seminisque corrupti & putridi, lymphæque ichorosæ cum ingenti urinæ ardore aliisque symptomatibus, à seminalium & generationi destinatarum partium enormiori læsione & exulceratione, diuturnum profluvium. Ab initio malum hoc omnibus modis occultaturus æger, quibuscunque medicamentis ab imperito Agyrta acceptis efferæ morbi tyrannidi obicem imponere satagebat, sed frustraneo labore naturæ deficienti succurrit, usque dum degener morbi ferocia & illata corpori noxa eò adigebant salutis suæ parum hactenus providum, ut opitulatrices imploraret manus & ad sacram remediorum anchoram confugeret. Omnis in hoc puncto insumptus labor, ut excedenti profluvio objiciatur remora, consuetaque gradiri methodo

thodo consultum duxi, ipsius morbi curatione & symptomatum correctioni succursurus. Nec omnem spem destituit eventus: Siquidem post continuatum & non interruptum medicamentorum usum Orgasmus sanguinis repressus, seminisque proventus virulentus & nimius correctus & imminutus fuit, sed ciborum & potus inconvenienti ingurgitationi indulgens, amplexus redamatæ repetendo providum aliàs naturæ salutis avidæ molimen, non deficiente præsertim ægri robore, penitus convellebat. Sic morbus longiora temporis spatia emensus, violenta excedentique humiditatum profusione languentis aggravabat vires. Quarum tandem per medicamenta & imperato accurato Rerum sex non-naturalium regimine compos iterum factus, fluxum tamen adhibitis etiam per injectiones adstringentibus, siccantibus & fluxum cohibentibus per tempus benè longum non diminutum vidit. Cum dolores abesse & profluentem hactenus saniem emendatam, quanquam nondum penitus imminutam sentiret, consuetis muniis se rursus applicabat. Ad vitæ generis rationes frigidissima hyeme equo meritorio, adversus frenum tamen contumace, aliorsum vectus, post superatas cœli injurias ex improviso lacum illabitur, quem conglaciatum & undiquaque nivium copia obtectum observare non potuit. Ad pectus usque aquis immersus omnem operam & curam consumebat, quo citius putidam hanc sordium colluviem egredi posset; sed ferocia renitentis equi vectoris diutius ibidem detentus, cum tandem exivisset illud, nimio frigore obsessum corpus quasi contremuit. Ante noctem in diversorio Naturæ beneficio officii admonitus, effluxum partis affectæ imminutum, postero die nullum penitus præsentem observavit. Lætatus propterea mirum quantum cœlo gratias egit, quod ipsius auxilio, quamvis corpus profunda nive tectum & asperrimo frigore conglaciatum quasi fuerit, tam salubrem ab externo frigore susceperit medicinam, quà morbi contumaciam levatam seque integrum & incolumem conservatum nunc animadverteret. Hac via pristinæ sanitati restitutus pugilice jam & athletice valet, cumque à matrimonio quidem,

non autem exercitio complexuque venereo abstineat, ab ulteriori hujus hostis invasione alia ratione corpus præmuniri non posse ait, nisi post adimpletam libidinem corpus frigidæ insideat, ejusque lotione cuticula curetur. Quod ipsius, conscientiæ & experientiæ relictum volo: Ad minimum exemplo Clarissimi Garmanni, qui in Ephem. Dec. 1. an. 3. Obs. 41. viri cujusdam hyemis asperitate aliorsum equovecti & irrevocabili penis paralysi ex frigore affecti meminit, in totum contrariatur: Quin imò ipsius Aristotelis opinionem Lib. 6. de generat. anim. c. 2. quâ homines ab aqua gelida in venerem segnes reddi asserit, hic indomitæ effrenatæque libidinis Juvenis suo exemplo refellit.

Alterum quod succurrit ex Frigore receptæ salutis exemplum sartoris apud nos C. G. Filiæ, Virgini annorum viginti & unius, non ita pridem accidit. Hæc cum menstruationis tempore potum paulò frigidiorem pro consuetudine ingurgitasset & præterea Teganitas, lacticinia similiaque crudiorem chylum generantia avide assumsisset, lassitudine artuum & difficultate respirandi, præsertim si corpus commoverit, cum omnimoda fluxus lunaris obstructione exercebatur. Progressu temporis Pallor faciei, deinde Cachexia totius corporis subsecuta cum symptomatibus mali moris. His per appropriata aperitiva & incidentia ad visciditatem incidendam & evacuandam, obicem imponere allaboravi, imo cum Ebullitio sanguinis, Palpitatio Cordis ac metus suffocationis æstusque Venæsectionem urgerent, eandem ad vota languentis viraginis haud difficulter permisi, & præterea instante mensium motu neutiquam per acriora moventia, ut quidam perperam Virgini autores fuerant, sed per mitiora, cumprimis fomentationes consultum ivi, quæ plus simplici vice voluntati respondisse certo asseruerim: Laterem tamen me lavare deprehendi, cumprimis quod Virgo diætæ parum patiens, placentis corpus saginaret & incongrua quævis implacabili stomacho imprudenter satis ingereret. Cum per tempus bene longum ita infelix judicata obambulasset, omnemque proficuum aliàs his languentibus medicamentorum usum penitus

eju-

ejuraſſet, fortè fortuna vicini cujusdam Coriarii domum inviſitans & cum ipſius domeſticis per aſſerem nivibus & ſtiriis undiquaque induratum circumambulans, lapſu pedum in ſubterfluentem fluvium Olaviam præterita hyeme præceps dabatur. Hujus frigoris vi cum corpus ipſius egelidum, ſingultus pertinax, animi deliquia ſtatum in pejus declinantem indigitaſſent, mira Naturæ criſi pertinacem hanc menſium obſtructionem circa noctem procul dubio lapſu in aquam frigidam reſeratam fuiſſe exinde colligo, quod ab eo tempore Balnea calida & quoscunque fotus calidos ſummoperè deteſtetur, è contrario verò ad eliminandas à corporis ſuperficie ſordes frigidiſſima aqua absque ulla corporis noxa utatur, niſi catarrhis acribus & ſalſis ad oculos præcipuè delabentibus & miris interdum in capite congeſtionibus, pedumque eryſipelatoſis tumoribus corpus cruciari ſuſtineat. Sic frigus quod ad coagulandos & graviter alterandos humores efficax eſt atque communiter, imò veluti directe poſt ſe trahit peripheriæ corporis contractionem, occluſas has vecte quaſi trabali vias mira certè energia haud difficulter reſeravit: Ut ergo Virginem ex neglecta diæta cumprimis à pernicioſo interno frigidorum uſu morbum, ab inopino verò eorundem externo acceſſu & efficacia diu deſideratam ſanitatem recuperaſſe probabile ſit.

Tertium quod novi ex frigoris aſperitate gratum agrotans levamen ſenſit Molitoris cujusdam in ſuburbio Vratislavienſi Uxor. Hæc cum Paſſione hyſterica â primi Puerperii tempore ſatis graviter exagitata fuiſſet, nullum unquam præſentius mali hujus Antidotum ſe habuiſſe aſſerit, quam ſi libero aëri, omnibusque frigoris injuriis, ſi ipſa paroxyſmi tempore egredi non poſſet, â domeſticis media etiam hyeme exponatur: Quo temporis articulo ſpretis hypocauſti calefacti delitiis, utplurimum liberiori fruitur aëre, nec eosdem ac æſtivi ſolis tempore experitur tàm crebrò recidivantes ſuffocationis Paroxysmos.

Aliàs internum aquæ frigidæ uſum veteribus Germanis non tantum reſtinguendi æſtus cauſa dum ſani eſſent, ſed etiam

tum cum ſanitatis jacturam quandam paterentur, fuiſſe ſolennem Celeberr. Conringius de cauſ. habit. corp. Germ. paſſim teſtatur. Frigidam etiam laudatam ab Hippocrate videas L. 2. de Morb. XXXVI. in febre bilioſa, Popular. V. XIIX. in doloribus ventris, ipſeque Plinius Aſclepiadem frigida in morbis data ingens ſibi nomen acquiſiviſſe Hiſtor. nat. Lib. XXVI. cap. 3. gloriatur. Quale in aquam frigidam inſeſſus producant emolumentum Joh. Theodor. de Bry exemplo Indorum exponit. Hos enim febre correptum ipſo paroxyſmi tempore frigidæ immergendo undiquaque abluere & ſubitam tandem exuſcitando flammam, quam foliis & cortice ſicco nutriunt, ægrotantem, ut eandem per aliquot horas circumcurſitet, ſtrenuè adigere, ſicque inopem hactenus virium ab innumerabilibus febrium ſpeciebus, aliarum impetu ſubeuntium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quaſſatione venientium, præmuniri, ſolidæque ſanitati reſtitui Part. X. Americæ confirmat. Haud diſſimile Excellentiſſimo Dn. D. Ottoni Helbigio ſuccreviſſe commodum de ſemetipſo Miſcell. Cur. Dec. I. An. IX. & X. Obſ. 194. no. XX. fuſius memorat. Siquidem cum Anno 1677. Menſe Novembri & Decembri gravi Dyſenteria conflictatus fuiſſet, cujus pertinacia omnes medicamentorum conatus eluſerit, totumque corpus invalidum adeò & imbecille reddiderit, ut ad poſtremum reſtitans perexigua ſalutis ſpes de inevitabili ex hac vita migrandi neceſſitate eundem commonefecerit, tandem de inſeſſu in aquam frigidam cogitans, ſuaſu quorundam ſuper rem periculum facturus, cum propria facultate deſtitueretur, per alios in locum huic negotio ſuſcipiendo adaptatum ſe manibus vehi curabat, balneumque alienâ ope ingrediebatur: ex cujus repetito aliquoties uſu à periculoſo hoc morbo ſe incolumem emerſiſſe, & poſtmodum febre bilioſa cum intenſiſſimo capitis dolore, involuntariis vigiliis, vomitu, diarrhæa & doloribus inguinis ſe diſcruciatum ex frigidæ inſeſſu denuò cum ſanitate in gratiam rediiſſe ibidem gratus fatetur. Veriſſimum ergò Ciceronis Lib. 2. de Nat. Deorum effatum

fatum censeam, cum inquit: Opinionum commenta delet dies, Naturæ Judicia confirmat.

OBSERVATIO CXL.

Dn. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI.

Duorum casu ab alto oppressorum Anatome.

TErtius circiter agitur annus, ex quo Templum S. Mariæ in Arena Vratislaviensi hinc inde labefactatum restauraretur. Ad illius fenestras Operarius quidam plebejus, infimæ sortis homo, muneri satisfaciens præ quam speraverat una cum aliis duobus ex suprema per eosdem facta contignatione præcipiti casu delabebatur, unicus qui subitanea morte naturæ cedebat. Hujus exanime corpus subsequenti die cultro anatomico relictum, in præsentia Dn. D. Joh. Georg. Dæckheri, Practici Vratislav. per Chirurgum in arena ibidem habitantem, câ qua fieri potuit, attentione pervestigatus sum, in quo plurima oppido rara & notatu digna observavimus sequentia:

(1.) Habitus corporis universus omni pinguedine destitutus & cutis color luridus, pustulisque hinc inde majoribus, imprimis infima ventris & lumbaris regio maculis epaticis tota obsessa conspiciebatur.

(2.) Omentum tenue, inflatum quasi & omni ferè pinguedine destitutum ad attactum ingentem fœtorem spirabat.

(3.) Intestina collapsa hinc & inde inflammationis notâ corrupta videbantur: Aperta muco veluti oblinita vermibus scaterbant: imò ex ipsa Bauhini valvula lapillos duos fabæ majoris magnitudine, coloris flavescentis, crassiusculos, variisque inæqualitatibus præditos extrahebamus.

(4.) Colon circa Ilia siniſtra arctum nimis & inflatum erat.

(5.) Hepar insignis magnitudinis utrumque hypochondrium ferè implebat: Durioris indolis sub ensiformi maximè cartilagine, diaphragmati firmiter accreverat, â quo absque parenchymatis dilaceratione divelli non poterat, maculis cineritiis majoribus passim deformis.

6. Ve-

(6.) Vesicula fellea bile destituebatur, sed hujus loco pauxillum quoddam salini saporis serum continebat.

(7.) Lien exiguus decolor & exanguis.

(8.) Renes naturaliter videbamus constitutos, præter succenturiatos, qui sanguineo atroque perfusi erant colore.

(9.) Sub his Musculus Psoas siniſter pus benè coctum consistentia seri lactis continebat.

(10.) Ventriculus in omnibus benè se habebat, tum quoad figuram quàm situm, nisi quod interne in fundo ejusdem aliqualem rúborem observaverim, præsentis inflammationis notam.

(11.) In Cavitate pectoris ingens copia extravasati sanguinis reperiebatur, qui propter disrupta quædam vasa sanguifera & diffractas ab utraque parte costas ferè omnes se abunde diffundebat.

(12.) Pulmonum Lobi sicciores, cumprimis siniſtri pulmonis lobus inferior scirrhosus cum thymo itidem scirrhoso aliqualiter cohærebat.

(13.) Pericardium ichore copioso infarctum erat, qui ex inconsiderantia naribus admotus fœtore nobis gravis fuit.

(14.) Cordis ventriculus siniſter aliquot sanguinis grumos exhibebat.

(14.) Venter supremus replebatur sanguine extravasato, qui ex ventriculis turgidis undiquaque emanando ulteriori partium contentarum inquisitioni imponebat finem. Derelictam ipsius Viduam & Liberos paternorum morborum ignaros, quodnam malum eundem dum viveret discruciaverit, penitus fugiebat, latebat.

Alter infelici casu ab alto oppressus Murarius erat. Hunc ab ineunte ætate caligine oculorum & vertigine, quamdiu vixerat, sæpissime correptum concidisse & aphonum domum deportatum fuisse Uxor & agnati affirmabant. Cumque ante annum & quod excurrit in Neapoli nostra Vratislaviensi ad Latera Templi Bernhardiniani pro vitæ generis ratione operas suas impenderet, subitanea vertigine correptus de scala concidit infelici-

liciter ſicque confeſtim exſpiravit. Mortuo foras elato, penſitatis â caſu externis cranii læſionibus, illud per Chirurgum ibidem habitantem removere curavi, quod in concava ſui parte, ubi ſutura ſagittalis cum coronali concurrit, perforatum videbatur, mucore albo & inæquali ſuperficiem inveſtiente. Accuratius rei inſiſtentes, cariem interioris laminæ partem magnam abſumſiſſe deprehendebamus, quâ etiam dura Mater, quousque ab arroſo oſſe tecta fuerat, deperdita conſpiciebatur. Vaſa ſanguifera eleganter prominentia ad rupturam atro ſanguine turgeſcebant & medullaris cerebri ſubſtantia ſpiſſiſſimis punctis rubris conferta, anterioresque cerebri ventriculi ichore copioſo repleti inveniebantur. Corpus reliquum feſtinandi ſtudio intactum reliquimus.

OBSERVATIO CXLI.

DN. D. GODOFREDI DAVIDIS MAYERI.

Gutta roſacea Errhini usû curata.

VIr Pellio J. H. victu crudiori, imprimis eſu braſſicæ muriaticæ & lardi addictus, rubore primò circa naſi radicem puſtulisque paſſim per faciem conſpicuis divexabatur. Cum exanthematum harum multitudinem reiterata ſcarificatione tollere laboraret, malum in brachia, dorſum & pectus deducebat, unde Orthopnœa ſe interiturum credidit. Tandem cum frequentiorem cucurbitularum applicationem intermiſiſſet, coacervatis in facie varis nanciſcebatur Guttam roſaceam, quam abuſu ſalitorum & acidorum, quorum cruditas ex ſtomacho ad Maſſam ſanguineam deferebatur, indies adaugebat. Diætæ convenientioris commonefactus, abſtineat à ſalitis, pinguibus, acribus & quotidiana ſpiritus vini ingurgitatione, & victu potius tenui & refrigerante unà cum remediis convenientibus utatur, cujusdam tamen ſuaſu Herbam Nicotianam Hanovienſem communem ſiccatam & in pulverem redactam, naribusque ſæpius attractam inſtar errhini adhibebat, ex cujus aſſiduo per dimidium an-

num usu, diætæ legibus non adeò accurate observatis, cum ob alias rationes me postmodum consuleret, omnibus aliis remediis susque deque habitis, se ab hoc malo feliciter restitutum fuisse Pellio gloriabatur.

Hanc medendi methodum citra rationes non esse susceptam ex Errhinorum agendi modo colligendum. Etenim eorundem energiæ ratio in sollicitatione, irritatione ac vellicatione membranæ narium sensili consistere, quis est, qui neget. Hanc autem tunicam numerosissimis vasis sanguiferis intertextam testatur Celeberrimus Anatomicus Vieussens Neurographiæ c. 1. p. 188. Unde occasione Errhinorum vasa hæc cum tunicâ pituitaria, utpote fungosa, spongiosa & glandulosa parte, ejusq; productiones vellicantur, solidumque & fluidum in motum rursus concitatur, sicque massa sanguinea ingenti viscidorum humorum copia liberatur, & nova serositatis materia hac ratione cerebro utilissime subtrahitur: Quicquid in contrarium de usu hujus excerniculi publice speculatus fuerit Conr. Vict. Schneiderus in diffusæ Eruditionis scripto de Catarrhis, aliique &c. Propterea non inconvenienter Clarissimum D. Joh. Chr. Wolfium in Scholiis ad Observationes Chirurgico-Medicas Observatione XIII. statuisse judico, cum partes quasdam errhinorum Arteriarum tunicas penetrare & sanguini commixtas ad Cerebrum devehi ibidem edocuit: Siquidem vi activitatis Humores circa Cerebri promontoria collectos & simul quicquid ibi hæret attenuare, serumque restitans ad fortiorem motum incitare quam optimè possunt. Discussio enim stagnantium humorum, inque ordinarium circulum actio, ut in allegato casu, ita non minus in aliis similibus primarius existit Medicamentorum finis.

(*Vratislavia Augustam Vind. d. 24. Julii An. 1709. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXLII.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Lue gallica cum pustulis extuberantibus motu febrili satis intenso ad peripheriam corporis protrusis.

IN vulgus usque nota sunt varia pustularum ac tumorum, quibus ii, qui in turpi obscænarum libidinum luto volutantur, defœdari solent, genera; iisque enarrandis minimè modò nos occupabimus: hoc verò, cujus jam jam aliquod facere indicium animus est, sive *modum eruptionis* sive *figuram* spectes, paulò rarius, ac quantum memini, non nisi semel à me visum, aptumque adeò, quod etiam solertem Medicum in errorem inducat. Femina non multò quadragenaria minor (quæ culpam infectionis deinceps non semel, in nescio quem conjiciebat) temperamenti sanguinei ac cholerici ingenii fervidioris, iracundiæ dedita, duarum prolium in conjugio mater & passionibus hysterici, quod menses parciùs fluerent, obnoxia, adultô autumnô de graviori capitis dolore, perquam ei alioquin familiari, conquesta per aliquot dies, tandem circa quartam pomeridianam post insignem rigorem in vehementem incidit æstum, qui dorsi ac capitis dolorem longè graviorem eô, qui ante afflixerat, comitem habebat, ac per noctem duravit. Circa matutinum tempus ingenti sudore profusô & calor & capitis cruciatus minui videbantur, fluxit etiam dies ita, ut non haberet, de quô adeò conquereretur. Circa vesperam mala, quæ pridie fatigaverant, omnia recurrebant. Id quod & quatuor sequentibus diebus ita evenit. Septimo die manè per faciem ac totum corpus copiosissimæ erumpebant pustulæ. Hæ referebant figuram variolarum latiorum, & sanè non potest ovum ovo esse similius quàm maculæ istæ protuberantes prædictis variolis, *modum eruptionis & maturationis* si excipias. Neque enim, quod in variolis fit, pustulæ primò rubræ tenuissimarum acicularum puncta æquantes prodibant, ac deinde in aliquam magnitudinum attollebantur,

tur; sed à primo eruptionis momento pustulæ nostræ eam, quam postea citra augmentum servârunt magnitudinem, nactæ sunt: neque instar variolarum ad maturitatem & suppurationem pervenientes pus fuderunt, sed ultra tres septimanas *absque ullâ formæ externæ permutatione* sibi semper similes perstiterunt. In *circuitu suo rubebant*, in *medio verò albescebant*. Postquam una alterave ex his esset aperta non pus sed *substantia quædam pinguedini porcinæ simillima* deprehensa in iis fuit. Absque ullô ægræ dolore etiam asperiùs contrectari poterant. Ea, quæ organa motui dicata obsidebant, ingressui brachiorumque extensioni impedimentum objeciſſe, non est mirum. Febris interea, sicuti à primô initio fieri sueverat, circa vespertinum tempus per tres hebdomadas & ultra ingravescebat. Quicquid ordinariorum remediorum tentaretur, id frustra fuit ac minimè sufficiens vel ad febrim expugnandam vel ad pustulas abigendas, donec continuato Mercurii dulcis cum absorbentibus & bezoardicis misti usu ptyalismus excitaretur. Cùm salivatio per justum tempus debite succeſſiſſet; & febris remittebat, ac pustulæ sensim evanescebant, ut præterlapso mense nulla amplius in corpore reperiretur. At, quod ægra dolet, *notabilia vestigia ac deformes* (dilutè scilicet *rubentes*) *maculas* morbus post se reliquit. Sparsim hisce nostris maculis pustulæ quædam squammosæ, quæ sub crustâ putrilaginem quandam continebant, interjectæ erant, quibus etiam externa fuerunt applicata remedia, eô eventu, ut absoluta salivatione & illæ disparuerint.

OBSERVATIO CXLIII.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Peste nuperâ Rosenbergensi.

ETiamsi fama pestis in Polonia (A. 1708.) totam Europam pervagata sit, ac dirus morbus panico terrore vicinos omnes impleverit, meritò tamen mireris, quòd in hunc usque diem de origine, motu, progressu &c. ejus non recte constet. Adeò disso-

diſſona ſunt, quæ hâc de re ad nos & literis & communi ſermone fuerunt perlata, ut meritò ambigas, cuinam narrationi fides ſit adjungenda? Vero mihi proxima viſa eſt Medici cujusdam Itali, qui Cracoviæ ſedem fortunarum conſtituit de origine & progreſſu mali relatio. Ea verò vult, *Leopoli in Ruſſiâ nigra*, quam primariam totius provinciæ urbem multi Armenii mercatores incolunt, in *eâdemque ſui ritus Epiſcopum* habent, teſte *Simone Staravolſcio in Polonia ſua pag.* 113. inter hos ipſos Armenios peſtem fuiſſe graſſatam; ab Armeniis infectos Judæos, ab his malum hoc ad alios propagatum ac fortè etiam in fomite (ſicuti ante paucas ſeptimanas contigit fere ad limites Sileſiæ per advectam ex agro Thorunienſi, in quo peſtis anno præterlapſo ſævierat, ab iisdem Judæis lanam, nam cum hanc Hebræi inter ſe diviſiſſent, ſeptem ex illis proximâ nocte peſte correpti perierunt, aliosque infecerunt, ut ex literis Mercatoris Liſſenſis didici) tum aliorſum tum Cracoviam regni Poloniæ Metropolin delatum eſſe. Cùm verò *in una pentapoleos iſtius parte* Polonus degeret miſes, isque cum recutitis conſuetudinem non fugeret, immemor illius Senecæ lib. 4. de *Ira cap.* 5. *in peſtilentia cavendum eſt, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipſo laborabimus*, non tantùm ipſe peſte correptus eſt, ſed & Civitatem Cracovienſem infecit, ac cum ex urbe hâc exceſſiſſet, per vicinos agros latè contagium diſſeminavit. Serpſit lues peſtifera ex minori Polonia in majorem, ac magnam edidit ſtragem. Intimâ erga patriam ſuam Illuſtriſſimus Dominus Ponintzki ductus commiſeratione, Bavarum quendam Medicinam profeſſum, conſilio meô aliorumque Medicorum atque remediis alexipharmacis optimæ notæ, pecuniâ etiam & commeatu inſtructum miſit in Poloniam, tùm ut maligni ac peſtiferi morbi morem modumque obſervaret, tum ut miſeris pro virili ſuccurreret, ſanosque â contagiô præſervaret. Sed eum planum vaniloquumque fuiſſe, eventus docuit; venditis enim quàm cariſſime intra paucos dies in Polonia pharmacis clanculum, uti fama erat, ac doloſe Vratislaviam ingreſſus eſt,

iterumque, cùm rumor de ejus adventu increbuisset, metu pœnæ inde sese surripuit, nec unquam, quantum quidem constat, huc malum pedem denuò intulit. Interea dum lues crevit eundo, ac didicere damno suo *Silesii in ducatu Oppolienſi* ac hos inter præcipuè incolæ oppidi mœniti Rosenbergensis (quod 14. à Vratislavia milliaribus distat) nec non pagi quidam in dynastiâ Wartenbergensi *Conversationem pestilenti morbo laborantium minimè tutam ac periculum esse, ne concipiatur ut scabies & lippitudo, prout jam olim monuit Galenus.* Dum enim reculas quasdam & vestes, quibus Poloni usi fuerunt, emptitarent, & deinceps usurparent, in eundem cum Sarmatis morbum inciderunt. Auxit eum vehementer annonæ caritas tùm in Poloniâ tum in finibus Silesiæ. Venienti occurrendum esse morbo rati Patres Patriæ nihil quicquam omisere, quod ad malum in herbâ suffocandum esse necessarium, præteritorum experientia, eximia prudentia ac Charitas Christiana dictitaret. Inter alia expedire judicatum fuit, ut actutùm ad loca infecta cum necessariis mitterentur remediis Medici. Et voluêre quidem Principum ac inclytorum Silesiæ Ordinum delegati, ut cum Dominis Physicis Vratislaviensibus publico stipendio conductos Medicos ego quoque consilio adjuvarem. Quod & eâ, qua decet promptitudine ac fidelitate pro virili factum. Inter Medicos ille, qui in dynastiam Wartenbergensem concessit, violentiâ morbi post diligentem ægris navatam operam in flore ætatis extinctus est. Duo alii die 18. Julii 1708. Rosenbergam venerunt, & adventûs sui causam ex Cathedrâ sacrâ per Sacerdotem exponi fecerunt. Invaluerat magnoperè funesta lues & tot homines jugulabat, ut asseres pro construendis feretris vel capulis non sufficerent. Eò autem magis deploranda erat miserorum conditio, quòd non supperetet locus ullus, qui ægros cum ferali morbô luctantes à ventô, pluviis ac reliquis aëris injuriis tutos præstaret, quòd deessent, qui curam eorum, prout necessitas exigebat, gererent. Postquam enim pestis illos, qui in se opus humanitatis ac charitatis pleniſſimum inserviendi pestiferis susceperunt, eorumque familias abstulisset, in-

infecti in tuguriolis ex virgultis rudi manu conſtructis omni ferè humanâ ope deſtituti emarceſſebant. Novi illi, qui mortuis in hoc munere ſurrogati, ſe rerum ſuarum ſategiſſe arbitrati ſunt, quoties eminùs aliqua medicamenta in terra depoſuiſſent, aut alimenta quædam hoc modo obtuliſſent. De genio ac more virulenti morbi hæc ab altero Medicorum poſt medium Novembris, cum jam ineunte autumno de vehementia multùm remiſiſſet lues, apud ſuos re benè geſta reduce, ad publicum Sileſiæ delegatorum conventum, à quo miſſus fuerat, relata ſunt: Omnium maximè ſæviiſſe luem tempore dierum canicularium. Sub initium adventus ſui ægros ferè ad quartum uſque diem imò diutiùs adhuc fuiſſe ſuperſtites, illos ſtatim poſt invaſionem in gravia lapſos eſſe deliria, ita ut inter eos repertus fuerit, qui *ſanos inſtar canis rabidi aggrederetur, augeſcente vero ſolis æſtu auctum fuiſſe morbum*, timidiores repente collapſos ac de dolore capitis, vertigine, nauſea cum conatu vomendi ac vomitu, anxietate, palpitatione cordis, tenſione in artubus ac debilitate maxima conqueſtos, cordatiores verò peſtiferis miasmatibus infectos non ſtatim decubuiſſe, quamvis de morbi præſentia in his vultûs pallor maximus, in aliis inſignis flavedo non ſineret dubitare, nihilominùs tamen brevi invaluiſſe ſymptomata cum majori vehementia, acceſſiſſe leipothymias, ſuperveniſſe jectigationes vehementiores quàm in aliis, & ardorem maximum, ſummam reſpirationis difficultatem, linguam & fauces aphthis nigris fuiſſe obſeſſa, nonnullos etiam, continuis vomitibus fuiſſe fatigatos; (facile crediderim hæc eveniſſe iis, quorum vultus rariori flavedine fuerat tinctus, verbo cholericis) nonnullos contra ſtertuiſſe quaſi lethargicos. Profundoque ſopore ſepultos jacuiſſe, quod veriſimile eſt, accidiſſe iis, qui dùm adhuc titubante pede obambularent, pallidiores fuiſſent & phlegmatici temperamenti. Nec defuerunt, qui enormes hæmorrhagias perpeſſi & motibus convulſivis fatigati, quos credibile eſt fuiſſe ex ſanguineorum cenſu. Annotatum etiam illud fuit, quod vermes à paucis partim per os partim per alvum excreti fuerint, quod in illa ciborum crudorum

ac fortassis etiam seminibus vermium fœtorum ingluvie non est admirandum, nec facilè concludendum, quòd notæ opinationes Kircheri, Langii, Paullini, aliorumque inde confirmentur. Frequentissimè hic Loirniater maculas in ægris conspexit varii coloris, saturate, inquam, rubicundas, flavescentes, lividas, nigras, quæ ultimæ plerumque fuerunt lethales. Pauci etiam illorum fauces mortis effugerunt, in quibus carbunculi & anthraces cum vibicibus, sicuti in multis fuit notatum, sunt deprehensi. His verò multò fortunatiores extiterunt, in quibus natura bubones modò plures modò pauciores protrusit, qui omnes incolumes evaserunt. Hos inter opificis alicujus filia & Chirurgus eò magis notandi, quòd cùm diligentem hic in curandis istius bubonibus collocâsset operam, à virgine non ingratâ post valetudinem recuperatam vices Chirurgi quodammodò supplerentur, quando illum eadem fata urgebant. Felicis curæ exitus is fuit, ut ægrotus, superato utrinque morbo, cum virgine istac sacratius amicitiæ fœdus pangeret & cum eâ matrimonium iniret. Nolim esse curiosior, an, quod Thomas Morus *in Utopia sua* fieri fingi, hìc verè factum sit, & num hi ante fœdus matrimoniale nudata inspexerint corpora, & si verè id contigit, necesse est in neutro fuisse inventum, quod alterutri nauseam moveret. Istud verò potissimum in hoc nostro morbo est memorabile, sudores *etiam largos & continuos*, quibus non immeritò plurimum tribuit Sydenham in curâ *morborum pestilentialium* absque bubonibus vix fuisse salutares, & cum per alexipharmaca nonnemo sudores multoties concitâsset, erupisse tandem admodùm fœtidos, qui non solùm violaceo colore indusium tingerent, sed & in putrilaginem dissolverent. Confirmavit experientia, quod Cl. Mindererus expertus, si quis alius, Loimiater asseverare non dubitavit, omnia alexiteria post 24. horas oblata esse inefficacia, cui rei etiam abunde fidem facient doctissimi *Giseleri observationes de peste Brunsuicensi* debitâ attentione lectæ. Initio naturâ nondum exhaustâ ac enervatâ miasmati venenato opposita fuere remedia alexipharmaca in robustioribus *Tinctur. bezoard. D. M. ad* 80.

ad 80. *imò* 150. *guttas in aceto bezoardico*; debilioribus verò ac infantibus *eſſentia ex radicibus alexipharmacis & ſcordio parata* fuit exhibita, ut & pro re nata in doſi refractâ diaſcord. Fracaſt. pulv. pannonic. rub. bezoard. D. Senn. &c. licet verò tincturæ bezoardicæ eo, quo dixi, modô propinatæ præ aliis palma tribuatur, & ad uſum ejus ſæpe bubones nonnunquam & carbunculi prodiiſſe memorentur, credibile tamen eſt non fuiſſe etiam corporibus quadratis à Cl. Dominis Medicis eam promiſcuè datam. Monitum hac de re *Thoneri* profectò eſt quantivis pretii: *Illud autem, ait, in peſte curandâ obſervandum exiſtimo, aquas bezoardicas & antidota ex calidioribus concinnata ingredientibus non indifferenter, ſed cum judicio præſcribenda, ſi natura obtigerit calidior & calores adfuit luculenti, abſtinendum, & ſi iis opus, à primâ ſtatim invaſione, antequam febris ſuccenſa, & dum vires conſtant, exhibenda, alias funeſta æſtimanda, in obſervat. Med. p.* 64. In bubonibus curandis admodum à noſtro Medico laudatur maſſa *placentarum mellitarum, emplaſtr. diachyl. cum Gumantib. magneticum Angeli Salæ &c.* In anthracis curâ eadem propemodum extolluntur. Non dubito, quin cum ſucceſſu adhiberi queant remedia *Nath. Hodger Angli.* Certè cum voluptate legi ea, quæ *in* λοιμολογίᾳ *à p.* 213. *usque ad p.* 218, habet. Multa etiam in uſum transferri queant ex iis, quæ habet *Rolandus Capellutius, Medicus Parmenſis, in tractatu de curatione peſtis*, exiguô quidem ſed lectu digniſſimo. Nec culpaverim eos, qui in anthracibus igne & ferro utuntur. De putredine carbunculorum in medio nullo modo dubitare licet; niſi ambitus ergò eorum tendat ad ſuppurationem, & hujus ope putrefactum meditullium excidat, ſphaceloſa invaleſcit corruptio, quæ à peſtilenti contagio fermenteſcentem energiam concipit, & putredinis ita invaleſcentis mors eſt pediſſequa certiſſima. Ad hanc arcendam & putredinem præoccupandam uſtio & exciſio etiam beneficii loco eſſe poſſunt. Sed hæc obiter. Nobis enim hæc plenius tractare jam non vacat. Hiſce medicamentis breviter ante memoratis noſter ultra 70. peſte correptos fuiſſe ad-

jutos & sanitatem recuperâsse testatur, eumque numerum futurum fuisse longè majorem, nisi incolæ urbis ferè omnes mœrore fere fuissent exanimati, aut si in tempore lui huic medicamentis obviam iviſſent, nec justo tardius ad alexipharmacorum opem confugissent. Certè has easdem, nisi me memoria decipit, causas, cur adeò pauci in peste Viennensi è mortis faucibus fuerint erepti, allegat Vir Celeberrim. *Paulus de Sorbait in Consilio Medico.* In præservatione maximoperè pro suffitu commendatur pulvis pyrius, & inter tot balsamorum odoriferorum, (de quibus suum pridem judicium orbi erudito exposuit Doctiss. Rivinus) compositiones *balsamus vitæ & succini* laudatur. Radicum pimpinellæ, Angelicæ item cortic. citri, aurantiorum &c. tus extollitur, modò saliva exspuatur. Itur etiam in laudes Nicotianæ, quam Clariss. & expertissimus Dimerbrock ipse expertus deprædicat. Non adimitur sua laus Theriacæ, Diascordio Fracastor. vinis medicatis &c. Inter laudata primum fere locum obtinet seq. ℞. Aloes ʒj. Agarici ʒij. Myrrhæ, Zedoariæ, Angelic. Cortinæ ana ʒj. Fol. Senn. ʒiß. Theriac. ʒj. incis. & contus. *affunde spir. frumenti q.s. digere loco calido.* De quo Rosenbergenses, qui usu vini adulti valdè delectantur, cochlear unum alterumve manè acceperunt. Hæc de peste Rosenbergensi breviter dicta sunto. Utinam cordati Medici, qui notis salutiferæ præsidiis peste laborantes, ab omni ferè humanâ ope destitutos, magnâ charitate ducti servare & adjuvare non formidant, nobiscum diligenter & studiosè communicarent historica, quæ tum ad notitiam pestilentium affectuum tum eorum curandi rationem faciunt. Nam sicut prolixis consiliis, quæ in periculo pestis vix leviter cognitâ luis indole ubique in Europâ turmatim prodeunt, abundamus, quamvis docti pariter & indocti forte sine ullo nostro damno, nisi veritas nobis fraudi esse debet, carere possemus plerisque: ita si in ullo alio morbo, certe in hoc omnium gravissimo nobis veræ historiæ medicæ deficiunt, quas tamen omnes ii, qui ex observationibus morborum ab aliis descriptorum in epidemicis, quæ præ manibus habent, & contagiosis

giosis malis concluſiones utiles inferre didicerunt, ardentiſſimè deſiderant, & cum ſummâ utilitate legunt. Et his quidem finibus noſtra includuntur deſideria ac vota, nec fas eſſe arbitror ab his charitatis victimis exigere, ut etiam in viſcera peſte defunctorum cultrô anatomicô inquirant. Id quod ferè ſine exemplo non impunè quidem, at animo plusquam herculeo, aggreſſum eſſe novimus Georgium Thompſonum Anglum, cujus hiſtoriam *de diſſectione peſtilentis cadaveris in experimentis admirandis à p.* 21. *usque ad finem p.* 25. hac occaſione non poſſumus non maximopere & commendare ac deprædicare.

OBSERVATIO CXLIV.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Diuturna alvi obſtructione in variolis indemni.

ALvum in variolis diſtinctis & tempore *ebullitionis & eruptionis ac maturationis* ſolere eſſe adſtrictiorem, notum eſt. Nec facilè peritorum Medicorum quisquam Pharmaco eam irritaverit, ne natura à motu ſuo ad peripheriam avocetur. At ordinarium ſegnioris alvi tempus longè exceſſit obſtructio in puero 8. annorum, quippe quæ *per integros octodecim dies duravit.* Cùm pater Italus quarto, niſi fallor, morbi die me de hac alvi duritie admoneret, reſponſum fuit, indolem morbi non requirere alvum laxiorem. Acquievit parens, quinimo cum nono morbi die filius ad reddenda excrementa urgeretur, eum malè intellectâ mente meâ, ad exitum eorum cohibendum eſt adhortatus. Paruit libenter filius cum propter multitudinem variolarum non adeò benignarum nec pedibus inſiſtere, nec ſine dolore ſedere valeret, & animum ab excludendis fæcibus penitus abduxit, donec à materterâ ſub finem decimi octavi diei res animadverſa fuit. Poſt injectionem trium enematum & internum decocti emollientis uſum duæ ſedes admodum induratæ ſunt ſecutæ & benè habuit. Durante hac obſtructione non niſi de ſiti & aliquâ capitis gravitate fuit conqueſtus.

OBSERVATIO CXLV.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

Noxa ex interno ceruſſæ uſu.

FElici partu die 10. Novembris anni præterlapſi ediderat alteram filiam mater in ipſo ætatis flore conſtituta. Tametſi verò ſecundo ac tertio à partu die rite fluerent lochia; ex pravo tamen cujusdam matronæ, quæ in puerperiis ſuis uberiorem hunc fluxum fuerat experta, conſiliô, eum credidit eſſe promovendum. Quô fine uſa erat ſatis familiari Vratislaviæ mulierculis pulvere *ex Zingib. Cinnamomo, croco, cadamomo gravis parad. pipere longo, caſtoreo, myrrha & ſemine fœniculi.* Vulgò vocant die neun Gewürtze. Cùm verò die dominico domeſtici omnes ſacris intereſſent, exceptâ, cui puerperæ & infantis cura erat demandata, muliere; error accidit; hæc enim femina, cùm juſſa eſſet prælaudatum afferre pulverem, præ nimiâ feſtinatione loco ejus ceruſſam, quæ fortè ad manus erat, puerperæ omnia aliàs medicamenta & præcipuè hoc propter admiſtum caſtoreum vehementer averſanti, & ne adſpiceret quidem, vultum avertenti, incautè obtrudit. Et ab ipſa puerpera, & ab aliis illicò erratum hoc fuit agnitum, quod in quintum usque diem non magnum videbatur minari periculum, ſi excipias, quod ſubinde *de ſenſu frigoris in ventriculo* conquereretur. Enim verò ab hoc die & lochia parcius fluere, lingua & fauces magis magisque areſcere, reſpirationis difficultas cum ſenſu ſtrangulationis indies augeri, totum corpus vehementer torpere, mens diſtrahi & anxiis cogitationibus atque deliriis, extrema ſubinde frigere, & ne quid malorum deeſſet, ſpasmodici motus hinc inde in corpore emicare. Omnium ſymptomatum moleſtiſſimum & graviſſimum erat cardialgia, quam ſingultus comitabatur. Pulſus ferè naturalis erat, niſi quod eſſet aliquanto debilior & tardior, nec etiam in urina, rebus quoque ſummoperè exacerbatis, quicquam vitii erat. Periclitanti per venæſectionem conſultum iri obſtetricum primaria ſtultè non tantum crediderat, ſed & ex conſilio

ejus

ejus in pede sine ullô malorum levamine celebrata fuit. Mussitabatur etiam quicquam de oleo amygdalarum dulcium offerendo, sed præterquam quòd aliis de causis assumptô venenô oleosa, gelatinosa, mucilaginosa &c. exhibeantur, quàm quæ in cerussa locum ullum prudenter habere possunt; in recenti erat memoriâ, quòd in superiori Silesia puerulus unguentô albô cerussæ devorato periisset, ac justus utique erat metus, ne copiosè ingurgitatô oleô amygdalarum quædam cerussæ partes involverentur, & magma quoddam unguento cerussæ aliquâ ex parte simile, quod tantò tenacius villis ventriculi inhæreret, oriretur. Emeticum etiam à Medicis quibusdam propositum fuisse certum est. Enim verò eorum sententiam nullatenus approbare licuit. 1. Quòd vires per partûs labores & lactationem vehementer fractæ nec ob temporis brevitatem essent reparatæ. 2. Ægra ad phthisin inclinaret. 3. Difficillimus vomitorii successus ob exiguam pulveris quantitatem & ejusdem gravitatem, ventriculô per aliquot dierum inediam exinanitô, ob oculos versaretur, ut vel artis rudes facilè caperent, quàm magnâ vacui ventriculi contractione, contentione ac subversione ad excutiendum pulverem exiguum & gravem villis ac plicis profundius immersum opus esset. 4. Ob evidens perversionis motûs peristaltici periculum. 5. Quòd justissimus suppressionis lochiorum metus esset, cùm experientiæ fide constet, quid vomitoria in supprimendo præsenti fluxu mensium in feminis & hæmorrhoidum in viris possint? Nec placebat purgantibus, quæ sæpissimè puerperis infesta ac funesta fuerunt reliquas atterere vires, & ancipiti aleæ vitam chari & marito & parentibus & proli capitis exponere. Non incognita erat expertissimi Viri Franc. Joelis antidotus *Tom. 5. op. p. m.* 110. *oleum*, inquam, *angelicæ ad* ʒß. *aut vitrioli ad guttas viii. & Theriac. Andromachi* ʒij. *cum vino generoso*, sed quæ multis de causis hic locum non inveniebat. Nec me latebant, quæ in Ducatu Würtenbergico ac in viciniâ sub seculi superioris finem Medici egissent, cùm à *nefariis hominibus per acetum lithargyr. vinum Nicarinum* fœdè corruptum ac

hoc ipso grave damnum sanitati multorum mortalium esset allatum. In Dec. 3. *Ephemerid. Germanic.* quæ omnium Medicorum manibus meritò teruntur, *Anno* 4. *observatio* 30. Auctoris, qui & ipse ex usu vini tali mangonio adulterati morbum incurrit ac feliciter superavit, lectu digna est. Ad manus erant etiam formulæ à celebrioribus Würtenbergicis Medicis in eo malo præscriptæ, quarum aliquas hic addere, nobis, credo, erit integrum. Præter Tartarum solubilem, ut narrabatur, frequenter sequens pulvis fuit ordinatus: ℞. Pulv. Epileptic. Manh. analeptici frigid. Mindereri ana ℈ij. Theriac. cœlest. gr. iiij. *M. f. pulv. pro* 2. *dosib.* 2. ℞. C. C. usti ʒj. cinnamom. acuti. ʒij. ligni sassafr. ʒß. Mastich. elect. ʒiij. semin. fœnicul. dulc. ʒj. M. sign. *species pro decocto ordinario.* 3. Ad noxam à visceribus avertendam aptus fuit judicatus seq. pulv. ℞. Pulv. radic. Valerian. acori ana ʒj. ocul. cancr. pp. Corall. rubr. pp. C. C. usti ana ʒij. Matr. perl. ℈iiij. spec. aromat. rosat. ʒvi. Diarrhod. Abbat. ʒiß. ol. anisi, fœnic. caryoph. ana gutt. vi. sacch. a. ʒiiij. M. f. P. 4. Arrisit ipsis hæc potiuncula: ℞. Aqu. cerasor. nigr. chamomill. equiset. ana ʒij. tiliæ ʒiij. Cinnam. c. v. ʒj. Extract. bez Camer. laudan. opiat. ana gr. iij. Syrup. papav. errat ʒvj. M. & tandem 5. *mistura* ex essent. castor. Sale volat. oleoso Sylv. ana ʒij. Tinctur. alexiph. ex fuligine ʒj. anodyn. Lentil. ʒß. M. d. in v. Enim verò nullum propemodum ex illis remedium in usus nostros convertere placuit, quamvis negotium hoc perpendendi uberiorem subministârint occasionem, quod & dicendum de plerisque Cl. Stockhus. in tract. de *litharg. fumo noxio & morbifico.* Nos verò in nostrâ ægrâ, quantum potuimus, antè omnia enixè laboravimus, ut animam redderemus tranquilliorem, & vires generosis confortantibus debitè, quantum licebat, reficeremus, motus maximè verò omnium inter hos peristalticum, à quo ritè habente præcipuum in propellendâ materiâ peccante subsidium nobis pollicebamur, conservaremus, cerussam ventriculo molestam deorsum versus blandè duceremus, ac tandem ex corpore eliminaremus. Non fefellit me spes mea. Et ipsa puerpera multoties narrabat ex sen-

su

su frigoris sese percipere, quod pristinum cerussa locum mutet. Unde etiam postea de dolore intestinorum per aliquot dies eam conquerentem audivimus. Temporibus partui propioribus enemata eximium præstabant effectum, sed tribus præterlapsis septimanis blanda laxantia bis in hebdomade exhibita fuerunt cum levamine. Ad dolorem mitigandum externa quidem fuerunt præscripta, sed sine fructu. Ab anodynis internis consultò abstinuimus, nisi quòd dimidium aut unum theriacæ cœlest. granum bis aut ter pulveribus admiscuerimus. Conticuerunt symptomata in ventriculo & intestinis post quinque propemodum septimanarum intervallum, sed in artubus dolores arthriticis affines molestiam adhuc per tempus facessebant, at non æquè diuturnam.

OBSERVATIO CXLVI.

DN. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Fluxu sanguinis per muliebria in gravidis.

QUibusdam gravidis sanguinem per locos fluere solere, pervulgatæ res est notitiæ. Non unius verò generis est fluxus ille, ac prægnantium interest, ut cujuslibet indolem Medicus accuratè habeat cognitam perspectamque. Nonnullis præsertim verò plethoricis menses fluunt aliis usque ad quartum quintumve mensem, aliis verò toto gestationis tempore, ut constat mihi ex experientia & *observat. Hieronym. Reusneri p. 55. Thom. Bartholin. Centur. 3. hist 13. p. 32. Hildan. Centur. 5. Observ. 41. Columb. lib. 12. de format. fœt. p. 250.* Et inter has plerisque fere (nam sunt etiam, quibus fluxus admodum est molestus, ut I. c. de Hafniensi narrat Bartholinus) absque doloribus ac torminibus placido cursu manat rivus sanguinis ex genitalibus, non cum impetu exundat, nec facile grumos vehit. Et tantum abest, ut artis præsidiis ad inhibendum hunc sanguinis effluxum opus sit, ut potius per adstringentia pharmaca in abortûs periculum mulier conjiciatur. Neque enim ullô modô negari potest, quòd

quòd sanguis nimiâ copia turgidus in uterô fœtum sæpè obruat, illumque vasis umbilicalibus disruptis foràs propellat, id quod contigisse Illustri Matronæ Clarissimæ Verzascha *Observat.* 82. non immeritò suspicatur. Neque etiam ullum minatur vel matri vel fœtui periculum, quod non rarò post conceptionem stato mensium tempore per paucas horas emicat sanguinis stillicidium, ac altero etiam mense subinde recurrit. Sed aliud judicium ferendum est de fluxu illo sanguinis, qui sese sub *finem secundi vel etiam tertii aut quarti mensis* gestati uteri exerit. Tametsi enim primùm à typo evacuationis menstruæ neque quantitate neque exeundi modô abeat, imò sub hoc schemate se duobus, nonnunquam etiam pluribus mensibus sistat, nihilominus grave abortûs periculum portendit præcipuè tum, quando terror, iracundia, vehementiores corporis motus, puta saltus, longiores curruum motitationes, crebriores sternutationes, tusses impetuosæ, enormes vomituritiones aliæque externæ violentiæ præcesserunt. Et præmatura quidem fœtus exclusio tunc instare credenda est, cùm fluxus ex tranquillo mutatur in vehementem præcipitamque laticis vitalis profusionem, quæ non rarò adeò invalescit, ut ægræ animo linquantur, extrema frigeant, & jamjam exspiraturæ videantur, quod etiam certò eveniret, nisi plerumque post aliquot horas immaturus fœtus expelleretur. Attentam verò considerationem illa insolita animi dejectio, quæ ante vehementem istam hæmorrhagiam sese exerere solet, meretur, ex quâ solâ instantem abortum & graviora symptomata tutò prædixeris, etiamsi tibi cognitum non sit, an mammæ sint extenuatæ, aut cujus generis lac ex his fluxerit, an latera cum ventre superiori visa fuerint arctari? &c. Quando autem confertim erumpit sanguis, metusque abortus non est vanus, ut rarissimè esse solet, Medico religioni sit, sanguinis exundantis torrenti adstringentia tanquam aggerem objicere; sed analepticis ac emulsionibus gratioribus vires conservet, orgasmum reprimat & elisâ uteri sarcinâ hujus catharsi sedulò vacet. Id enim nisi fiat, cum uterô denuò gerunt, eôdem, quô priùs iisdemque mensis

diebus

diebus eadem fata experiuntur, quod etiam erumpente sanguine prægressa lumbi coxæque gravitate sibi ominantur, licet spasmi uteri admodum sint leves. Tandem sub finem gestationis aliquando usu venire solet, ut sanguis ex genitalibus feratur, ac maturè fluxus illius insoleſcat. Ne hic cum periculo gravidæ Medicus erret, eum scire oportet, an hic sanguinis rivus ex uterô an verô vaginâ & uteri collo manet. Ex utrôque enim hôc locô ipsos etiam menses scaturire posse, cum Illustri Domino Schröckio, Præside nostrô *in Schol. ad Observ.* 91. *Helwigii* persuasi sumus, non obstantibus experimentis & rationibus *Cl. Regneri de Graaf tract. de organis mulierum generationi inservientibus c.* 9. *p.* 124. Si ex vagina stillaverit sanguis, salva res est, nec magnâ opus festinatione. At longè aliter judicandum, si ex ipso uteri fundo sanguis manaverit. Tum enim certissimum est indicium separationis placentæ ab utero, quæ ubi semel ab hôc fuerit avulsa, nunquam amplius cum eô coalescit. Nec ullô modô sperandum, fore, ut ante editum fœtum fluxus sanguinis cohibeatur. Ne itaque in judicio Medicus fallatur, admovenda manus est & explorandum, sitne internum uteri orificium apertum, an verò clausum? si istud fuerit, nullum est dubium, quin sanguis ex uterô ipso fluat, & tùm quantociùs partus est prômovendus, nec exspectandum; ne per enormem hæmorrhagiam vires fatiscant ac mulier sub partus laboribus deficiat, quod fit, quoties hæmorrhagia est continua & magna. Si verò per intervalla fluxus in exiguâ copiâ recurrat, nec gravidæ vires valdè dejiciat, aliqua mora prudentiæ laudem merebitur, tutoque præstolaberis, donec natura molìatur partionem, quod in negotiatoris Itali conjuge, aliisque à me factitatum recordor. Enim verò si effluxus ille, ut dixi, insolens sit, & fœta malo victa decumbat, omninò partus est accelerandus. Et cùm metuis, ne non sit ferendo ægra tùm ob eam, quæ præcessit hæmorrhagiam, tùm ob eam, quæ apertis vasorum osculis reseratisque viis sequi posset, quamvis rarò sequatur, non tamen ægra erit deserenda, sed in tam ancipiti casu audendum est aliquid & circumstantibus explicandum,

quòd ſine partûs acceleratione neceſſariò pereundum ſit fœtui & matri, ubi tamen aliqua adhuc ſpes affulget, hanc ſervari poſſe, ſi fuerit enixa. Et profectò ſi ſuperatis partûs laboribus per aliquot horas analepticis circulus ſanguinis conſervari poteſt, in vado res eſt & periculum mortis ex hæmorrhagia uteri ceſſat. Hæc omnia nobis ex multiplici experientia ſunt cognita. In ultimo caſu præeuntem hic tutò ſequi poſſis Celeberr. Chirurgum Gallicum Mauriceau *dans obſervations ſur la groſſeſſe & l' accouchement des femmes*, cujus perquam multæ obſervationes huc ſpectant.

OBSERVATIO CXLVII.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Paralyſi linguæ, faucium & œſophagi.

PAralyſis quidem omnis, ſive tota infeſtet corpora ſive partes, gravis eſt morbus, at verò quæ fauces & œſophagum occupat, longè graviſſimus nec quantacunque etiam diligentia adhibeatur, ſanari poſſe videtur, ſed dire occidit. Triſte, & cujus ſimile nec videre amplius optem, præbuit mihi ante aliquot menſes ſpectaculum vir circiter quinquagenarius temperamenti ſanguineo-melancholici. Is juventutem in aulâ egerat, poſtquam autem virilem attigiſſet ætatem, officio admotus, quod eum per integrum diem in ſcribendo occupavit. Hæc fuit fortaſſis occaſio, unde ſolitudinem unicè amare cœperit. Quod vitæ genus cùm per aliquot annos eſſet ſectatus, ſubitò apoplexiâ obruitur. Adhibitis idoneis remediis morbo attonito ſucceſſit παραπληγία in latere dextro, ſed & ab hoc feliciter liberatus eſt, ita, ut ferè ad priſtinum ſtatum reverteretur. Prætерlapſis aliquot annis recurrens membrorum ſtupor reſolutionem vel apoplexiam denuò inſtare nunciabat. Et verò ita planè evenit. Improviſo ex itinere redux ſub autumni initium obmutuit, uſumque pedis utriusque amiſit. Ad ipſum veſpertinô tempore

pore vocatus sine morâ advolo. Sensus utcunque erant integri, ratio etiam sibi quodammodo constare videbatur, se enim me agnoscere innuebat. Maximoperè etiam conabatur me affari, sed nullum verbum distinctè aut integrè proferre valebat, quàm operosè etiam illud moliretur. Inconditus & confusus tantùm clamor erat. Linguam movebat, nec quam in aliis, præcipuè verò in *Sereniss. Principe Carolinâ, Duce Slesvici & Holsatiæ & in Silesiâ Lignicii, Brigæ & Wolaviæ, Dominâ meâ clementissimâ*, cum ferali huic morbo omni curâ quintum (toties insultum apoplecticum perpessa est) exigente id officio meo & summâ optimæ Principis in me gratia mederi conarer, solicitè observavi, mutationem aut differentiam aliquam ratione coloris &c. deprehendere potui. Dum præscriptæ potioni apoplecticæ avidè inhiat, ejusque ℥ij. ori infundit, miser experitur, se illam deglutire non posse, & ita circumstantibus nobis patefecit, musculos laryngi & pharyngi communes à paralysi non esse immunes. Post injectos clysteres, post apertas raninas & medianam, quam vocant, pertusam, nucham dorsique spinam spirituosis linimentis diu multumque perfusam, post immissa varia per syringam, linguam faucesque oleo cinnamomi ac aliis inunctas, vesicatoria applicata, aliaque molimina potum aliquantò diutius retinebat, sed sensuum torpor ingravescebat, manus intumescebant, ac tandem tamen potum non immutatum reddere cogebatur. Id, quod argumento erat, ipsum œsophagum gravissimâ paralysi affectum esse, & medicamentorum virtutem ad eum vix fuisse diffusam, quæ tamen quadantenus in faucibus, ut ex deglutitionis rudimentis colligere licebat, sese exeruerat. Lugubris illa sors virum hunc per octo dies miserè mulctavit. Nullis verbis exprimi potest, quantis cum lachrymis & ejulatu, quàm flebili & ad excitandum in adstantibus doloris sensum apto gestu potum desideraverit. Et primis morbi diebus jussus breviter in chartâ adscribere, quanam re potissimùm affligeretur, inextinguibili se siti urgeri calamo interprete significavit. Tandem truculentia affectus hominem jugulavit. Neque apparet, quomodo huic

affectui imposterum occurri debeat. At longè alia res est, *cùm fibræ spirales in media œsophagi tunica spasmo constrictæ sunt, ac muneri deglutitionis famulari nequeunt*; tametsi enim & hic affectus satis sit pertinax, & per multas, ut aliquoties expertus sum, septimanas recurrat, tandem tamen antispasmodicis selectioribus expugnari potest. Non tantùm vulgus, sed & ipsi Medici de paralysi mussitant, cùm alimentorum transmissioni hæc spasmodica œsophagi strictura obicem ponit, qui tamen audiendi non sunt, ac eos ipsos post aliquot horarum intervallum redarguit, relaxatâ istâ constrictione spasmodicâ liberum potulentorum & esculentorum ad ventriculum iter, & integer licet aliquantò impeditior sermonis usus. Tùm verò neque de paralysi neque de spasmo cogitandum est, cùm, quod etiam memini aliquoties à me observatum, *cibus solidus absque omni difficultate, juscula verò ac liquida omnia non sine præsenti suffocationis metu* deglutiuntur. Discussis enim ritè omnibus nihil vero similius occurret, quam vitium aliquod in epiglottide hærere, quod impedit, quò minùs rectè arteriam asperam tegat. Dum itaque cibi solidiores epiglottidem validius comprimunt, absque periculo suffocationis in ventriculum delabuntur, liquida verò cùm ad compressionem epiglottidis non adeò apta sint, fit, ut in arteriam asperam non benè clausam irruant, ac eo ipso spiritum præcludant citra omnem paralysin vel spasmum.

OBSERVATIO CXLVIII.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Affectu muliebri mixto rariori.

OBversatur hodie adhuc oculis meis & multò crebrius omnino uxor Mercatoris, quæ & mihi & aliis Medicis multum negotii hactenus dedit. Temperamenti ea est sanguineo-cholerici, si rectè judico, unius filiæ, quæ jam matrimonio juncta est, mater. Vitam diætæ regulis conformem nunquam est sectata.

A ma-

A mariti etiam cohabitatione per multos annos abhorruit. Ante dimidium lustrum circiter non absque molestiæ sensu per intervalla reddere cœpit urinam satis *gravem pondere & mole particularum, quæ fluidi spatiis exclusæ post refrigeratum lotium illico fundum petere sueverunt,* ac à plerisque indicium calculi minimè fallax esse creduntur. Unde & ipsa non semel se calculô laborare professa est. Nonnunquàm etiam passa est sibi excidere verbum unum alterumve, sed paulò obscurius de *prurigine naturalium*, donec tandem proxenetis aliis mulierculis, plenius istud mysterium mihi detegeretur. Exhibita fuerunt, quæ & æstum salsuginosi sanguinis superficiem vaginæ pererrantis & lymphæ uterinæ acrimoniam corrigere apta nata sunt, nec omissa, quæ verminosam putredinem respicerent, si forte & illa locorum prurigini occasionem darent. Topica etiam, ubi ab eorum usu eam non alienam esse cognovi, varia absque utilitate fuerunt proposita. In autumno præterlapsi anni asthmate laborare cœpit tam graviter, ut in suffocationis periculum sese adduci crederet. Repetebat hæc spirandi difficultas post aliquot dierum intercapedinem, & tùm potissimùm vesperi primô somni tempore eam invadebat, & exactô ferè duarum horarum spatio sensim lentescebat. Initiô, ut verum fatear hydropem pectoris metuebam, memor eorum, quæ à me adducta sunt *in observat. de hydrope pectoris.* Bis noctu vocatus inveni ægrotantem maximâ cum difficultate spiritum ducentem. Nulla aderat tussis vehementior, nulla sputa, nulla deprehendebatur etiam febris, & ipsa res affatim docebat, quòd hoc asthma esset convulsivum. Omnibus, quæ ad morbi cognitionem spectabant, accuratè perpensis, suspicatus sum, *in hypochondriis*, licet in eis nec dolor, nec renisus, nec calor præter naturam consisterent, ac *in utero* symptomatis hujus subesse causam, licet in præsenti non vacet pluribus explicare, quomodo harum partium affectio difficultatem in respirando afferat? Cæterum nec *pectoralia*, quæ me inconsultô affatim ingesserat, nec, (quæ aliàs in asthmate convulsivô omnis generis in paroxysmo cum aliquo

ſucceſſu dari ſolent,) liquor *C.C. ſuccinat. Spir. Salis Ammon. galban. Spir. fuliginis Elix. uterin.* Wedel.Sal. vol. oleoſ. armoniacale, *eſſentia peti in diffuſioribus vehiculis*, ut & pulveres varii interdum cum Maſſ. pilul. de cynogloſſ. &c. mixti ullam præſtiterunt utilitatem. Non melius ceſſit uſus eorum, quæ ad removendam mali cauſam tempore intermiſſionis fuere uſurpata, in forma *nodulorum*, *decoctorum*, *pilularum &c.* Ut jam de venæſectione repetita, enematibus, pediluviis, ſemicupiis nihil dicamus. Deſii autem mirari, quòd nullum ægra ex his remediis reportaverit emolumentum, ubi intellexi, ſcintillas quasdam *μανίας ἐρωτικῆς* ſub his cineribus occultari. Multa enim à circumſtantibus garrulis mulierculis de ejus immenſo coëundi deſiderio & ardentiſſimo Veneris appetitu paſſim per civitatem ſpargebantur, ut ea non potuerint non ad aures meas pervenire. Interea feſſa remediis meis, ad Veterinariorum, Obſtetricum, Barbitonſoris cujusdam, & tandem aliorum conſilia Medicorum, me non invito, delapſa eſt. Ab his verò tantum abeſt, ut adjuvaretur, ut potius indies morbi vehementia augeretur, ac res in pejus rueret. Denuò poſt aliquot ſeptimanas meam & Collegæ mei Domini D. P. opem imploravit. Multò deteriorem ejus conditionem eſſe, quàm antehac ſub noſtrâ directione fuerat, deprehendimus. Cùm de aucti mali cauſis eſſemus ſoliciti, illa quidem *raſoris temeritatem* ob pulveres camphoratos plurimos callidè & fraudulentè obtruſos, *peregrinæ obſtetricis levitatem & ſtultitiam* propter cataplasmata in aceto decocta & abdomini applicata, ac imperitam manualem muliebrium tractationem ac *procacis alterius cujusdam vetulæ* crebrò laxantia ingerentis veſaniam accuſare, damnare, execrari. Cùm altius adhuc miſeræ ſortis ejus originem indagaremus, illa ſine velo quidem absque tamen omni verborum obſcænitate & vernilitate nobis exponebat, quantâ vehementiâ in maritalem, quam per tot annos faſtidiverat, cohabitationem ferretur. Et licet in præſentiâ noſtrâ muliebria ſibi non fricet, nec laſciva obſcænaque loquatur, illud tamen naturalium incendium graphicè ſed modeſtè deſcri-

deſcribere non verecundatur. Hiat, ut ait, vagina, quaſi patratorem nervum cupidè admiſſura & amplexura. Κλειτορὶς æſtuat, erigitur, intumeſcit. Præterea gravitatem quandam & pondus circa uteri regionem percipit. Cæterum, quod mireris, non contabeſcit, nec multa deliriorum veſtigia in eâ cernere licet. Pulſus eſt durus ac tenſus. Urinæ quoque ſtillicidia eam vexant. Alvus eſt adſtrictiſſima. Noctes agit inſomnes, ſed hæc omnia ludus & jocus ſunt præ ſpasmis horribilibus, qui illam diu noctuque fatigant. Venter cum diaphragmate multoties intra diem *modò in altum effertur*, modò ita *concidit*, ut in ſe *coactus ſpinæ dorſi incumbere videatur*, modò verò una ejus *pars in planum projicitur*, *altera verò deprimitur*, modò in ſulcos abdomen cavatur. Muſculorum intercoſtalium tàm vehemens eſt ſtrictura, ut reſpirationem omnem abolitam credéres. Collum intumeſcit. Fauces præcluduntur. Facies ſtrangulatorum faciei ſimilis horridum quippiam ſpirat. Oculi turgentes, prominentes ac immobiles ferè hærent. Strepitus maximus percipitur in pectore. Brachia an jactari an torqueri dicenda ſint, incertum. Cælius Aurelianus *acutor. morbor. lib.* 3. *cap.* 18. ſpasmum inter ſymptomata omnia ultimo ſatyriaſi laborantibus accedere credit: *Omnibus*, inquit, *in ultimo conductio nervorum fit, quam Græci ſpasmum vocaverunt, & involuntarius ſeminis jactus.* Exitus docebit, an noſtra vitam ſub tantis convulſivis motibus, qui à Feſto Paſchatos usque ad hunc, quô hæc ſcribo, quintum Auguſti diem durant, ſit finitura, an alii adhuc acceſſuri morbi? Hactenus quidem inutiliter certatum eſt adverſus convulſivos affectus & νυμφομανίαν hanc variis remediis, quæ non tantùm acredinem & caliditatem humorum corrigere, ſed & ſemen minuere aut extinguere creduntur. Illa certe ad expugnandum hoſtem prorſus eſſe invalida arma hac occaſione & aliàs etiam expertus ſum, niſi animo cœleſtibus pharmacis medicina fiat.

(*Vratislavia Auguſtam Vind. d.* 5. *Auguſti An.* 1709. *miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXLIX.

DN. D. JOANNIS ADAMI LOSPICHLERI.

Partus sine partu.

HOspitissa quædam Salisburgensis, temperamenti sanguineo-bilioſi, quadragenaria nondum, postquam ante aliquot annos ex utroque sexu, interpolatis vicibus, octo progenuit proles, & harum quinque vivas, tres autem mortuas, nescio quo infortunio, è scala portatili, quam negotii gratia jam per plures menses imprægnata ascenderat, ex inopinato deciderit, crurisque fracturam passa sit, vivum tamen, etiam post hunc casum, edidit partum: hæc femina, inquam, modico interposito intervallo, nonum concepit infantem, nec toto gestationis tempore de aliqua morbosa conquesta est corporis dispositione, instat tempus partûs, & quidem menſe debito, sentiuntur parturientium dolores consueti, ingravescunt hujusmodi conatus dolorifici tantâ intra biduum per vices vehementia, ut de horâ in horam desideratissimus rei eventus â cunctis avidissime exspectaretur, at omnis nisus & labor frustraneus, subito enim cessant hi perpessi gravissimi dolores, cessat insuper sub crepusculo etiam virium naturalium vigor, nec ullus amplius percipitur ab aliquot horis fœtûs motus, & licet in debitam restaurationem ac conservationem virium, & feliciorem fœtûs egressum methodice omnis movebatur lapis, pientissima tamen Domina ob continuatos tanto tempore intensissimos dolores & labores adeo viribus exhausta vixit, ut ad initium tertii diei ultimam vitæ lineam absolverit, & integris quasi sensibus fatis cesserit: quo observato, factâ mox debitâ abdominis incisione infans masculus tergo cœlum versus subito in conspectum venit, mortuus tamen, uterus verò, dum de ejus constitutione fit inquisitio, subtus infantem ad trium quasi pugnorum magnitudinem jam contractus, & maximâ rimâ & foramine disruptus non sine stupore omnium, in præsentiâ trium Excellentissimorum Dominorum Medicorum & aliquorum Chirurgorum inventus fuit, sicque partus sine partu

in

in lucem quidem editus, at non sine adstantium lachrymis ad debitum sepulturæ locum unà cum matre depositus fuit.

OBSERVATIO CL.

Dn. D. JOANNIS ADAMI LOSPICHLERI.

Fonticulorum applicatio non omni tempore tuta.

QUales Archeus modo timore, modo horrore subitaneo concitatus, nec non gaudio, ac ipsâ animi tranquillitate satisfactus, tenerrimis infantium corpusculis, utero adhuc inclusis, susque deque solâ continuatâ inspectione blandiendo quasi inurat maculas, vix non integra loquuntur volumina, & quotidianæ testantur experientiæ, sic etiamsi lumen soli apponatur, & noctuæ Athenas deportantur enarrando hunc casum, eundem tamen ob rei varietatem reticere nolui, estque hujus historia sequens.

Prænobilis quædam fœmina temperamenti phlegmatico-bilioſi, ac corporis obesi, aliquarum jam prolium mater noviter imprægnata, eodem, quo semper utero gerens, correpta fuit capitis dolore gravissimo, repetitim affligitur, nullo tum temporis medicamento remedibili, quam ob rem præmissis præmittendis, usus fonticulorum proponitur, admittitur unus, & doloris requies sequitur ex hac parte, applicatur & alter, sicque totum caput liberatur, interim tempore debito hora partûs instat, & quidem felicissima, parturit etenim feliciter, at infantem fœminei sexûs, cujus nates invicem tam firmiter adeò cohærebant & connectebantur, ut debita partium divisio nulla, loco ani consueti verò in plano nonnisi foramen parvulum ad instar fonticuli signatum observaretur, at observabatur tantum, siquidem hæc ipsissima recens nata jam jam hydropica & summè debilitata inventa fuit, sicque paucas post horas accepto sacro fonte fatis cessit, & vitam cum morte commutavit: hujus matris soror elapsis antecedenter aliquot annis conjugii fructum & effectum percipiens, de convivio quodam splendidissimo binis miliaribus

distante, ac reliquis ferculis laudabilissimis, in abundantiam rerum, & limaces apponendas fore, certior facta, eo proritu & appetitu vix non explicabili esum limacum phantasiæ impressit, ut hunc unicum cibum constanter tum temporis desideraret, at cum hoc ipsum desiderium occultaverat, & alibi locorum hujusmodi cibus non ad manus erat, filium debito tempore peperit, cujus membri glandem formosissima limacis figura quo ad omnia condecoravit: & hæc ob loci ac figuræ raritatem.

OBSERVATIO LI.

Dn. D. JOANNIS ADAMI LOSPICHLERI.

Casus hominis fatalis, ex casu equi.

UNius morbi quam plurimas esse causas, & interdum etiam abstrusissimas, nemo Medicorum est, qui ambigit, hinc licet communiter dicatur, qui facile cognoscit, facile curat, ipsa tamen causæ morbificæ cognitio sub indubitatâ specie non semper est possibilis, quod casu sequenti confirmatur.

Vir quidam, Joannes Will, annor. 50. circiter, temperamenti sanguineo-bilioſi, stabularii aulici Salisburgensis officialis (vulgò Sattel-Knecht) ante plurimos annos, nescio quâ occasione equitando iter suscipiens, novercante fortunâ una cum equo in terram corruit, tantâ subsequente ephippii in stomachum compressione, ut non nisi cum summâ respirationis difficultate sese elevare potuerit, domum rediens, hujus casûs, ob jam omnem dissipatum dolorem, nullam curam habens, pristino fungitur officio, & quidem sine percepta labe, sat longo temporis intervallo, tandem de obscuro circa ventriculi fundum conqueritur dolore intrinseco, nulla interim labe ab extra apparente, applicantur applicanda, non tamen remittente malo, sed ingravescente indies, quatenus scilicet longiori temporis morâ appetitus prosternitur, vires sensim collabescunt, & corpus lentâ tabe consumitur eousque, ut tandem extincto biolychnio naturali nulla alia, nisi mortis sequela inevitabilis pertimescenda foret, antequam

quam tamen ea contingeret (quod notatu digniſſimum) indies quaſi ab aliquot menſibus poſt ſingulos paſtus præter præfatum triſtem circa ventriculi fundum dolorem, etiam materiam quandam fluidam totum abdomen occupantem, & diffluentem diſtincte percepit, in cujus rei cauſam indagandam licet omnis moveretur lapis, & nil tam quoad cognoſcendum, tam quoad curandum intentatum relinqueretur, ſenſim tamen factâ virium omnimodâ reſolutione ex pertinaciſſimo & abſtruſiſſimo hoc malo mortuus eſt, poſt cujus obitum aperto cadavere omentum una cum inteſtinis materiâ quadam albicante chyliformi in ſat magnâ quantitate obductum eſſe, ſalvis interim reliquis viſceribus, cuilibet præſenti abundè patuit, unde, cum & hujus mirabilis effectus cauſa ulterius examinaretur, ac conſtitutio ventriculi anatomice inſpiceretur, foramen quoddam (fiſtulæ inſtar) piſorum duorum magnitudine undique jam jam calloſum quaſi circa ventriculi fundum obſervatum fuit, cujus cauſa remota haud dubiè ab infortunatiſſimo caſu dependens cauſæ proximæ mediante ſuppuratione initium & finem fecit; ex quibus omnibus cauſarum morbificarum incertitudo & cognoſcendi difficultas facile cuilibet innoteſcit, Deus ter optimus maximus igitur illuminet omnium ſenſus, ut depoſitâ mentis caligine in faciliorem & certiorem morborum cognitionem pervenire liceat.

OBSERVATIO CLII.

DN. D. JOANNIS ADAMI LOSPICHLERI.

Topicum in retentione urinæ, debite quidem & cum fructu applicatum, at inconſueto operationis modo.

VIr quidam religioſus Benedictinus, in vigore ætatis modo ſtranguriâ, modo dyſuria, modo iſchuriâ laborans, juncto quaſi ſemper dolore nephritico, jam his, jam illis methodice adhibitis medicamentis auxiliatrices experimentatur manus, at cum ex inopinato idem ipſe dolor cum omnimodâ retentione urinæ

hunc Dominum Benedictinum Patrem per modum recidivæ affligeret, nesciens in absentiâ Medici ordinarii, quid ad tantam mali ferociam mitigandam incipiendum, candelam ceream minimæ sortis, longitudine ulnam superantem, arripit, & secundum modum jam antehac perceptum, meatui urinario sensim intrudere conatur, unicâ spe fretus, mediante hac applicatione, causam doloris removendo, urinæ retentionem indubitanter resolvi, at, quod unice mirandum, hujus candelæ intrusionis vix initium factum, in instanti, percepto quasi animi deliquio, totius candelæ longitudo per canalem virgæ inadvertenter absorbetur, superveniente paulo post debitâ emissione urinæ, & remittente doloris sævitie: lætatur exinde quidem religiosus Patiens, at contristatur insuper, ignorans tam subitaneæ & præternaturalis candelæ absorbitionis causam, vocor itaque qua ordinarius, & omnimodâ relatione factâ, ne hunc ob casum pusillanimis sit, adhortor, me equidem jam cogitare de medicamento, quo mediante cera sensim liquefacta & dissoluta eandem possit repetere viam, ac una cum urinâ propelli, nec fili substantiam tantum portendere malum persuadeo, quatenus hanc compagem urinæ acrimonia aut in totum dissolvere, aut saltem aliqualiter comminuere possit, hisce contentus, promissa incunctanter præscribuntur resolventia, quibus debite assumptis, cera liquefacta indies urinæ innatare visa fuit, & sic per integrum mensem ab omni urinæ retentione liberatus vixit, at tempore hoc elapso, circa auroram priori rursus defatigatur urinæ retardatione, & tantâ cum vehementiâ, ut ne guttulæ quidem concederetur transitus, datur tempori mora, at sine effectu, hinc terrore ex dolore percussus causam rei inspiciendo observans, filum triplicatum extra meatum urinarium brevissimè protrusum perspicit, nesciens tamen in arenâ consilium, unde rursus vocatus locum penitius considerando totam candelæ longitudinem ad crassitiem digiti minoris mediocris infantilis compactam fore, sicque integrum virgæ meatum strictissimè implere, abunde docuit autopsia, quamobrem, ne malum ingravesceret, & ex hac rariori obstructione

poste-

posteriora prioribus deteriora fierent, genitales hasce partes decocto quodam ex lacte & herbis emollientibus composito, fomentandas, ipsius glandis foramini verò, seu meatui urinario oleum amygdalarum dulcium guttatim immittendum proposui; & observatis observandis superficiem glandis quoad possibile deprimere jussi, hoc insuper addito, quamprimum Chirurgus digitis filum crassius complicatum, ac intus subsistens, comprehendere posset, ea manus dexteritate extractionem subitaneam tentaret, ac, etiamsi paulo majorem resistentiam perciperet, ab opere tamen, licet etiam dolorifico, non cessaret: dictum factum, & auxiliante divinâ gratiâ tota hujus candelæ substantia in præfatâ digiti minoris crassitie, at majori longitudine, nec non jam jam undique materiâ calculosâ, loco ceræ, obducta, superveniente aliquali hæmorrhagiâ & animi deliquio extracta fuit, paucis inde adhibitis balsamicis & consolidantibus quibusdam medicamentis excoriatio hæc dolorifica in totum persanata fuit, ac prædictus Benedictinus Dominus jam ab aliquot annis, in hanc usque horam (Deo sint laudes) & à calculo, & à toties repetitâ urinæ retentione immunis vivit: Et hoc in ordine ad casum præsentem; cui ob materiæ calculosæ connexionem, non quidem quoad substantiam aut locum, sed quoad numerum lapidum notabilem, alium annectere placuit, & talis est Reverendissimus nimirum ac Amplissimus cujusdam Monasterii Benedictini Dominus Præsul, postquam, morbo quodam gravissimo ex inopinato correptus intra paucos dies mortuus est, 57. calculos pisorum majorum magnitudine, at non rotundâ, sed triangulari potius ac quadrangulari figurâ in vesicula fellis, factâ incisione anatomicâ, retentos ostendit, de quorum tamen præsentiâ nunquam fuit facta minima suspicio, aut ulla hujus mali clandestini debita indicatio observata, sed quoad apparentiam extrinsecam, & reliquas functiones vitales, naturales & animales eousque sanus vivebat & incolumis, quousque luctuosissimo hoc conflictu morboso in vigore ætatis extinctus est.

(*Salisburgo Augustam Vind. d. 15. August. An. 1709. missa*)

OBSERVATIO CLIII.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

Rara alleviatio Gonorrhææ.

PErilluſtris Dominus N. N. 28. annorum temperamenti cholerico-ſanguinei, hepatis calidioris, in rebus non naturalibus multum excedens, præſertim in caſtris Martis, Veneris & Bacchi ſtrenuè decertans, poſtquam per aliquod tempus cum ſcortis multam rem habuiſſet, incidit tandem in gonorrhæam virulentam cum eroſione penis & bubone in inguine dextero, contra quæ juxta methodum cum euphoria omnia adhibita fuêre, ita ut in integrum reſtitutus fuerit, aſt conſuetudini obtemperans, ſeſe denuò veneri mancipavit, & ſic iterum in gonorrhæam incidit, contra quam, utpote nauſeabundus medicamentorum, nil remediorum adhibuit, ſed potius juxta ſuam conſuetudinem malum malo addere non intermiſit, cum diverſo tamen effectu, ſiquidem, illo aſſerente, quotiescunque fornicatur, ſemper ad tres vel quatuor dies à Gonorrhæa immunis eſt, & quod plus eſt, nulla ab eo inficitur, & prolificus eſt, ſiquidem hoc anno trium puerorum vegetorum adhuc ſuperſtitum, ſe Patrem fateri debuit.

OBSERVATIO CLIV.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

Iliaca Paſſio aurea.

VIr quidam honeſtus, natione Turca, atrabiliarius, naturæ robuſtæ, 45. annorum, tempore recuperationis Budæ captus fuit, poſtquam veram fidem amplexus fuerat, libertate donabatur, quà obtentà uxorem duxit & ruſticam vitam egit. Is ſæpius de doloribus colicis cum vomitu excrementorum conquerebatur, ſed ſemper iterum liberatus fuit, ultimò tandem idem malum recurrit cum conſtipationibus pertinaciſſimis vomituque excrementorum quaſi continuo conjunctum, omnia, ſed incaſſum

sum adhibuerunt, tandem me sed post festum 16. infirmitatis die vocârunt, siquidem tribus horis post meum adventum vitam cum morte permutavit.

Et ecce quid stupendi! vix enim de morte certi fuimus, uxor defuncti cultro mensali sese ad Anatomen præparat, atque interrogata, utrum non misereatur mariti, respondet: ille me, licet Baptizatus, verè turcico modo tractavit, jam in ultima infirmitate de his veniam rogavit, asserens, si Deus illi vitam prolongaverit, se velle omnem conatum adhibere, ut possit thesaurum, quem à tempore obsidionis Budensis in corpore habeat, acquirere, quo illorum egestati succurreret, ut imposterum in majori tranquillitate vivere valeant, hinc auri cupida durante adhuc discursu incisionem sat barbarè aggreditur, & eximit intestina, in quibus plane vacuis, exceptis flatibus, qui intestina præsertim colon multum distenderunt, 48. aureos numos hinc inde dispersos materia aliqua viscida mucilaginosa, sive uti Paracelso placet tartaro fæcali involutos invenimus, qui hinc inde facile mobiles fuerunt, quinque exceptis, qui quasi per modum lapidis ex tartaro illo fæcali concreti finem intestini Ilei ita obturârunt, ut infusa aqua tantum per modum stillicidii transudaverit, ut ita non inepte ad imitationem Clarissimi Ettmülleri ex Barth. cent. 3. Ep. 69. qui colicam auream ex deglutitis aureis numis dixit, & hanc affectionem Iliacam auream nominare liceat, hoc tamen mirum, nummos tanto rempore in corpore manere potuisse, non obstante, quòd sæpius catapotia No. XX. pro ordinario ipsius purgante sumpserit.

OBSERVATIO CLV.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

Vesicatoria in febri maligna à natura spatio 14. horarum bis vera cute obducta.

PRænobilis cujusdam Domini ex Hungaria profugi filia tredecim annorum ætatis suæ, temperamenti sanguineo-bilioſi, stoma-

ſtomachi debilioris, totius habitûs corporis gracilis ad initium Aprilis elapſi anni febri tertiana ſimplici laboraverat, cui lene laxativum propinavi, de quo tamen vir dimidium ſumpſerat, igitur etiam operatio talis qualis fuit, febris tamen ceſſavit, quapropter ulteriorum remediorum uſum reſpuebat, & ſe ad certum caſtellum recreationis causâ contulit, ubi usque ad feſta Paſchalia permanſit, quo poſtmodum huc Varasdinum reverſa erat, ubi ad conſanguineos invitabatur, apud quos per totam diem nil niſi carnem porcinam, fumo induratam, frigidam in magna quantitate comedit, non conſiderans, quòd ſtomachus ex prægreſſo ſtricto Jejunio quadrageſimali labefactatus ſit, horâ ſomni domum redux in enormem ſæpius repetitum vomitum incidit, cum ſubſequente nocte inſomni, dolore capitis intenſiſſimo & calore urente, quibus ut ſuccurrerent, acetum ſambucinum fronti applicârunt, & intro theriacam porrexerunt, hiſce autem incaſſum tentatis tertia morbi die ad veſperum me vocant, ubi illam cum pulſu inæquali, oculo ſiniſtro ſcintillante quidem, ſed collapſo & quaſi hippocratico, dextero verò totaliter clauſo à tumore totam partem dexteram faciei occupante, ut vix fiſſura in loco oculi comparuerit, in qua parte etiam de maximo dolore capitis conquerebatur, adjuncta jectigatione membrorum, reſpiratione correſpondente pulſui, ſtridore dentium & ore in angulis modicum ſpumante inveni, hinc enema ordinavi, quia per quinque dies conſtipata erat, poſt hoc diaphoreticum antepilepticum & externè linimentum ex oleis emollientibus, reſolventibus & anodynis; aſt dum altera die hoc eſt quarta morbi ægram denuo accedo, nil niſi linimentum applicatum, omiſſis enemate & diaphoretico, experior, tumor tamen faciei ſubſidebat, dolor capitis aliqualiter videbatur remittere, materia copioſa per nares effluente, reliquâ per laryngem deſtillante, hinc tuſſis continua non ſine magna moleſtia, quod ut ſemicriticum & juxta intentionem linimenti, nullatenus fortioribus compeſcere volui, hac tota die nec quidquam alimenti vel medicamenti, ob nauſeam à defluxione ſumpſit, circa horam

ſomni

somni suasu muliercularum certa emplastra defluxionem sistentia futuræ coronali & temporibus me inscio applicârunt, quibus intentum effectum non sine earundem applausu obtinuêre, ast siniſtro hîc effectu, siquidem omnis defluxio cessavit, & dolor capitis nunc totum caput occupans recurrit, sexta tándem die enema in usum trahebatur, quod multum materiæ totaliter adustæ, enormiter fœrentis eduxit, & loco diaphoretici mixturam cordialem maritatam alexipharmacis, & antiepilepticis, quia prodromi convulsionum & præsens delirium id exigebant, cochleatim propinavi; ad vesperum post meum abitum, Medicus alius vocabatur, qui pro ventura die nimirum septima ex sibi cognitis mihi verò ignotis rationibus purgationem ordinavit, ast cum exiguo effectu, siquidem prima die sumptionis non ultra ternas operationes habuit, deliria verò ita invaluerunt, ut nec proprios parentes noverit, nec ad interrogata responderit, sed totum diem in vehementissimis clamoribus & ejulatibus transegerit, diversissimis ast sine euphoria adhibitis, inter quæ etiam gallinæ vivæ per medium dissectæ capiti impositæ fuerunt, quæ spatio medio quadrantis horæ ita in putredinem actæ fuêre, ut ratione fœtoris necesse fuerit illas abjicere, octavâ die diarrhæa supervenit, & videbatur delirium remittere, omnes adstantes cognovit, ad interrogata sat commode respondit, & quietior reddita fuit, urina laudabilis apparuit, ast pulsus intermittens mansit, appetitus nimius fuit, cui tamen non ad votum respondimus, interim hac die strenuè medicamentis, præsertim antiepilepticis, quia floccos continuo colligebat, decertatum fuit, nona die incidit in risum sardonicum cum spasmo opistothonos, ita ut videretur colli cutis ex parte anteriori disrumpenda, clamores in tacitumas murmurationes mutabantur, ad interrogata congruè quidem respondit, sed cum maximis clamoribus, omnia accepit tam medicamenta quàm alimenta, decima incidit in soporem, hinc vesicatoria, jam antea in brachiis adhibita, in carpis repetita fuêre, quæ sat in altum cutim elevârunt, quâ detractâ & effluxo sero, caro livida interpositis pustulis flavescentibus conspi-

ciebatur, undecima dum volebamus mundare veſicatoria, nova cutis integerrima ſupercrevit, & veſicæ medio majores videbantur, hac denuo detractâ caro rubicundiſſima ſe monſtravit, aſt quia totaliter frigida, nullus perceptibilis pulſus, & verè agonizans fuit, ab ulterioribus abſtinuimus, ſicuti etiam circa ſecundam pomeridianam fatis ceſſit, & ecce dum corpus uti ſolitum lavabatur, denuo veſicatoria conſolidata erant, cum hac tamen diverſitate, quòd cuticula tenuior fuerit, quia vix quinque horæ interceſſerant, quæ per ablutionem diſrupta fuit, & ad libram medicam ſeri, me præſente, qui id ipſemet in vitrum excepi, effluxit.

OBSERVATIO CLVI.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

Catarrhus ſuffocativus ſternutatorio curatus.

PRæfatæ Domicellæ Frater 9. annorum ex frigido veniens prope fornacem quaſi igneſcentem per mediam horam ſedens, incidit derepente in tuſſim ferinam continuam cum rubore & tumore colli, faciei & oculorum vix ſpiritum trahere potuit præ tuſſi continua, diverſa quantum temporis anguſtia ob metum ſuffocationis tam ex chirurgia quàm pharmacia ſed fruſtra adhibebantur, tandem cum viderem tuſſim iſtam à liquatis acribus per laryngem deſtillantibus humoribus originem trahere, etiam reluctante Gal. qui 2. prædict. Com. 49. ait, ſternutamentum ſequi gravedines maxima ex parte, & cum ſternutatio concutiat pectus, vitietque pulmones, igitur in deſtillatione non eſt ſalubris. &c. quoniam verò ex relatione illorum jam per aliquot ſeptimanas caput per viam ordinariam nempe per nares expurgabatur, & juxta Celſum lib. 4. cap. 2. quæ in nares fiunt fluxiones leviores ſunt, quam quæ ad fauces ſunt, hinc ſolummodo butyrum cum pulvere majoranæ naribus intruſi, à quo poſt aliquot momenta ter ſternutavit, ſuperveniente defluxione lymphæ acris per modum hæmorrhagiæ vicinas partes erodente per

qua-

quadrantem horæ continuante, qua ceſſante etiam tuſſis remiſit, non niſi rariſſimè recurrens, defluxio autem adhuc quatuor vicibus illa nocte ſeſe inſinuavit, altero die manè mihi jam per Dei gratiam ſanus obviam venit, quem pridie vix non omnes deſperatum judicârunt.

OBSERVATIO CLVII.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

Hydrocephalus ex inunctione Arſenici fiſtulâ lachrymali terminatus.

DOmini Joannis Giondini, civis Mediolanenſis filia 14. circiter annorum incidit primum in furfuraceum capitis pruritum per modum tineæ, quem poſtmodum fœda exulceratio materiam purulentam enormiter fætentem manans, conjunctâ maximâ copiâ pediculorum excepit, cui moleſtiæ, ut ſuppetias ferat, ſuaſu muliercularum unguentum ex ſevo cervino, arſenico & ſulphure confecit, quo totum caput inunxit, hoc adhibito ſpacio trium dierum ſcabies exſiccata decidit, & pediculi evanuerunt, tertia die incidit in coma ſomnolentum, quia verò prioribus temporibus nihil dormire potuit, hinc pro bono ſigno judicârunt, ſomno tandem viginti quatuor horas excedente, me vocant, cui ut opem ferrem, aliis, utpote inclamationibus, frictionibus, errhinis & fortioribus clyſteribus incaſſum tentatis, tandem cauterio actuali illam excitavi, quæ de maxima gravedine capitis conquerebatur, facies primò tumere cœpit, poſtmodum totum caput, ut ſpatio octo dierum æquaverit vaſculum tenens quinque menſuras Hungaricas, hoc eſt, circiter ad libras medicas 20. qui tumor tandem adhibitis diverſis per efflu-xum ſeri alicujus corrupti & mali odoris per aures, nares & oculos ſubſedit, remanente tamen, multis licet aſt ſine euphoria adhibitis remediis, fiſtula lachrymali incurabili, forſitan, quod non curat ferrum, curaret ignis juxta Hipp. aſt à priori cauterio perterrita non admiſit, & ſic jam ab aliquot annis per fiſtulam lachrymalem hanc inunctionem arſenici illachrymatur.

OBSERVATIO CLVIII.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

Pulsus naturaliter intermittens.

PUlsum arteriarum in manibus æqualem cum motu cordis esse nemo est, qui neget, & communis omnium sententia fert, quo cessante & homo vivere desinit, interim tamen hominem etiam sine sensibili pulsu arteriæ benè & sanè vivere posse lanioquidam Hartbergensis, nomine Balthasar Parvo, demonstrat, is dum ante aliquod tempus in coemptione animalium se nimis procul ad partes hostiles approximavit, hinc ab iisdem terga fugæ dare coactus fuit, in qua errabundus in magnam silvam deviavit, ubi usque in quartum diem sine cibo circumvagabatur, quo à suis inventus semiexanimis domum deductus fuit; ad quem statim accersitus eundem in summis debilitatibus, adjunctis motibus convulsivis ex inanitione, sine omni perceptibili pulsu invenio, reficientia specifica multa cum bono effectu adhibita fuêre, ita quidem, ut quarta die opificii ejusdem munia jam peragere valuerit, interim nullus sensus alicujus pulsûs arteriæ percipiebatur, & dum id mirabar, respondit mihi se tota sua vita etiam quando sanus, nullum pulsum sentire, & si sentit, infallibile sibi signum esse se brevi infirmandum, quod ego postmodum sæpius curiositatis gratia tactu experiri tentavi, & inveni eundem revera sanum cum pulsu intermittente vivere, sicut & modo quantum constat adhuc dum incolumis vivit.

OBSERVATIO CLIX.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI KHERN.

Affectio scorbutica mulieribus Hartbergensibus ante aliquot annos Epidemica.

DIversis locis diversos morbos partim ob victûs rationem, partim ob aëris constitutionem epidemios esse, nullus est, qui dubitet, interim plerumque tamen tales morbi utrumque sexum

ſexum corripiunt,& per longum tempus inhærere ſolent, hoc tamen ante aliquot annos Hartbergæ, ubi tunc temporis ſolus Medicus eram, aliter apud fæminas ſe habuit, has namque in Aprili primo frigus ſubſequente calore corripuit, altera die ceſſante calore ſubſequebatur dolor hypochondrii ſiniſtri cum intumeſcentia lienis ad ventriculum uſque pertingentis, quæ externè tactu facile ſeſe manifeſtavit, levibusque diaphoreticis adjunctis antiſcorbuticis detumuit, ſubſequebantur autem dolores dentium & gingivarum excoriationes, ita quidem, ut ſi vel minimum gingivas linguâ attigerint, ſtatim cutis ſeceſſerit, & quod plurimum eſt affectio iſta ſpatio quinque ſeptimanarum omnes fæminas in tota civitate, tribus exceptis ad ſolertiſſimam meam inveſtigationem, quæ trigeſimum annum tranſegerunt, immunes fuerunt, de viro autem tali morbo laborante nec auditum tunc temporis fuit, ut ita hæc affectio ſolis fæminis fuerit Epidemica.

(*Varasdino in Croatia Auguſtam Vind. d. 1. Septembr. A. 1709. miſſa.*)

OBSERVATIO CLX.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Incertâ febris continuæ quartanam diuturniorem excipientis per abſceſſum ſolutione.

Diuturniores febres quartanas latentia in viſceribus infimi ventris relinquere vitia, quibus ſuccedant *febres continuæ mali moris*, hasque *periculoſas* eſſe, nec *abſceſſibus* etiam iis, qùi verbo Hippocratis *infra morbum ſunt*, ſolvi, paucis declarare nobis liceat. Feminam quandam quadragenariâ majorem febris quartana ultra annum protracta malè mulctaverat. Quâ cùm liberata eſſet, non tam *medicamentis*, quæ cholerica ſuoque abundans ſenſu mulier ſemper averſata fuerat, ſed temporis longinquitate cœlique clementiâ, utcunque cum ſanitate priſtinâ rediit in gratiam. Plenam enim non dixerim illam reconciliationem,

quia post febrim fœtor spiritûs, labiorum livor ac defœdatio, faciei color fuscus & palpitatio cordis &c. remanserant. Dubiâ hâc valetudine ei frui contigit per notabile aliquod tempus; hoc autem elapso in febrim incidit continuum, quô ipsô felicior fuit viro aliquo illustri sexagenario, qui à quartanâ diuturniore planè exhaustus præter spem omnem præmissis pulveribus antifebrilibus, interpositis laxantibus, adhibito vino medicato ex stomachicis & deobstruentibus tam pulchrè convaluit, ut magnoperè sibi gratularetur, sed inter paucas septimanas, postquam vino & irâ incaluisset, febri acutâ cum pessimis symptomatibus correptus est. Et certè ne ipse quidem Hippocrates de subsecuturâ morte dubitâsset consideratis deliriis, singultu, typhomaniâ, involuntario urinæ & excrementorum effluxu, floccorum collectione &c. evasit tamen DEI ope, & ad hanc horam feliciter sanus & salvus supersest. Sed nobis è diverticulo ad nostram ægrotantem redeundum est. In illâ æstus interdiu vehementer erat intensus, sed noctu omnium maximus cum incredibili anxietate, inquietudine, vigiliis perpetuis. Quasi præscia mortis suæ esset, nullâ suarum rerum curâ tangi videbatur. Urina multo eoque copiosissimo sedimento abundabat. Credidisses naturam velle omnia excrementa in vias urinarias deponere. Mictio erat frequens. Latens etiam aliqua phlogosis in ductibus urinariis observabatur. Postquam per quinque septimanas his malorum fluctibus jactata esset, de *dolore inguinis in dextrâ regione conqueri* cœpit, brevique post tumor abscessûs rationem utique habens ibidem exortus est. Vitium non esse, ut ita loquar, cutaneum, sed scaturiginem ejus esse internam facilè apparebat. Et nisi me omnia fallunt, morbus prægressus, corporis constitutio & reliqua phænomena ante memorata non vanam movebant suspicionem de affectione, aut *mesenterii*, *aut lienis*, *aut* forte *utriusque*. Tametsi verò Hippocratis oraculo jam ante laudato illi *abscessus boni sunt*, qui *infra morbum fiunt*, quò minùs tamen in bonorum classem noster referri posset, duplex obsta-

obſtabat cauſa. Prior erat, quòd non ſatis diſtaret à morbo. Ex infernis enim juxta Hippocratica decreta, optimi illi ſunt, *qui longiſſimè infra ventrem & remotiſſimi à morbo ſunt;* altera verò, quòd non eſſet κατ' ἴξιν, ſed in latere dextro, cum lienis vitium non adeò eſſet obſcurum & tantum non palpabile. Verè enim, quod Hippocrates de hæmorrhagiâ docet, abſceſſibus illis applicari poteſt, &, ſi rectè memini, à Dureto applicatum fuit iſtud Hippocratis: *Quæ fit è diverſo, hæmorrhagia prava eſt, ut in liene magno è dextris atque ſimiliter in hypochondriis.* Unde exigua apud me quidem de ſanitate ægræ ſpes, quæ apud Chirurgum maxima erat, quam nec ipſe exuiſſem, ſi in ſiniſtro latere apparuiſſet memor Herophontis apud Hippocratem. Huic lien intumuit, inde bubo ſiniſter; mox in crure κατ' ἴξιν facto abſceſſu præter ſpem convaluit. Hâc hyeme cum febris peſſimi moris cum ſymptomatibus variis, aphoniâ, epilepſiâ in *puero ſexenni*, cum deliriis & ſummo capitis dolore ac viſus obtenebratione in *virgine adultâ*, cum cardialgia, tremore partium &c. in *famulis duobus* in unâ eâdemque domo ſæviiſſet, omnesque ex ſingulari DEI gratiâ convaluiſſent, ultimò morbus illuſtre familiæ caput aggreſſus eſt, tantaque vehementia erat ſymptomatum præſertim verò ſingultûs, ut omnes de vitâ ejus actum crederent; me verò optima ſuſtentabat ſpes, eum ex gravi morbo eluctaturum, cum dextro femore acerbiſſimus oboriretur dolor cum tumore conjunctus, qui brevi poſt eundem pedem dextrum occupabat, eò quod vir & generis ſplendore & officii dignitate nobiliſſimus hepatis obſtructione ac ex immoderatiori uſu meri atque impetuoſa ira ejusdem inflammatione laborare mihi videretur. Et planè, ſicuti ſperaveram, evenit. Adeò dextra dextris & ſiniſtra ſiniſtris ὁμόφυλα καὶ ἐυπρόσφυτα. Abſceſſus in ægrâ noſtrâ apertus ingentem puris quantitatem effudit. Evidenter reſpiratio ac tuſſis docebant ex abdominis cavitate hanc purulentam ſcaturire materiam. Quarto, *ab aperto abſceſſu*, die extincta eſt, nec impetrare ullô modô à marito

licuit

licuit, ut cultrô anatomicô in fontem ac principium mali inquirere liceret, quamvis nullatenus dubitem, extiſpicium hoc meam de origine mali confirmaturum fuiſſe ſententiam. Hi tamen abſceſſus diſtingui debent à tumore in pube apparenti, qui multis de cauſis oriri poteſt vel *in ipſis inguinum glandulis* vel *ab inteſtini aut omenti prolapſu*, vel *ab utero in eam partem incumbenti*, vel etiam *à collo veſicæ aut meatu urinario*, quod ultimum in nobiliſſima Matrona non ita pridem fuit deprehenſum. Hæc olim fluore albo & deinceps periodico etiam calculi renum dolore fatigata ac de ſummo urinæ ardore & lancinatione conqueſta in autumno febri corripitur ſymptomaticâ. Veteres illi cruciatus in immenſum augentur. Inter dolorum faces & febris ignes contabeſcit. Sumptis emulſivis, gelatinoſis continuatoque uſu pulveris nephritici Volkammeri atque Sulphuris lycopodii, ac oleoſis clyſteribus injectis miteſcunt dolores, febris minuitur. Poſtmodum moderatiſſimè Eſſentiâ balſami Peruviani & ligni S. ut & leni decocto calidè uſa vires reſumit. Subitò autem die uno ad reddendam urinam ſtimulata magnam puris fœtidiſſimi quantitatem excernit non ſine inſigni levamine. Quæ excretio ubi per unam & alteram ſeptimanam continuâſſet, clanculum Chirurgorum & Medicaſtrorum opem implorat. Res ſuas in deterius labi animadvertens ad Medicos revertitur. Porrigitur decoctum ex abſterſivis in aquâ calcis vivæ, cui ſolutio myrrhæ admixta fuit, exhibentur etiam multa alia, ſed ſine fructu. Tandem in pube tumor oritur. Ex aperto non niſi olidiſſimus primum eructat halitus, poſthac verò etiam purulenta materia in memorabili copia effluit. Exhauſta viribus tandem vitâ excedit. Indagine per cultrum anatomicum facta patuit oculo vitium in meatu urinario & collo veſicæ origo tumoris in pube.

OBSER-

OBSERVATIO CLXI.

Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.

De

Impotentia ad Venerem à nimium bonâ corporis habitudine.

CUm de *ἀπραξίᾳ* genitalium à viris sanis (nullo totius corporis morbo præsente) querelæ ad Medicos deferuntur, circumspectiores inter hos causam ejus *ἀδυναμίας* quærunt vel in *pene patratore* vel in *inopia aut inertia liquoris genitalis*, & hanc quidem per alimenta commode sublevare aut corrigere, membro autem naturale robur ac tenorem per tonica nonnunquam etiam externa irritantia acriora restituere conantur. Et certè utrumque hoc suscipimus non prorsus sine successu, cùm *nimirum* vel aliquod vitium hæret in verpo, isque aut paralysi aut spasmo correptus est, vel seminis penuria revera adest. At videas non rarò, qui semine abundant, athleticâ corporis sanitate fruuntur, & ad hoc tamen opus ferè segniores sunt. Novi quosdam, qui lautè & opiparè vivunt procul esse jussâ omni curâ & solicitudine, qui masculâ corporis staturâ sibi placent, qui in juventute nervum libidine non ineptum reddiderunt, qui nunquam partes illas doluerunt, multò minùs gonorrhœâ laborarunt, & tamen lorum in aqua, quando munus mariti obeundum est. Res ea me multoties solicitum habuit, nec quicquam mihi occurrit verosimilius, quàm quòd natura in hujusmodi corporibus nimiùm nutritionis œconomiæ intenta, functionibus individui propagationi inservientibus minorem impendat curam illasque quasi negligat. Non temerè autem dixerim, ex minori hâc solicitudine illud consequi, ut alimenta enchyma & ad multiplicandum semen aptissima in solum nutrimentum convertantur; nam docuit me experientia, quòd geniali latice non destituantur, ac ex substantiâ sanguineâ utique purior & selecta ejus pars glutinosa, candida ac spirituosa à vasorum seminalium poris excipiatur ac exaltetur. An itaque semen præ mole corporis & pin-

guedine ſupprimitur, eò quòd vaſa omnia fiant anguſtiora, ſicuti lac in ſucculentis nutricibus, obſervante jam tum Hippocrate, eâ de cauſa ſupprimi ſolet? Crederemus hoc, niſi ſciremus etiam obeſos ſtrenuè poſſe mereri apud uxores ſuas, eosque in ejaculatione ſeminis cum aliis paria facere. An itaque negligentia naturæ conſiſtit in hoc, quòd florem ſeminis jam à ſanguine ſeparatum non adeò ſolicitè ad generationis opus deſtinet & applicet? ἐπέχω.

OBSERVATIO CLXII.
Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.
De
Raucedine per venæſectionem curata.

VIrgo ſanguinei temperamenti & floridi corporis habitus, cui ritè menſes hactenus fluxerunt, religioſam vitam profeſſa bis terve in anno raucedine corripitur. Illa nulli cedit remedio, niſi ſoli venæſectioni, &, quod me adſtantem aliquoties rapuit in admirationem, ſimul ac ſanguis ex vulneratâ venâ effluere incipit, vox inclareſcit, & abſolutâ venæſectione nullum raucedinis veſtigium remanet. Id ipſum ego ter ſum expertus. Quapropter impensè doleo, quòd venæſectionis ſucceſſum in quinquagenario illo, cujus mentionem *in hiſtoria Vratislavienſium morborum nomine Dominorum Collegarum à me ſcripta feci pag. 67. edition. prim. Anni* 1699. non fuerim periclitatus.

OBSERVATIO CLXIII.
Dn. D. CHRISTIANI DE HELWICH.
De
Febribus intermittentibus malignis.

DIſputatum fuit inter doctiſſimos Medicos, an nonnunquam ex verè intermittentibus febribus quædam malignæ exiſtant? Et videas alios hoc affirmare, alios verò negare. Verè malignas intermittentes multis Præclaris Viris videre licuit, e. g. Petro Salio Diverſo, Sennerto, Paulo Neucranzio, Joanni Rhodio, Simoni

Pauli

Pauli, Heinrico Meibomio, Profeſſ. Helmſtad. celeberrimo, aliisque pluribus. Agnovit ejus generis intermittentes Galenus, indicavit Mercatus Claudinus & Minadous. Et hoc anno mihi quoque, qui antea magis ad negativam propendi, hìc tertianas duplices malignas aliquoties obſervare contigit. Invenio etiam notatum à Medicis, in illis locis, ubi peſtis in vicinia noſtrâ graſſatur hodie, ante luis peſtiferæ ingreſſum intermittentes malignimoris fuiſſe graſſatas. Typus illarum, quas ego tractavi, hic fuit. Initio ægri meridiano tempore levem ſenſere horrorem, quem calor illico excepit, redeunte tamen per intervalla aliquot horarum iterum atque iterum horrore. Calor non videbatur adeò magnus, ſed cum ſummâ virium debilitate & corporis laſſitudine erat conjunctus, & in ſequentem diem usque ad quintam & ſextam matutinam protractus. Pulſus ſummè languidus erat. Ab his horis ſecundi diei ferè usque ad quintam veſpertinam non tantum remiſſio, ſed vera intermiſſio obſervabatur; nihilominus de maximâ virium proſtratione conquerebantur, & artus ſibi omnes quaſi confractos eſſe dolebant. Prædicta quintâ veſpertinâ ſenſum frigoris, per dorſum, ut ajebant, decurrentis percipiebant, & ſtatim in majorem incidebant æſtum, qui per integram noctem usque ad octavam imò decimam ſequentis diei durabat. Et hoc die tertio verè adhuc intermiſſionem aliquam deprehendere potui, ſed quæ vix duarum aut trium horarum erat. Sequentibus verò quatuor aut quinque diebus creſcebat calor ac debilitas, ut facilius exacerbationem quàm veram intermiſſionem notare poſſes. Sed, quod notatu digniſſimum eſſe arbitror, hiſce transactis diebus, juxta meam medendi methodum quidem rurſus intermiſſiones apparebant, & quotidie quaſi luculentiores, donec vel in tertianas ſimplices, vel quod tribus eveniſſe memini, in quartanas manifeſtè degenerarent. Lingua toto morbi decurſu muco viſcido plerumque albo obducta erat. Graviſſimè urgebat nauſea. In quibusdam ventriculus ad vomitum concitabatur, alios verò inanes vomendi conatus maximè torquebant. In his cardialgia major, quàm

in illis erat, facilè etiam animo linquebantur, cum leviter commoverentur, ac sudor frigidus manabat. Inappetentia & ciborum aversatio longè maxima erat, sed, quod mireris, sitis minimè clamosa. Limpidam avidè expetebant reliqua potuum genera fastidientes. Tribus aut quatuor prioribus diebus immanis capitis dolor iis erat infestus, qui utut sequentibus non cessare videretur, quia morbus de vehementia non remittebat, parcius tamen veteres de ejus cruciatu querelæ audiebantur. Vigiliæ perpetuæ propemodum & inexpugnabiles. Urina sub initium naturali similis, morbo crescente saturatè rubra, eo autem adulto & declinante turbida fuit. Alvus non satisfaciebat officio. Purpuram post incredibiles anxietates & jectigationes erupisse in uno alterove recordor. In quinquagenariæ viduæ, quæ in sterili matrimonio vixerat, corpore post summam pectoris oppressionem *Essere* efflоruit. Hisce nostris febribus admodum noxia fuerunt emetica & purgantia drastica, quorum usus, ut fama fert, nonnullis fuit lethalis. Ad imitationem Neucranzii de *purpuræ curat. p.* 413. nonnunquam ab initio leni sum usus *pharmaco curiosè vitatis fortioribus*. Alexipharmaca & bezoardici pulveres cum Nitro misti sacra nostrorum ægrorum anchora fuerunt, non neglectis tamen humectantibus & analepticis. Quoad intermissio aliqua observari potuit, sub declinationem paroxysmi exhibita fuit essentia ex scordio & radicibus alexipharmacis & ægris inculcatum, sudorem sponte manaturum continentiâ & quiete corporis potuque calido esse fovendum. Horâ unâ aut alterâ ante paroxysmum datus est pulvis ex bezoardicis & Nitro. Cùm verò deinceps intermissio aut nulla esset aut certè obscurior, essentiam quidem hora 5. & 11. matutina dedimus, pulvis verò hora 4ta & 9. vespertina fuit exhibitus. Qui sudores citra regimen sudoriferum placidè promoverunt, iis nausea, vomitus imò & deliquia multò citius cessarunt, interposita præsertim Tinctura rubrâ D. B. quàm aliis, qui jectigationibus intempestivis sudoris fluxum impediverunt. Cum vero deinde iterum æstus intermitteret, facile curabantur.

(*Vratislaviâ Augustam Vindel. d. 23. Sept. An. 1709. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CLXIV.
DN. D. GOTHOFREDI KLAUNIG.
Asthmaticorum salus à Vesicatoriis suris applicatis.

COnsensum, qui pectori intercedit cum cruribus, vix ratione, satis verò evidenter experientiâ quotidianâ posse demonstrari, vix indiget ulteriore probatione, cum præter nostra observata ipse *Hippocrates* jam olim intimam dictarum partium harmoniam *l.* 2. *Prognos.* 67. *In Pulmoniis, quicunque tumores fiunt ad crura, boni, nec potest aliud quicquam melius accidere, præsertim si mutato sputo sic appareant:* & alibi passim innuerit. Hujus forsan prognoseos memor famosissimus *Capivaccius*, in asthmate inveterato adhibuit ustiones tanta cum euphoria, ut *l.* 2. *c.* 2. *Medicinæ practicæ*, candide fateatur, se, si asthma foveatur à materia, nescire remedium excellentius ustione cruribus applicatâ. Nostris temporibus ad eundem scopum, mitiori tamen viâ colineasse videtur celeberr. *Baglivius in Dissert. de usu & abusu vesicantium*, qui ustioni substituit vesicantia, eaque in Pleuriticis, ubi adest magna spirandi & expectorandi sputi difficultas, adeò ut Patiens in summo vitæ discrimine appareat, tibiis admota maximè extulit. Quapropter jam ante aliquot annos avide arripui hoc consilium, & *Pleuriticis*, juxta normam *Baglivii*, *non sanguine acri, sed crasso, viscido ad coagulationes stagnationesque dispositio præditis*, vesicatorio in utraque sura applicato expuitionem liberrimam & sæpius sanitatem procuravi. Vocatus postmodum ad ægros asthmate modò humoroso, modò convulsivo vexatos, ob morbi vim morbi proximos, & ad senes quandoque grandævos, qui jam frustraneo conatu medicamenta pectori dicata cujuscunque generis assumserunt, non amplius attendens sanguinis diatheses, promiscue ob analogiam ad vesicatoria tanquam ad sacram anchoram confugi, & nunquam non inveni salutem. Huic methodo obicem, quam tribus vicibus observare contigit, posuit temerarius Balneator, qui ex febre symptomatica venæsectionis necessitatem

judicans, venam in brachio me inscio secavit, quâ apertâ expuitio penitus intercepta nulloque remedio ob turbatum naturæ motum revocanda morti occasionem præbuit. Si itaque modò memoratum Chirurgi errorem in duobus Juvenibus & Fœmina commissum excipiam, Asthmaticis hactenus Vesicatoria utrique suræ per aliquot dies adhibita nunquam sine maximo sanitatis emolumento deprehendi, quem exoptatissimum & imitatione dignum effectum alios etiam experturos confido. Causæ indagationem cuilibet lubens relinquam. Si verò mihi meam circa hoc phænomenon mentem brevissimis explicare liceat, persuasus sum, Vesicantia suris imposita, dum dolorem excitant, animam, hincque dependentem humórum affluxum divertendo aufferre in respirationis organis, arteriâ scilicet asperâ, bronchiis, pulmonum vesiculis &c. spasmodicam illam contractionem, quæ respirationi impedimento fuit. Idem obstaculum pariter occurrit in asthmate sic dicto humoroso, dum infarctus materiæ pituitosæ in bronchiis ob violentam extensionem non potest non spasmos inferre, quibus per Vesicantia in remotis partibus adhibita, sublatis, materiæ liberrimus conceditur exitus & instans præcavetur suffocatio. Accedit, quod etiam Emplastra vesicatoria energiam suam exerceant solvendo humorum coagulationes, juxta *Baglivium*, & diuresin promovendo, prout clarissimus *Olaus Borrichius in Act. Hafn. ad An.* 1676. *p. m.* 187. ingeniosè docet, ut hac ratione effectu Asthmaticis salutari triplici, resolvente, diuretico, & inprimis antispasmodico in morbis suffocativis utramque faciant paginam Vesicatoria.

(*Vratislaviâ Augustam Vind. d. 23. Sept. An. 1709. missa.*)

OBSERVATIO CLXV.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

Ischuria à musculo Vesicæ detrusore, munere suo non fungente.

MEmbranam Vesicæ mediam musculosam haud inepte vocari, inter recentiores Anatomicos etiam Philippus Verheyen

in

in Anat. Corp. Human. Tr. II. c. XVIII. p. m. 155. statuit : quin Adrianus Spigelius de Hum. Corp. fabrica l. IV. c. XII. p. m. 125. refert; Hieron. ab Aquapendente hanc ipsam membranam musculi detrusoris nomine insigniviſſe, qui vesicam veluti manu comprimat, & quicquid in ipsa sit, expellat; cujus Musculi & Christian Ludov. Welschius in Tabul. Anatomicis, & forsan plures alii meminere: hoc autem musculo officio suo non fungente, interdum Ischuriam produci, sequens historia docebit: Juris Consultus quidam, quinque annis sexagenario major, jam per aliquot annos, quando urinam reddit, notat, quod eam non statim, quando Vesica urget, deponere possit, sed sæpius diutius expectare opus habeat, ubi tamen semper in ea, in qua sani solent, quantitate, eam excrevit; donec ante annum, & quod excurrit, convivio cuidam cum aliquando interfuisset, atque à Vesica nunquam monitus, eam per aliquot horas non levasset, primo quidem urinam non nisi guttatim & summis cum doloribus excernere potuit, hinc verò per aliquot hebdomadas sic nullam ejusdem guttam deposuit, ut, nisi cathetere subducta fuisset, in graviſſima incidisset mala, uti quidem hunc casum alibi in Observationibus meis, Deo juvante & obstetricante Bibliopola quodam olim edendis descripsi : quemadmodum autem tum constitit, nec peregrini quid in Vesica latere, nec urethram ullo modo obstructam aut compressam esse, sic sat facile enim mediante Cathetere in Vesicam penetrabat Chirurgus, ita ego quidem semper causam huic musculo detrusori nimis expanso, & hinc compressionem illam Aquapendentis perficere nequienti adscripsi : & Perillustris Wedelius postmodum etiam hoc de casu consultus torpori sphincteris seu fibrarum Vesicæ motricium (ex quibus hic ipse musculus constat) eandem tribuit : & sane roborantibus adstringentibusque potius, quàm diureticis tum sanitati pristinæ DEI gratia fuit restitutus.

Sedulo verò eum hortatus sum, ne unquam in posterum diutius, quam par est, urinam retineat; & quoniam balneum quoque roborandis fibris dicatum in usum duxerat, tam bene,

DEI

DEI gratia, ab illo tempore se habuit, ut de nullo alio malo, quàm eo, cujus in principio observationis fit mentio, quæstus fuerit, nec hæc mictionis retardatio plus quam olim fuit molesta: atat, cum anno post primum insultum elapso, cum Excellentissimis suis Dominis Collegis se hilarem præbuisset, & iterum per sex integras horas urinam non reddidisset, vix domum rediens eam se iterum reddere non posse, cum dolore notavit; statim igitur Chirurgum vocavit, qui & Cathetere adhibito primò feliciter denuo urinam subduxit; cum verò hunc secundò tertiove applicaret, nec gutta quidem urinæ elici potuit; unde æger mirum quantum fuit consternatus, cum præsertim paulo post iterum urina sic aliquando subduci potuisset; sed frustra hinc denuo Catheter aliquoties adhiberetur; præscripsi quidem quædam medicamenta, & quia constabat, Cathererem à sanguine, qui è pene læso extillabat, obstrui, non solùm is sedulo expurgabatur, sed & decocto hordei cum Mell. rosat. mixto, siphone injecto sanguis in canali latitans eluebatur; atat nec sic urina succedebat: quin vel quarto iterum parca ejusdem quantitate subtracta, ab illo tempore frustra Catheter admovebatur: nec plus proderat Cereus inter hæc urethræ intrusus, & per aliquot horas in ea relictus, quin hic, si diutius inibi moratus fuisset, nocuisset potius, dum emollitus urethram magis obstruxisset, jam itaque de apertione Perinæi, qualem Franciscus Toletus, mediante instrumento, cui nomen Trocarti imposuit, facere docet, cogitavi: prius verò omnia experiri mecum constituens, hincque Catheteres, qui erant ad manus, pro debito tenuioribus habens, de novo crassiore fabricando consilium proposui: quod cum nec Amplissimo Domino ægroto, nec Chirurgo displicuisset, hic die Dominica, qua hæc præcipuè contigêre, aurifabrum adiit, & huic persuasit, ut intra paucas horas Cathererem, qualem desiderabamus, perfecerit, qui non solùm crassior, sed & majore cavitate præditus erat, hincque foramina in ejus extremitate magis patula tam facile non obturabantur: optimè verò DEI gratia successit consilium, hoc enim adhibito urina illico liberè, & in ea copia, in qua

in

in Vesica detinebatur, per illum excernebatur : quoniam autem longior erat, aliquando contigit, eodem, cum vesica urina nondum repleta fuisset, applicato, ut altius illo & ultra urinam contentam penetrante, hæc iterum non successerit; quæ tamen vel paululum eodem retracto, ut prius profluebat, hincque metus sic novus injectus cessabat: jam igitur de musculo detrusore inprimis roborando cogitandum erat; præter interna ergo Cataplasma ex Pulv. Radic. Tormentill. Fol. Querc. Ab. Equiset. Terr. Sigill. Silesiana ʒβ. & Mastich. ʒij. in vino rubro coquendum sæpius pubi applicare jussi, quod & DEI gratia tantum profuit, ut vix sex diebus elapsis urinam sicut prius reddere potuerit, & paulo post convaluerit; cum ante annum ultra triginta dies non nisi mediante Cathetere urinam emittere potuisset: Rarior hæc Ischuriæ causa vel ideò magis notanda, ut, dum nullibi ferè ejusdem fit mentio, de ea tamen cogitent, quorum curæ hoc morbo laborantes se committunt, cum præsertim tam longe alia requiratur cura: & quemadmodum sæpius jam optantes Chirurgos audivi, ut Cathetères crassiores conficiantur, his omninò nos interdum opus habere hæc observatio confirmat, vel ideò majori laude dignos, quia & facilius applicantur.

(*Ulmâ Augustam Vind. d. 1. Novembr. An. 1709. missa.*)

OBSERVATIO CLXVI.

Dn. D. JOHANNIS FRIDERICI BLAUU.

De

Monstrosa penis magnitudine.

ANno 1709. offerebatur miles inspiciendus, nomine Andreas Herbst, ex loco **Guigl** prope Urbem Archiepiscopalem Salisburgensem oriundus, sub legione Circuli Bavarici Salisburgensi, & sub Compagnia Domini Capitanei Herzogs noviter conductus, ætat. suæ circiter 20. annor. qui postquam in itinere huc faciendo multa impedimenta perpessus fuit, neque post adventum

ſuum munere militari fungi potuerat, ex Superiorum juſſu pro invenienda defectus ſanitatis cauſa examini ſubmiſſus, & deſuper interrogatus, aliud primò reſpondere noluit, niſi quòd in incedendo maximam ſentiat incommoditatem, quam diu perferre non poſſet. Videbatur proin homo ſimpliciſſimus, difficilis loquelæ, & ingenii tardi obtuſi, cum ſenſuum hebetudine & apparente diſpoſitione corporis non nihil cachectica. Ad motam verò quæſtionem, ex qua cauſa proveniſſet illa incedendi incommoditas, reſpondebat ſe aliam hujus rei cauſam neſcire, niſi gravitatem membri virilis, quod ipſum premeret, & inambulando illi talem difficultatem faceret. Ex juſſu igitur in præſentia quorundam D. D. Officialium & Chirurgorum oſtendit membra genitalia tam prægrandia, ut omnes adſtantes maximè mirarentur; penis quippe ad genua usque propendebat tantæ longitudinis & rotundæ latitudinis, ut major exiſteret, quàm veretrum equi turgidum; ſubjacebant duo teſticuli ſcroto incluſi duplicis pugni magnitudinem æquantes. Cùm poſtea caſus iſte à Domino Capitaneo ad me præfatæ legionis Medicum ordinarium relatus eſſet, petii repetendam inſpectionem, quod etiam factum me aliisque præſentibus. Inveni prædictam ſtupendam membri magnitudinem, quæ quidem (uti priores inſpectores referebant) in inſpectione antecedente multò major fuerat & nonnihil mollioris ſubſtantiæ, nunc autem reſpectivè minor ſed durioris ſubſtantiæ reperiebatur: totam membri quantitatem unà cum ſcroto prætumido ad minimum libras 6. ponderis civilis ponderâſſe à me & reliquis inſpectoribus judicatum eſt. Inſpecto ſequentes quæſtiones à me fuêre propoſitæ, ad quas reſpondebat ſequentem in modum.

Primò quamdiu tantam membri magnitudinem in ſe deprehenderit, vel an à nativitate contraxerit? Reſpond. ſe à matre ſua intellexiſſe, quod eum cole majore dotatum genuèrit, qui poſtea ſuccreſcente ætate etiam augmentum ſumpſiſſet, ſed primùm à paucis annis in tam ponderoſam & oneroſam magnitudinem excreviſſet.

Secun-

Secundo: Utrum stimulum Veneris etiam habuerit? ℟. Nunquam.

Tertio: An pollutionem nocturnam? ℟. Nullam.

Quarto: Utrum dolorem persentiat circa partes genitales? ℟. Non alium, nisi gravantem ratione ponderis circa inguina appensi, ex quo maximum in ambulando impedimentum & molestiam sustinere debeat.

Quinto: An urinam liberè possit excernere? ℟. Antea semper potuisse sine omni difficultate, sed ab aliquo tempore se persentire urinæ incontinentiam, ita ut per noctem in somno stragula madefiant, unde sibi maximam incommoditatem, apud domesticos verò suos in patria se odiosum reddiderit; urinam autem nunc tenuius & majoris fili instar in mingendo effluere.

Sexto: Utrum glandem denudare & præputium retrahere potuerit, aut sponte retractum expertus fuerit? ℟. Nihil scire.

SCHOLIUM.

PRimum vitium enarrati casûs à nativitate contractum fuisse non est dubium, & quidem à malâ conformatione partium genitalium; nam etiamsi forsan in primordio adfuerit aucta partis magnitudo, hâc tamen non obstante maximum vitium erat in præputio angustiore, cujus anterior pars tam exiguo foramine erat prædita, ut retrahi & glans denudari non potuerit: quo malæ conformationis vitio qui laborant, ordinariò steriles & infæcundi fieri solent, eò quòd ex glandis detectione prohibitâ seminis ejaculatio & interdum urinæ excretio remoretur, magno speciei propagationis impedimento; quod idem similiter contingit illis, qui ex vitiata conformatione mentulæ frænum habent inferiori glandis parti juxta foramen nimis arctè connexum & alligatum, ita ut erecto genitali ejus distorqueatur extremitas, & ex ejusdem attractione angustius reddatur foramen, sicque semen rectà ejaculari nequeat &c. nonnunquam etiam præputium tam durum & callosum fieri potest, ut exinde glandis detectio prohibeatur; constat proin ex casibus observatis, quòd quidam

à nativitate præputium prægrande habuerint cum phymosi & mole carnea seu tubere quodam turgidum, quod successivè magis magisque incrementum sumpsit, quales casus una cum curationibus chirurgicis annotati leguntur apud Schenckium nostrum libr. 4. observ. 15. & seqq. quod hìc obiter annotare placuit. Sed in casu nostro proposito quale vitium homo iste à nativitate suâ contraxerit, aliter sciri nequiit, nisi quòd (ut autopsia docuit) præputium fuerit angustius, ex quo tamen defectu tam prægrandem & monstrosam penis magnitudinem exortam fuisse minimè credendum, eò quòd non pauci inveniantur præputio angustiore nati absque aucta membri magnitudine: verosimilius videtur hoc vitium ab excrescentia quadam vel potius accrescentia carnea fungosa circa glandis carnem aut sub ipso præputio successivè collecta & adaucta suam duxisse originem, qua magnitudo penis in hoc loco erat maxima; & tales tumores carnosi & fungosi sunt indolentes & successu temporis ac annorum decursu magis magisque incrementum sumunt, atque à circulantibus humoribus viscidis in tubulis penis stagnantibus & partes ejus distendentibus depravatæ nutritionis & auctionis præternaturalis materiam suppeditantibus exoriuntur. Atque hoc exinde magis verificatur, quia miles iste fuit cachecticus cum universi corporis habitu subtumido, asthmate & scabie &c. Hinc ab ultimis annis (ut inspectus retulit) membri magnitudo in tantum invaluit, ut molem tam onerosam vestimentis suis (ne ab aliis animadvertatur) satis tegere haud potuerit; quia nimirum partes genitales tanquam molles & humidæ plurima habentes vasa sanguinem impurum cachecticum pro nutritione magis in se receperunt, consequenter magis intumuêre. Accessit tandem & tumor scroti & resticulorum, qui tam ex eadem causa, quam ex continuâ pressione subjacentis ponderosi penis pariter successivè in tantam magnitudinem ascendit. Tandem ultimò magnitudo membri nonnihil videbatur diminui, durior autem fieri, quia nimirum oppletis undique tubulis factæ obstructiones ex humorum circulantium stagnatione, hincque sequente coagulatione

tione hic tumor in scirrhum abiit; erat quippe ultimò tactu tam durus, ut tangenti non carnem, sed lignum tetigisse videretur. Quare conjectura alia fieri haud potuit, quàm quòd scirrhoso tumore ulterius aucto tandem ex occlusione meatus urinarii vel superveniente gangræna miser sit obiturus. Cumque cura nec peteretur, nec promitti posset, hinc acceptis dimissorialibus (more militum ordinario) fuit dimissus, & abiit in patriam. Quid ipsi porrò acciderit, rescire non licuit.

(*Friburgo Brisg. d. 21. Decembr. An. 1709. Augustam Vind. missa.*)

OBSERVATIO CLXVII.

DN. D. MICHAELIS ERNESTI ETTMÜLLERI.

Arthritis Anomala sive interna.

DOminus Vitricus meus, D. Leonhardus Baudisius, constitutionis plethoricæ, faciei roseæ, absoluto in Academiis studiorum cursu variis Equitibus Ephorus adjunctus diversas peragraverat regiones, donec Anno 1684. in Amplissimum Senatus Lipsiensis Collegium adscitus paucisque annis post Prætor constitutus, multis negotiis vitam traducere, suumque, quo à DEO donatus erat, talentum egregium rite impendere, quam otio indulgere maluerit. Quinimò ubi Civitati nostræ, reliquisque ad Electoratum spectantibus, intererat, Authoritate publica munitus Dresdam, Cracoviam, & in Belgium abire non fuerit gravatus. Cum Anno 1706. Exercitus Suecicus nostras invasisset terras, & ipse frequentius Palæo-Ranstadtium, ubi Regia Majestas Suecica sedem fixerat suam, ad transigendum pro publico commodo mitteretur, præ molestiis illis, quæ cum officii oppidani curis & negotiis cumulabantur, atque animi ægritudinibus singularem virium imbecillitatem persentiebat, (cum alias nullis morbis fuerit expositus, tussim & calculum renalem si excipias, à quo tamen post repetitum Carolinarum & Teplizensium thermarum

usum per multos annos liber extiterat) à qua tamen detineri se non patiebatur, quin Anno sequente in Belgium cum aliis mitti maluerit. Ex itineris verò incommodis ita delassabatur, ut altero post accessum die Hagæ Comitum gravi lipothymia fuerit obrutus. Accedebat prava Belgarum diæta, senio minus commoda, qua per 9. menses uti cogebatur. Inde gravem incidebat in diarrhœam, cum tenesmo ferè continuo atque maxime molesto. Redux demum factus nihil omisit, quod pro expellendo, qui interranea occupaverat, hoste facere poterant, thermis etiam denuò utebatur tum Carolinis tum Teplizensibus; sed omnia frustra. Anorexia enim & nausea increscebat, chylificatio frustrabatur, alvus admodum fluida à continuo stimulabatur tenesmo, flatus molestias creabant enormes, caro musculosa decidebat, pes sinister humorem concipiebat doloroſum, & quæ alia erant mala, quæ optimum Patrem admodum vexabant, donec die 8. Novembris 1709. anno ætatis 58. animum Creatori redderet. Aperto cadavere pinguedo conspiciebatur copiosissima non solum sub cute, sed & in omento, mesenterio, circa renes & cor. Ventriculo, hepati & intestinis nulla erat labes, nisi quod hæc flatibus turgida fuerint; quin & in intestino recto nullus aderat tumor. Folliculus verò felleus bile vacuus, pauxillum tantummodo materiæ atræ spissæ continebat. Pancreas scirrhosum; renum dexter tres concludebat lapides, maximum phaseoli, minimum lentis magnitudine; siniſter corrugatus admodum erat. In cavitate abdominis nullum serum extravasatum. Pulmones naturalem colorem & mollitiem referebant, adhærescebant tamen in dextero latere aliquatenus pleuræ. In cordis thalamo dextro polypus hærebat crassus, rotundus, undique per vasa ramos distribuens; in siniſtro alius latitabat, qui ex arteria aorta ad unius ulnæ cum quadrante magnitudinem facili negotio protrahebatur.

SCHOLIUM.

AFfectum arthriticum fuisse, quo laborabat optimus Pater, multa docent. Calculis enim fuit obnoxius, quorum causa

cum

cum arthritidis causa eadem ferè esse videtur. Pater ipsius fratresque podagra aliisque arthritidis speciebus admodum fuerunt cruciati. Imò ipse beatus Pater sæpius dolorem distensivum & gravativum modo in dextro, modo siniſtro pede eorumque pollicibus patiebatur, qui cum tussi ferina aliquoties alternabat. Existimo igitur, cum eodem malo, quod consanguinei ejus in articulis perpessi sunt, beato Patri in pectore & ultimo in primis viis conflictandum fuisse. Quod vero miasma arthriticum ad extrema apponere se valens non fuerit, itineribus tribus, quæ beatus Pater tam in juventute, quam appropinquante senio confecit; quemadmodum illos potissimum podagra affectos videmus, qui vitam sedentariam amant, juxta illud; *Quotidiana febris corripit homines propter superbiam, podagra propter pigritiam, lepra propter luxuriam.* Num vero pancreas scirrhosum, bilis defectus pro causa, an pro effectu morbi sit habendus, non determinavero. Et polypi sæpius mihi hactenus, quoties cadavera secandi in Nosocomio nostro suppeditabatur occasio, in hominibus vel morbis chronicis, vel senio confectis fuerunt visi. Et tales certe miasmatis arthritici metastases non adeo raro occurrunt in Praxi. Ventriculus profecto perquam promtus est pro recipiendo ejusmodi affluxu, quemadmodum *Galenus Lib. VII. Meth. Med. cap.* 11. jamdum annotavit, ubi dicit: *Aliis articularis morbus, aut coxendicus, aut podagra, aliis cephalæa, aut etiam fluxio aliqua, quæ in oculos vel aures procubuit, nunc migravit ad ventriculum.* Exemplum ejusmodi præbet *Guilielmus Salmon in Collectan. Med. pag.* 304. Colicam nephriticam ex podagra repulsa depingunt *Academici Curiosi Vratislavienses in Hist. Morb. Anni* 1701. *pag* 27. sensuum defectum, loquelæ interceptionem, difficilem respirationem, sudores frigidos &c. *Riedlinus Lin. Med Ann. III. pag* 505. allegavit; imo tussim suspectam arthritide solutam observavit *idem Ann. V. pag.* 519. Et prostat integer Liber *de Arthritide Anomala sive interna Guilielmi Musgravii*, quo certo libro admodum delectabatur, vel potius contristabatur B. Pater, Gaudium enim concipiebat ex viri diligen-

ligentia & Libri elegantia, triſtitiam vero, quoties ſymptomata, quibus ipſe vexabatur, graphice deſcripta, ſiniſtrumque Prognoſticum in diarrhœa arthritica cognoſceret. Cujus veritatem exitus comprobavit; Quæcunque enim pro confortandis primis viis maloque ad extrema propellendo in auxilium vocabantur, omnia fruſtra adhibebantur, & obiit, proh dolor! optimus Pater, qui Reipublicæ pariter ac amicis multum adhuc prodeſſe potuiſſet.

(*Lipſiâ Auguſtam Vind. d. 11. Januarii An. 1710. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXVIII.

DN. LIC. ROSINI LENTILII.

In Anatome ſalaciſſimæ mulieris reperta.

MUlier 40. ann. *venereis luſibus* ſupra modum inhians, aliquoties luem fœdam contraxit, per omnes ejus gradus defuncta: *Salivationem* ter ſuſtinuit, denique propemodum deſperata cum *decocto venereo Muſitani* multum, imò magis, quam omnibus cum aliis medicamentis profecit. *Aſthmaticam* per multos annos, poſtremo *hydrops Aſcites* jugulavit. Corpus defunctæ noſtros ſuſtinere cultellos cogebatur, quod factum d. 22. Febr. An. 1707. quæ magis memoranda judicavimus, fuere ſequentia:

In thoracis cavitate ſiniſtra ſerum copioſum. Pulmonum ſiniſter Lobus ſcirrhoſus cum Tuberculis purulentis, dexter inflammatus; Cor flaccidum, in cujus ſiniſtro thalamo concretiones *pſeudopolypoſæ*. Hepar non admodum à naturali ſtatu diſceſſerat. Lien magnus & duriuſculus. Omentum ferè putridum. *Renes ſupra modum & modulum longe maximi*, major tamen ſiniſter, quod ordinariè contrario ſe habet modo. Serum in abdomine natans.

SCHO-

SCHOLION.

QUid? ſi in *Renum tanta mole ſalacitatis immoderatæ ſcatu-rigo latuiſſet? Bartholinus* certe *Anat. nov. lib.* I. *c. XVIII. p.m.* 176. *Renes majores*, inquit, *etiam ſalacioribus, ut cum aliis obſervavi*; qui & pag. 177. notavit: *phraſin biblicam. renes ſcrutari, de concupiſcentiis, & venerea delectatione à quibusdam explicari*, à כָּלָה, *deſiderare*, teſte *R. Davide* & *Pagnino*, vel à פלי, *vaſe*, eo quod in *Renibus* & ex his ſit illarum rerum libido. Ὁμόψυφος eſt *Geyerus*, qui in *locum Pſ VII. v.* 10. ita commentatur: *Corda* & *Renes ſcrutaris*, id eſt, intimos quoque affectus, quorum ſc. ſedes in *Renibus* eſſe paſſim dicitur; v. g. gaudii; Prov. XXXIII. 16. triſtitiæ; Pſ. LXXIII. 21. *quia rei venereæ cupiditates quodammodo ibidem reſident*, idcircò locum hic habente iſto affectu vehementiſſimo, etiam cæteri eundem hîc habere dicuntur. Loca parallela ſunt *Pſ.* XXVI. v. 2. *Jerem.* XI. v. 20. XVIII. 10. XX. 12. Et ne quis excipere queat, vocabulum Hebraicum, qua *Renes* deſignantur, de quolibet vaſe dici, reſponſio præſto eſt; nempe id tantum valere de numero ſingulari, poſtea *Apoc.* II. 23. expreſsè voculam *Græcam* νεφρὸς reperiri, imò hic *Renes* cordibus præponi. Sic idem *Geyerus* ad *Pſ.* XVI. 7. *Etiam noctu caſtigaverunt me Renes mei &c.* ita præclarè commentatur: Non ſolùm interdiu tibi benedicam, ſed idem quoque noctu expediam, incitantibus me *Renibus*, i. e. *amoris affectu*, ſc. noctu, cum alii dormiunt, aut voluptatibus indulgent, *Chriſtus* & *Chriſtiani* meditantur DEI ſui beneficia, gloriæque illius promovendæ impendunt operam. Intimus enim amoris affectus in *Renibus* ſedem habet. Et quamvis ſciam, explicari hoc *Renum ſcrutinium* de occultis animi, quaſi *Pſaltes* & *Propheta* dicerent: DEUM ſcrutari etiam hominum occultas cogitationes, eo quod *Renes* ſub adipe in Lumbis ferè occulti jaceant; id tamen nimis longe petitum eſſe facile apparet; quaſi non dentur in *Corpore* viſcera magis occulta, quam *Renes*, remotis inteſtinis quorumlibet oculis obvii? Siccine *Cor* non

æque sub costis & sterno, sub pulmonum lobis & pericardio delitescit? Vero longe similius est, *per corda errores intellectus, per renes autem appetitus brutos intelligi.* B. *Camerarius in Disp. de Renibus & Vesica* habita *Tubing.* 1683. th. 23. explicationis de occultis cogitationibus infirmitatem olfaciens, claritatem dictorum scripturæ, *renibus* affectus adscribentis, agnovit. Hinc expressè „judicans: *Affectus renibus*, contra talia (Scripturæ loca) *quis „denegabit? Modus jam quicunque sit.* In *renibus* certe partic„ularum sanguinis alteratio, inversio, secretio, tam manifesta, „evidens & sensui obvia, quàm in nulla alia corporis parte con„tingit. Verum consequentiæ ab affectibus in genere ad semi„nis præparationem, fecundationem, generationem, nulla est. „E. *Lumbis*, non è *Renibus*, egredi in quibusdam sacræ Scripturæ „locis Filii dicuntur. Hactenus B. *Camerarius.* Quid? si autem non tantum è *Lumbis*, sed ipsismet *Renibus* Filios prodiisse, vel, certe prodituros esse, è sacra Scriptura probari posset? Immo, quid si *Lumbi* pro *Renibus* dicerentur? continens sc. pro contento? Sane locum II. *Samuel.* VII. 12. vetustiora quædam Exemplaria ita vertisse dicuntur: *Filius, qui egredietur de Renibus tuis.* Dicuntur, inquam, nam ipsi mihi tale Exemplar non suppetit. Fidem autem habere cogor auctori opusculi de *mirabili Anatomia Renum* 1699. *Francof.* impressi, (qui, me equid. judice, non est alius, quam Celeberr. *Math. Tillingius*, editione aliorum quorundam operum famigeratissimus.) Hic unus locus, siquidem examen sustinet, sufficienter probaverit *generationis opus à renibus haud parum dependere. Leighius* in *sua Critica sacra* super hunc locum ita commentatur, ut viscera quidem omnia complectatur sub ista voce כְּלָיוֹת, *Renes* tamen non excludat. Talemque fuisse sensum plurimorum antiquioris Ecclesiæ Patrum apparet ex iis, quæ laudatus *Tillingius* adducit ex *Tertulliano*, qui *lib.* 1. *de resurrection. carn.* vocat *renes conscios seminis.* Et *Hesychius* Presbyter *comment. in Levit. lib.* 1. *Renes*, inquit, sunt *coitalium seminum ministeria*, item in *Renibus coitalis operationis sunt semina.* D. *Augustinus* enarrans Ps. VII. v. 11. nomi-

nomine *Renum delectationes venereas* intelligi ſcribit. Ac *Hieronym. Comment. in Nahum cap.* 11. *omnia, ait, opera, quæ ad coitum pertinent renum* appellatione venire. Sic denique & *Flacius* in *Clave Scripturæ Renes* tum urinæ expurgandæ, tum etiam *genitali ſemini* ac *generationi* inſervire affirmat. Porro, ſi per plures obſervationes demonſtrare liceret, *majoribus, præ aliis, renibus præditos eſſe ſalaces*, magnum robur accederet opinioni eorum, qui viſceribus iſtis vim aliquam σπερματοποιητικὴν adſcribere laborant. Sed rara ſunt ejusmodi exempla. Præter enim ea, quæ *Bartholinus* à ſe & aliis loco ſupra citato obſervata teſtatur, nullum ferè mihi cognitum eſt, quam illud *Salmuthi Cent. I. obſ.* 22. de homine ſc. inſigni venereo, cujus cum poſt obitum ſecaretur, *renes erant maximi, ut ternos imò quaternos humanos æquarent*, unde etiam unum exemtum quidam alius non ineruditus ſuperveniens *ventriculum*; non ſine adſtantium riſu, putabat. Cui hæc noſtra obſervatio quoque connumeranda. At verò hoc *Anatomicorum* incuriæ adſcribendum putaverim, qui, cum in ſectione corporum morbo exſtinctorum in partem affectam plerumque ſolùm inquirunt, utrum libidinoſi fuerint, in quibus magnos renes, cætera naturaliter conſtitutos, repererunt, penſi fortaſſe nihil habuerunt. Profecto, ſi à contrario judicandum, *Timæi Caſ.* 8. *lib. III.* nobis exhibet *Baronem Suecum*, in quo *Renes* cum flaccidi, tum adeò parvi inventi, ut magnitudinem *nucis juglandis* vix æquaverint, & hunc quidem per totam vitam à *Veneris uſu & omni feminarum conſortio abſtinuiſſe.* Sin igitur *parvis renibus* præditi comperiuntur imbelles, quidni majoribus præditi bellicoſi judicari queant? ſc. in caſtris *Aphrogeniæ.* *Renes* animalium laſciviorum à curioſis indagatoribus majores repertum iri, non admodum dubito, imo *anatomicos* ad ejusmodi ſcrutinia invito. *Leonis renes* ſunt grandes; *Act. Med. Hafn. Vol. I. obſ.* 17. remotis integumentis unus ℥ix. pendebat. In *Ann. II. Dec. I. Ephem. noſtr. obſ.* 6. ad duorum pugnorum vaſtitatem acceſſiſſe viſi. *Leo* autem non eſt adeo grandis bellua, tametſi laſciva. In *Cerva* laſcivo

animali *renes* inventi prægrandes *Ann. VI. Dec. II. Ephem. C. obs.* 123. Aves magnis *renibus* omnes sunt præditæ, sed, & pleræque salaciſſimæ. In *Aquila renum* interior facies testiculorum carni simillima *Act. Med. Hafn. Vol. I. obs.* 2. Reclamat autem, præter *Tillingium* cum B. *Camerario* ferè totus Anatomicorum Chorus, qui vias, per quas aliquid è renibus in testiculos deportari queat, nullas agnoscunt. Instar omnium sit Exc. *Wedelius*, qui in *Physiol. reform. c. X. p.* 324. *Renes*, ait, *non generant semen.* Argumentum præcipuum & summum est, quod à *renibus* nulla via procedat ad Testes, sed, arteriæ præparantes, respectu seminis ita dictæ, seorsim ex *aorta* procedunt, & ad eosdem decurrunt. Si nullæ viæ vel vasa, nullus etiam humor genitalis per easdem derivandus. Præcipuè argumenta *Sennerti* hanc sententiam de *Renum* facultate σπερματοποιητικῇ strenue defendere sustinentis, solide conatus est evertere Excell. *Joh. Maur. Hoffmannus Ideæ Machin. human. sect. VIII. p.* 71. ſ. cui in plerisque subscribimus. Nec enim revera sunt viæ, quæ è *Renibus* aliquid ad testes deponere dici vel monstrari queant. Cum tamen nilominus supra recensita quædam Scripturæ loca *Renibus* cooperationem quamcunque ad generationem adserere videantur, explicationes autem quorundam hæc loca intelligi debere, de *occultis in corpore*, quæ DEUS investiget, adeò penitius rem introspicientibus non satisfaciunt; ut potius per dictum II. *Sam.* VII. 12. contrarium manifestissimè præfulgeat; neque *Spir. S.* hic ἀνθρωποπαθῶς loqui voluisse, vel animo concipi queat, cum *allegoriis* vel *tropis* uti, non sit ἀνθρωποπαθῶς loqui, siquidem tropi sunt obscuriores, reomninò clariore per tropos significata &c. Cum, inquam, hæc omnia ita se habeant, aliqui per explicationes longinquius petitas his difficultatibus mederi sustinuerunt. *Lindanus Medicin. Physiol. cap. V. artic. VII. th.* 143. ita rem explicat: Affectus libidinosos lumbis & *renibus* passim *Spir. S.* adscripsisse opinor, quia calescentibus lumbis calescunt *renes*, *renibus* calefactis affluit major copia sanguinis, cum ad ipsos, tum ad partes genitales, unde his turgentibus, prurientibusque subnascun-

naſcuntur cogitationes atque concupiſcentiæ prāvæ. *Bartho-*„
linus l. c. p. 187. ſanguinem arterioſum ſerioſiorem ait, trahi à„
renibus per *emulgentes arterias*, unde reliquus, qui recta de-„
ſcendit per *arterias ſpermaticas* fit defecatior & ſemini aptior.„
Enimvero, ut nil dicamus de imaginaria iſta *renum* tractione,
quid fiet, hac ſtante ſententia de *Bartholini* ipſiusmet obſerva-
tione ſupra adducta, *renibus* nempe majoribus ſalaciores prædi-
tos eſſe? De *irradiatione renum*, quam ipſe quoque *Bartholinus*
loco citato adducit, præſtat omninò tacere. Non generant *re-*
nes ſemen poſitivè, *Wedelius loco cit.* ſcribit; quicquid verò con-
ferunt, remotè præſtant ac privativè, depurando & ſuo loco ſan-
guinem. Melius ſe rem explicaſſe putat *Tillingius l. cit. p.* 246.
ubi cum à *Bartholino chimæricam irradiationem Teſticulorum à*
renibus mutuatus eſſet, ita philoſophatur: Sanguis per *arterias*„
emulgentes ad *renes* defertur, ubi in iis non ſolùm percolatur„
ac à ſero ſuo ſuperfluo ſegregatur, ſed præparatur quoque, &„
ex parte in humorem ſeminalem elaboratur; hinc iterum per„
venas emulgentes ad venam cavam, & per conſequens ad *Cor*„
redit, & ex *Corde* per *arteriam aörtam* in *arterias ſpermaticas*„
deducitur. In ejusmodi autem ſeminis hujus in *renibus* præ-„
paratione aura quædam ſeminalis elevatur, quæ corporibus vi-„
rilibus calorem & robur addit, quæ aura ſanè non in *teſtibus*„
ſolùm, ut nonnulli opinantur, ſed *renibus* quoque & quidem„
primario, generatur. Hinc ſapor quoque ac odor in animali-„
bus pluribus non caſtratis per univerſum corpus diffunditur,„
maxime tamen in *renibus* percipitur, ac potiſſimum in ani-„
malibus adultis: In novellorum ac teneriorum *renibus* dum„
nondum feminas ineunt, non reperitur. Diceret aliquid *Til-*„
lingius, modo non tam difficile conceptu eſſet, humorem ipſum-
met ſeminalem per tantas ambages *Cordi* prius infundi, hinc
demum per aortam & arterias ſpermaticas teſticulis inferri, cum
pro humore tam nobili natura vias longe breviores fabricari
potuiſſet. Quis enim per hos circuitus elaboratum in *renibus*
humorem ſeminalem aut virium ſuarum nil deperdere, aut

ſanguineam maſſam ſpiritusque vit-animales inquinare debere non perſpicit? Porrò cur per noſtram obſervationem, etiam ſalaci fæminæ fuerunt *renes* majores? Nam per moderna obſervata, mulieribus ſemen, quod verum quidem dici, & virili æquipollere valeat, non adeſt. Certè huc etiam quadrat illud *Lindenianum St!* Cum enim *loco citato th.* 142. dixiſſet, *non opus eſſe novo renum uſu, præbendi aut præparandi materiam ſemini maſculo*, ſubdit: *quare non fœmineo quoque? St!* Digito cõmpeſce labellum. Quid igitur conferunt *renes* ad generationem, vel potius ſalacitatem? Poteramus dicere, quamvis paulo aliter cum B. *Camerario: Renibus quis contra ſcripturæ loca concurſum ad generationem denegabit? Modus jam quicunque ſit.* Attamen quamvis cum iis facere non poſſimus, qui *renes* elaborando ſemini velificari credunt, alio tamen modo eos ad generationem, vel certe *ſalacitatem* concurrere poſſe, ſi non ſentimus, ad minimum tamen ſuſpicamur. Scilicet, non plane de nihilo putamus, quod ſupra *Tillingium de aura quadam ephebis virilitatem accerſente* ſcripſiſſe diximus, *ſeminalem* autem negamus, genitalem potius appellamus. *Mœbius fundam. Med. Phyſiol. C. 6. p.* 80. ſeq. præter *ſpiritum vitalem & animalem*, alium quendam *genitalem* adſtruit, cujus officina ſint *teſtes*, materia ſpiritus vit-animales, uſus fecundatio uteri. Exiſtentiam hujus probare nititur ex eo, quod in Brutis non caſtratis hic ſpiritus ſingulari graveolentia totum corpus repleat, omnemque carnem adeò inficiat, ut nec coctione nec aſſatione deleri queat; idque in hirco totas ædes fœtore ſuo inficiente cumprimis manifeſtari. Calorem præterea totius corporis etiam in hominibus augeat, ejus totum temperamentum mutet, calidius iſtud efficiat, robur corpori, hilaritatemque & animoſitatem animo conciliet: Eunuchos inde effeminari: Juvenes puberes ex hujus præſentia ſtatim vocem mutare, gravioremque nanciſci; Cervos caſtratos, ob hujus defectum cornua decidua nunquam recuperare. Hos ſpiritus incenſos facilè in conſenſum trahere animales, & in ſummum furorem agere homines, quod compareat

pareat in *furore uterino* &c. Eadem aliquo modo fuſius repetit *Cap.* XIX. p. 486. *Item in Epit. Inſtit. Med. p. m.* 32. Utrum ſpiritus ejusmodi *genitalis* in ſolidum negari poſſit, valde dubitamus. Nec tamen cum *Mœbio* facimus, qui talem in *teſtibus* generari contendit. Adductas ejus rationes eruditè ſatis pleraſque diſcuſſit Exc. *Wedelius* in *Phyſiol. Med. ſect. II c. 7. p.* 63. quæ cum huc proprie cuncta non pertineant, lubentes tacemus. Illud ſaltim optime monet *Wedelius*, aſſerta *Mœbii* & Aſſeclarum ſaltem viros tangere, cum tamen ſpiritus utrique ſexui ſint communes. Addimus nos, cum nusquam in tractatione de *teſticulis muliebribus*, horumque uſu quidpiam *Mœbius de ſpiritu genitali* dicat, immò ne dicere quidem poſſit, dicere tamen non vereatur in deſcriptione *ſpiritus* iſtius *genitalis*, eum in conſenſum trahere ſpiritum animalem, & in ſummum furorem agere, quod compareat in *furore uterino*. Siccine igitur mares patiuntur *furorem uterinum?* Interim tamen, quod de graveolentia brutorum non caſtratorum, hircorum præcipue; item de mutatione vocis, de libidinibus & pronitate ad coitum eorum, qui ex ephebis exceſſerunt, hæc in genere omnia tam ſunt vera, ut contradicere velle, petulantia dici mereatur. Eas verò mutationes à certa quadam alteratione ſanguineæ maſſæ dependere forte nemo dubitat, vel aliud quid verius in medium proferri poſtulamus. Alterationem hanc ſanguineæ maſſæ à certa quadam materia, quam quocunque nomine per nos appellare licebit, eidem admixta arceſſendam eſſe, clarum. Hanc ſubtilem & efficacem eſſe oportere itidem manifeſtiſſimum, ſive jam ſit fermentum, quod hodiè quamplurimis ſordet, ſive ſpiritus, ſive aura, ſive quid aliud, perinde eſt. A *teſticulis* verò id elaborari, propterea, quod ſupra dictum, concedi non poteſt, quia feminarum teſticuli à virilibus toto cælo differunt, aliisque longe uſibus per experimenta moderna deſtinati ſunt. Ab ejusmodi pubertatis characteribus autem mulieres excludere velle, ipſam rei evidentiam tollit. Non quidem dum pubeſcunt fœmellæ voce tam gravi & maſcula utuntur; non hircum æque ac hirci olent.

olent. Attamen earum quoque insignis mutatio circa id ætatis clarissima est. Mutant & istæ vocem, quamprimum menses eruperunt. Attolluntur colliculi præcordiales, quando catulliunt. Incipiunt prurire, imò lasciviores hirciſſare quoque & olere. Gradu solo differunt ista in utroque sexu phænomena; Feminarum pessime olentium nobis hinc inde suppeditantur historiæ. Vid. *Ann. II. Decad. I. Ephem. Cur. obs.* 191. *Act. Med. Hafn. Vol. III. obs.* 19. *Pechlinus Lib. II. obs* 51. *Illud*, ait, *imprimis in feminis mirandum, quod, cum molliore & dulciore immo & frigidiore temperamento sint præditæ, tamen subinde fœdius spirent, quam viri, & fœtore illo, quando exercitatio accedit, magnum aëris spatium ædiumque membra impleant.* Et, paulò post, *virgines*, ait, *ego vidi, quæ, quocunque pedem efferrent, fœtentis allii odorem secum haberent.* At verò, cum *hircum* adultorum masculorum à seminis sanguinis inundantis Tinctura proficiſci credat Excell. Auctor; unde deducet *hircum* feminarum à semetipso in aliquibus observatum? Aliunde igitur, quàm à semine proficiſci debet. Nos ejusmodi *auram*, *fermentum*, *tincturam* &c. arcessimus à *renibus*, hosque perinde generationi quoque litare, tantisper credimus, ut salva quoque maneat *Scripturæ dictis*, & *Patrum* hæc explicantium auctoritas; Non autem dicimus, materiam seminalem elaborare, fœtui materiam suppeditare *renes*. Non, inquam, sed hoc volumus: *E renibus proficiſci auram quandam, Spiritum, Tincturam &c. quæ sanguinis massam sic alterare apta sit nata, ut lasciviæ sensus, & appetitus ad Venerem in utroque sexu hinc excitetur, masque femellam & contra desiderare incipiat.* Quod, si verum est, illico patet: *Cur majoribus renibus præditi salaciores comperiantur*, de quo infra pluribus. Favet nostris conatibus admiranda *renum* vasorumque *structura*. Quæ Veteres in medium produxere, hodie ridentur. Magnam facem præluxit *Bellinus*, majorem *Malpighius*, maximam *Vieussenius*, & hic quidem ultimus in elegantissimo Tractatu, quem inscripsit, *Novum vasorum Systema*. Hic igitur, cum de *renum* substantia & usu à *pag.* 142. *usque ad p.* 171. curiosissime

ſime differuiſſet, quæ huc faciunt, (nam de urinæ ſecretione ſolliciti non ſumus) hujusmodi fere ſunt: *Renes* duplici conſtant „ membrana; altera externa adipoſa, cujus vaſa adipoſa ex arte- „ riis oriuntur; altera propria immediate *renes* ſuccingente, per „ quam adipoſa prioris membranæ vaſa euntia in *venis*, exti- „ mam *renum* ſuperficiem occupantibus radicantur, earumque „ cavitatibus inhiant. Porro interior ſeu propria *renum* mem- „ brana è nerveis propaginibus exiguiſſimis, multis ductibus ſan- „ guiferis oculorum aciem ſubterfugientibus, cumprimum va- „ cua ſunt ſanguine, & indefinitis vaſis lymphaticis variè ſimul „ intextis conflantur. Subſtantia ipſa *renum* eſt duplex, exte- „ rior & interior, illa *glandulosa* plerisque *Anatomicis* habita, nil „ aliud eſt, quam textus vaſorum ſanguiferorum, quæ variè at- „ que variè ſimul implicita, variis atque variis impulſibus ſuis „ hæc repræſentant corpora, quæ *glandulorum* nomine vulgo „ donari ſolent: Interior eſt vaſculoſo-ſpongioſa, ad nos non per- „ tinens, ſiquidem urinæ ſoli ſecretioni dicata. Arteria emul- „ gens intra exteriorem *renis* ſubſtantiam in ramulos & hinc mi- „ nima vaſcula diremta, in venas denique deſinit, quæ è minimis „ capillamentis in ramuſculos majores, ac denique emulgentem „ venam faceſſunt, ſic, ut arteriæ & venæ, quemadmodum per „ experimenta curioſiſſima curioſiſſimi Dn. Auctores in toto cor- „ pore, ita hic etiam unum continuum vas conſtituant. Tota „ igitur *renum* externa ſubſtantia, ſanguiferis tantum vaſis variè & varie ſimul intertextis, & obvolutis conſtat, quæ in diverſos abeunt implexus glandulos ementientes, quibuscum ſtrictam habent communicationem ductus adipoſi & lymphatici utrarumque membranarum. Hi arteriæ emulgentis ramuſculi varias propagines nervorum paſſim in ſe ſuſcipiunt, horumque muſculorum aliqui in interiorem *renis* ſubſtantiam vaſculoſo-ſpongioſam ſerum variis ſalibus aliisque particulis refertum deponunt, quæ *urinam* poſtmodum conſtituunt; aliqui verò ſerum ſubtilius & ab hiſce recrementis depuratum, quinimò ſpiritibus animalibus per nervulorum propagines illuc terminatas

imprægnatum in capillamenta quædam venosa è lateribus arteriolarum prodeuntia infundunt, quæ in ramusculos venæ emulgentis majores, hinc ipsam venam emulgentem derivata, trunco venæ cavæ adscendenti primum, hinc ipsimet cordi advehuntur. Non igitur omne serum per arterias emulgentes *renibus* advectum in urinam fatiscit, sed ejus pars notabilis, ut dictum, à recrementis urinosis liberata, spirituque animali imprægnata, adeoque subtilisata & quasi spirituascens à capillamentis venæ emulgentis resorpta sanguineæ massæ denuò affunditur. Hoc serum refluum in se continet auram illam, seu *Tincturam*; seu *spiritum genitalem*, ejusque vehiculum est. Ab hoc sanguinea massa alteratur, exaltatur quasi, adolescentes utriusque sexus pubescunt, lascivire incipiunt, amplexusque venereos desiderant, immutato corporis toto habitu. Nam, cui fini seri quædam portio cum sanguine regrederetur in venas, antequam interiorem *renis* substantiam ingressa fuit, ubi urina segregatur, & cui fini ramusculi nervei ibi quidem locorum in arteriolarum propagines implantarentur? Si non alia esset admirandæ *renum* structuræ actio, quam urinæ è sanguine sequestratio? Et si aliquis est harum actionum finis, quis tandem sit ille, nisi quem indigitavimus? Seri verò istas portiones, quæ hoc modo resorbentur à ramulis, antequam interiorem *renum* substantiam, veram urinæ officinam, subierunt, portiones oleoso-tartareas excrementitias non amplius continere vel ex eo liquet, quod alias concipi non posset, cur non omne, quod est excrementitium, pelvim renum & interiorem substantiam vasculoso-spongiosam subeat, sed in venas remeet, ac sanguini, qui tamen depurandus erat, denuò suffundatur. Mirum alicui meritò videri possit, cur venæ emulgentes sint adeò capaces, imò arteriis emulgentibus longe capaciores, cum tamen hæ tantam sarcinam, urinæ sc. omnem materiam in *renes* deponant, istæ verò nil aliud, quàm sanguinem sero spiritibusque orbatum revehere dicantur. Igitur ni plane fallimur, una cum sanguine, non tantum notabilem seri, sed, à salsugine urinosa depurati, & à spiritus animalis admixtione spiri-

ſpirituoſi redditi portionem revehunt, quæ, quo ſpirituoſior, eò majorem ſibi in venis emulgentibus locum requirebat. Quibus ita ſe habentibus apparet jam, quis verus ſit *renum* uſus; ſc. duplex; quod exteriorem ejus ſubſtantiam *elaboratio Tincturæ cujusdam genitalis*, alterando ſanguini in puberibus, pro excitanda laſcivia, dicatæ; quoad internam; *ſecretio urinæ*. Immò, ſi dixerimus, per hanc quoque *Tinctura*m, *auram*, &c. fieri, *ut ſanguis ad menſtruas excretiones in femellis incitetur, fortaſſe non erraverimus.* Proficiſcatur hic menſtruus fluxus à plethora, rideantur omnes illi, qui ſupponunt fermentum aliquod ſanguinem iſtis periodis rarefaciens atque ad excretionem ſtimulans, quod hodie facit in *Emmenologia ſua Freundius*, quidquid mechanizet hic Autor, & ejus ſimiles, certe ſine peculiari quodam ὀργάσμῳ menſtruationis negotium concipere vix licebit. Si non adeſt rarefactio, ſi non ebullitio quædam, cur ſemel apertis uteri arteriolis (nam ex his ſolis ſanguis menſtruus profluit) non tota maſſa ſanguinea exit, pulſu præſertim conniventiam arteriolarum ſemel apertarum impediente, jugem verò fluxum promovente? Immò, quid de *Menſibus immodicis* dicendum? Num & hi ſemper à *Plethora?* Atqui hoc ſi eſſet, cur quæ immodico fluxu laborant, denique multæ palleſcunt, cachecticæ; hydropicæ fiunt? Colligitur itaque circa iſta vaſa ſucceſſive ſanguis ſuperfluus, cujus, ſi quantitas competens collecta fuit, ab aura hac genitali ſuſcitatur orgasmus, oſcula arteriolarum aperiuntur, ſanguis guttatim exſtillat, ſufficienti poſt quantitate depleta, ceſſante tunc orgasmo, denuo clauduntur vaſa, & fluxus deſiſtit. Nec implicat, alio quoque modo, ſicuti in aliis *hæmorrhagiis*, ſanguinem orgasmum concipere poſſe, ut non opus ſit hac aura vel ſpiritu. Diſtinguimus enim *inter orgasmum ſanguinis, ut ita loquamur, naturalem; vel ſaltem nonnaturalem, & præternaturalem.* Iterum ex noſtra hypotheſi apparet, *quo pacto renes dici queant ſedes amoris & concupiſcentiarum?* Nempe, quia per hos venerea libido ſuſcitatur. Porrò, *cur majoribus renibus præditi ſint ſalaciores?* quia nempe in majori

quantitate elaboratur salacitatis suscitabulum. Organon enim, quo majus, eò promtior ejus, cuilibet functioni destinati, operatio. *Mr. Littu in observatione de fœtu humano monstroso Memoir. Ann.* 1701. *de l' Acad. Royal. de Science p.m.* 123. de *cerebro humano* eleganter ratiocinatur, cum observat id longe majus esse, quàm omnium reliquorum animalium homine etiam multo grandiorum, verosimiliter, ut continere possit infinitum numerum conceptuum & idearum, quorum reliqua animalia non sunt capacia; Quo enim plus *cerebri* habent quævis animalia, eò perfectiores animæ functiones, quod in *Rhachiticis* clarissimum, hi enim, ut sint corpore cætera pausillo, capitones tamen plerumque existunt, sed & pro ætatis ratione suis æqualibus semper sapientiores & magis judicio pollentes; Sic fatuos utplurimum videmus minore capite præditos: Parili plane modo, uti *renes majores* notant, cæteris paribus, salaciores, ita *minores* ad hæcce prælia imbelles. Neque tamen non videmus premi nos posse quibusdam difficultatibus, sed, quod speramus, haud difficulter superabilibus. Objicere quis posset, *materiam pro hac aura genitali semper etiam in pusillis renibus advehi, necessarium igitur esse, ut infantes quoque lasciviant.* Respondemus, eandem quoque objectionem contra *testiculos* valere. Cur autem bruta quædam cervi, canes &c. non per totum annum Veneris œstro cieantur, cum per totum annum hæc *aura* in ipsorum *renibus* generetur: Respondemus idem, quod antea. Fortius κατὰ δύκησιν stringunt, quæ de *Eunuchis* proferuntur. Hi namque sunt effeminati, sunt exili voce, barba carent, sterilescunt, præsente nilominus illa *renum* actione. Sed hæc adeò nos non feriunt, ut mirifice potius confirment nostram sententiam. Qui sunt Eunuchi nati, vel ante pubertatem tales fiunt, nunquam in masculas vires adolescunt, nunquam vocem gravem ebuccinant, barbam alunt &c. Secus verò res omninò habet in illis, qui jam ephebi castrantur. His, experientia teste, neque vox mutatur, neque barba excidit, neque aliud quid effeminati contingit, nisi quod generare, vel efficaciter coire desi-

nant.

nunt. Coëunt tamen, laſcivi ſunt, pruriunt, feminas ineunt. Dicat *Smetius*, affirmet *Cabrolius*, aſſerat *Fontanus*, prædicet *Hoffmannus, aliquos generaſſe inteſtatos*; Facimus cum *Lindenio*, qui ita: *Horum virorum auctoritati ſicuti fidem ego nunquam derogare nec poſſum nec volo, ſic neque credere.* De Eunuchis autem non unis, quod coiverint, res certa eſt. Cur *Turcarum Imperatores* Eunuchis penem quoque abſcindunt, teſte *Scaligero Exercit.* 175. 7? Eo quod viderint tales libidinoſe feminis inſultaſſe. Nota eſt hiſtoria Eunuchi cujusdam in *Aula Electorali Saxonica* Muſici, qui conjugium appetivit, & voti quoque damnatus fuit. *Unde hæc adydymorum libido, ſalacitas, laſcivia?* Certe non aliunde, niſi ab *aura vel Tinctura genitali renum.* Præterea toto die obſervamus, & frequentiſſimis hiſtoriis convincimur, eos, qui ſunt in utroque ſexu quam maxime ſalaces, quam minime tamen generare: Immò minus, qui ſunt ſupra modum ſalaces. Semen igitur poteſt eſſe prolificum, absque notabili *ſalacitate* vel laſcivia: laſcivi itidem & ſalaces eſſe poſſunt ſine fetificatione; quod cum communi ſententia de *teſticulorum* virtute ſtare non poteſt. Obſignamus diſcurſum præter intentionem longius productum, poſtquam pauca adhuc monuerimus. Rogandi ſunt, qui anatomicis præſectionibus vel ex officio, vel occaſione ſtudent, ut curatius in *ſalacibus* inquirant in *renum* magnitudinem. Porrò, ut animalia bruta *Veneris æſtro* percita ſecantes obſervent, annon tum *renes* laſcivius & graveolentius aliquid, quam aliis temporibus ſpirent? Denique in vivorum ſectionibus, liganda alterutra *Emulgens*, ligandus ſimul alius quiſpiam major venæ cavæ ramus, v. g. aſcendens, quippe ab Emulgentibus remotior. Colligendus in utrisque accumulatus ſanguis examinandus, qui, & quomodo concordent, diſcordent iſti in diverſis vaſis collecti humores? Obliti ſumus ſuo loco notare, quod *renes leporini*, animalis valde ſalacis comeſti, præ aliis libidinoſi quid ſpirare manifeſte comperiantur.

OBSERVATIO CLXIX.

Dn. LIC. ROSINI LENTILII.

De

Aquis Medicatis Cantstadiensibus.

LAudaturus *benedictam Terram* in Valedictoria *Moses*, Vir DEI, à rivis, fontibus & lacubus ad montana & in pascuis fluentibus orditur, inde demum, ad tritici, hordei, vitium, ficum, granatorum; ad olei, mellis & metallorum proventum progressus, Deut. VIII. 7. 8. 9. quasi præferendas omnibus aliis thesauris, aquarum scaturigines varias censuisset. *Würtenbergica* tellus, uti nulli *Germaniæ* regioni bonitate cedit, quippe rerum ad vitam necessariarum proventu adeò beata, ut cum in multis exuberet, in nulla deficiat; ita *fontium medicatorum* varietate mira plurimas omninò Regiones post se relinquit. Sunt nobis è famosioribus *thermæ ferinæ*, *Balneæ Bollenses*, *Zellenses*, *Stuttgardianæ*, *Rüdenanienses*, *Blasienses*, *Acidulæ*, quas ita vulgò vocant, (quamvis, ut suo loco dicetur, perperam) *Göppingenses*, *Deinacenses*, *Rippolzavienses*, *Jebenhusanæ* & plures. Cum An. 1708. *Goppingenses* aquas potaremus, id nobis loco recreationis fuit, ut istas 4. scaturigines diversas, tum *Fauerndavienses*, *Jebenhusanas*, *Uberkingenses*, *Bollenses*, vario quidem modo; sed præcipuè per ita sic dicta *reagentia* tentaremus; idque fecimus magna, neque pœnitenda cum voluptate. Didicimus autem plane verum esse, de quo jam dudum persuasi eramus, *Göppingenses* sc. aquas *Wiirtenbergicas* alias potabiles viribus anteire, quod ad oculum demonstrare semper parati sumus. Ea verò, qua sumus *Göppingæ* perfruiti, voluptas nos allexit, ad examen *aquarum Canstadiensium*, revera talium, quales ibi locorum nunquam sperare poteramus, quippe quod istæ aquæ quantumlibet usu antiquissimæ, nulla tamen unquam illustri fama in hunc usque diem, hominum memoria, claruerint, suoque nos exemplo doceant, quemadmodum inter homines famam aliqui habent, aliqui merentur, ita famigeratissimæ quælibet salutares

aquæ

aquæ, non ſemper ſint optimæ. Comite itineris & laborum Dn. *Ottmanno*, *Pharmacopœo Stuttgardienſi*, ob litteraturam elegantem, peritiam Chimicam & in indagandis naturæ arcanis raram curioſitatem omni laude digniſſimo viro, *Cantſtadium* nos contulimus d. 17. Octobr. 1708. Oppidum eſt amœnitate ſitus commendabile, dimidio abhinc milliari diſtans, ad ripam *Nicri* nitide ædificatum. Balneæ ſunt ibi *Sulzenſes* ſeu potius ſalinæ dictæ, das Sultz-Bad/ eo quòd *Sal commune* continere creditæ fuerint, quod etiam ita ſe habet, uti deinceps videbimus. Hactenus earum nulla gloria. Stuttgardiani, quos res anguſta domi à reliquis fontibus arcuerat, illuc propinquitatis compendio, commeare ſueverunt, ſcabioſi utplurimum, vel artuum debilitate fracti. Nam aliis uſibus aptæ nunquam judicatæ, imò nequidem poratæ. Adivimus primum domum Balneatoris, ubi exploravimus, profluentem è ligneo canali aquam ſapore aliquantillum ſalſo præditam. Ubi continuo defluit, cruſtam albiſſimam calciformem deponere vel relinquere ſolet. Hanc elixiviare vel ſolvere volentes nil nacti ſumus : Affuſa enim *lapidi* huic *calcario* in pollinem redacto aqua calida etiam poſt aliquot dies nil ſaporis alieni, neqve odoris exhibuit. Judicavimus igitur eſſe *terram* meram *calcariam*, levem, poroſam, *alcali fixum*, medicinalibus, ſalinis vel aliis viribus orbam, aut certe pauperrimam morgam. Parietes canalis lignei inducti erant vel incruſtati lapide molli, rutilo, ſeu ſi mavis ochreo. Cum 600. prærter propter paſſibus à domo *Balneatoris* ad *fontes* veniſſemus, haud procul à *Nicro* flumine diſtantes, horum conſpicati ſumus numero binos, quadratos pedum circiter 8. longitudine & latitudine comprehenſos. Lateris ſiniſtri fons ab incolis vocatur *maſculus*, alter dextri, *Femella*. Inter utrosque fontes, aëri libero expoſitos, erat 8. circiter pedum intercapedo. *Maſculi* fontis aqua elegantiſſimo ſane ſpectaculo per diverſas, non minus, quàm decem, ſcaturigines è profundo ſurſum quaſi perpetua cum ebullitione aſcendebat. Non erat frigida, ſed quaſi ad quendam teporem inclinans. Licet aëris tunc intemperies eſſet ſatis aſpera

& in-

& inclemens. Sapor nobis videbatur manifeste vitriolicus, & quasi atramentarius, qualis *Egranarum* solet. Hunc fontem ajebant 12. circ. pedum profunditatem emetiri, & quum conto exploratur, scopulos indefinitæ inæqualitatis sentiri. Ex hoc solo fonte *masculo* in balneum aqua per tubulos derivatur, nisi quum balneantium numerosus confluxus aquæ majorem quantitatem postulat, tunc enim è fonte *femella* per ductum huic itineri aptatum, utrique fontes coëunt, & in unum communem alveum colliguntur. Fons *femellæ* totidem scaturiginibus oculos oblectat, sed, impari plane robore in altum tolluntur. Tepor tamen idem, qui in *Masculo*; sapor nonnihil remissior; attamen, nisi quis prius *Masculum* gustaverit, sic satis potenter linguam afficiens. Color tunc equidem turbidulus, cum aquæ *masculæ* crystallina claritate se commendarent. Referebant nobis inquilini hoc sane mirandum & notatu revera dignum, de fonte *femella*: nempe aquam singulis mensibus pedetentim ac denique valde turbari, hinc subito reclarescere. Natum inde, femellæ nomen existimamus, quasi *menstrua* patefieret, fons iste, Sic enim loqui solent: Das Weiblein reinige sich alle vier Wochen. Affirmabant hos utrosqne fontes, uti, quo major sit æstivus calor, eò frigidiores, ita quo intensius frigus hybernum, eò calidiores comperiri, sic ut media frigidissimaque hyeme prætereuntes manus in his fontibus percalefaciant. Hieme quoque tantum tamque visibilem vaporem ex utrisque sustolli, ut eminus quasi struis carbonariæ fumus judicari valeat. Fons *femella* eadem cum *masculo* profunditate excavatur, sed in fundo nullæ rupes, conto potius cedens limus. Fons *femella* format elegantissimos *lapides* intuitu miro visum animumque recreantes. Affiguntur ad fontis parietes, nil aliud referentes, quàm *complexum merum tubulorum minimorum cavorum, inter se mirabiliter contextorum, instar musci corallidis, vel corall. albor.* Leves sunt isti lapides, colore tam nigri, quàm grysei, saporis nullius. Quaqua fluit aqua per canales, *ochram* in fundo deponit copiosam, quæ nondum examen nostrum

susti-

ſuſtinuit. Obſervavimus illapſa in hoſce fontes arborum fruticumve folia nigredine tingi. Fons *maſculus* in oppidum derivatur per canalem ligneum & amplum, ex hujus canalis parietibus ſucceſſu temporis ſponte ſurgit alius quidam canalis ſaxeus, è ſaxo duriſſimo & albo. Hunc ſibi præterfluens aqua artificioſe & magiſtraliter, ut ita loquar, fingit. Lapis eſt aliquot pollices craſſus, nonnullibi tubulatus, alibi denſus, & per ſingulos annos canalem ligneum adeò incruſtans, ut neceſſe ſit, magno labore canalem lapideum à ligneo per lapicidarum operas, ſeparare. Mirabamur lignei canalis profunditatem, è cujus lateribus lapidis quaſi fimbria ſurrexerat, non aliter, quam lapicidæ artificio coagmentata, aut è ſolido ſaxo exciſa. Dicebant tantum eſſe aquæ per canalem in æſtuaria profluentis impetum, ut tecturam per aſſeres non ferat, ſed magno cum fragore dictos aſſeres hiſcere faciat. Hoc reſponſi tulimus, cum diceremus has aquas virium ſane multum fluxu tam longinquo per canalem apertum amittere, quod verum eſt, ſiquidem ſapor ad fontem infractus, in balneis ipſis ad miraculum usque remiſit, cum tamen ultra 600. à fonte paſſus fluere non cogatur. Id verò de particulis activis hujus aquæ teſtimonium perhibet, contrarios omnes auſus elidens. Sic neque vecturam violentam in vaſis admodum clauſis, quin hæc rumpantur, ſuſtinet; pauci has aquas *acidularum* more, potare ſunt auſi, nullo ſane cum detrimento, imò ſanitatis cum emolumento. Deportatas jam in diverſorium noſtrum utriusque fontis aquas inſtillatione variorum liquorum variè tentavimus, ſpectaculo jam jucundo, quod mentem curioſitatis avidam planè ſatiaret. Effervescunt cum *ſpiritibus acidis* parum, magis tamen cum *ſpiritu Vitrioli*, quam Nitr. ſurgebant è fundo perpendiculariter aſcendentes bullulæ minimæ, hæque innumeræ. Color nil mutabatur. Cum Aceto deſtillato debiliter agitabantur, ſed bullæ parietibus vitri affixæ ſatis magnæ & numeroſæ, colore immutato. A ſolutione Aluminis aqua primò nil mutabatur, deinde ſenſim opaleſcebat. (Opalem colorem vocamus ex albo turbidum, qui Inci

obversus parum rutilescit.) A solutione *Sacchari Saturni* intense lactuerunt, item à *solutione Lunæ*; ubi simul statim in *masculis* præcipitabantur flocculi majores candidissimi. A *Spir. Sal. Armoniaci* opaluerunt; A solutione *Vitrioli Martis* color ex obscuro flavescens, vel flave-opalis: A *solutione Martis* vix ac ne vix quidem ad opalem vergens. A *solutione Vitrioli* Veneris color pallidule cœrulescens, quasi *bleumourant* & turbidulus, qui idem, sed *saturatius* cum *solutione Veneris* contigit. Ab *oleo Tartari* color saturissimè opalis, immò lacteus. A *solutione Salis* primò parcissime opalescentes, postea statim reclaruerunt. A *solutione Sulphuris cum Sale Tartari* color ex fusco turbido-opalis cum magno fœtore; sensim postea magis *lactescens*. A *solutione scor. Reguli Antimon.* color instar *Chrysolithi* flavidulus & diaphanus cum parco fœtore. A *solutione Gallarum* color clare purpurascens. A *solutione resinæ* in fundo parum opaluerunt. A *Sirupo violarum* viriduerunt eleganter cum aliquali vix tamen perceptibili effervescentia; quamvis in femella nulla plane agitatiò fuerit observata. Ab *infusione Lacmi* elegantissime purpuruerunt. Notandum *femellam* propemodum eadem plane cum *masculo* phænomena exhibuisse, nisi quod fere tentamina quælibet majorem ad fusum mutationem *masculo* intulerint. Atque ut rem seriò & accuratè ageremus, aquam quoque simplicem fontanam eadem tentamina sustinere cogebamus, sed cum eas, uti pleræque sunt nostræ, *alcalici* quid continere perspiceremus, elegimus *aquam destillatam* v. g. *Veronicæ*, quæ nihil omninò per nostros liquores mutabantur, nusquam ebulliebant, nusquam turbabantur. His ita peractis aquam fontis *masculi* huc *Stuttgardiam* itinere pedestri asportari curavimus. Mensuram ejus dimidiam ad medietatem abstraximus. Requirebat ignem fortem. Sapor erat aliquantulum *salinus*. Aqua prolecta impune sustinuit omnes nostros liquores, nullam plane mutationem subiens. Unde particularum volatilitas clarè quoque demonstratur. Aqua post abstractionem medietatis in cucurbita remanens à *solutione Lunæ* lactuit eleganter cum floccu-

lis

lis albiſſimis, à *Spiritu Salis Armoniaci* opaluit, à *ſol. Sacch. Saturni* lactuit, à *ſol. Sulphuris cum Sale Tartari* flavuit cum parco fœtore, diaphana primum manens, poſtea turbata; à *ſolut. reſin. & ol. Tartari per deliquium* dilutè *opaluit*, à *ſolut. Lacmi* aliquantillum rutilavit, à reliquis liquoribus nil omninò paſſa. Notabile, vim ſolius ſolutionis *Mercurii ſublimat.* omnes has aquas ſibi relictas, deſtillatas, à deſtillatione reſiduas, planè eluſiſſe. Poſtremo *aquæ maſculæ Cantſtadienſis* menſura una *Wiirtenbergica* poſt plenariam evaporationem nobis largita eſt *Salis communis* non equidem *nivei*, ſed ſatis *ſalſi* ʒij. gr. vi. Menſura verò *Wiirtenbergica* continet ʒLvj. vel ℔iiij. ʒviij. Libra igitur una hujus aquæ largitur *Sal. comm.* ʒß. gr. vj.

(*Stuttgardtiâ Auguſtam Vind. d. 6. April. An. 1710. miſſæ.*)

OBSERVATIO CLXX.

D. REINHOLDI WAGNERI.

Anatome Juvenis, lumbricis veſicæ urinariæ & tabe defuncti.

VErmes in omnibus totius corporis partibus repertos fuiſſe, multis & infinitis Eruditorum ſcrinia confirmarunt exemplis: Conferantur *Ephemerides Germ. N. C. D. I. A. I. obſ.* 50 *p.* 147. *& A. II. obſ.* 147. *p.* 220. Item *Nova Literaria maris Balthici A. XCIX. Menſe Octob. p.* 301. *& ſeq.* Interdum quoq; vermiculos cum urina excretos, eosque vivos cum urina emictos variæ docent Hiſtoriæ *l. c. D. I. A. I. Ephemeridum*, *& A. IV. & V. obſ.* 156. *p.* 198. *An. VIII. obſ* 14. *p.* 22. *A. IX. & X. obſ.* 13. *p.* 51. *Dec. II. A. I. obſ.* 77. *p.* 183. *A. VI. obſ.* 31. *p.* 85. *A. VII. obſ.* 255. *p.* 478. Item *Dec. III. A. I. obſ.* 82. *p.* 126. *A. III. obſ.* 117. *p.* 207. *A. IV. obſ.* 2. *p.* 4. Inter rariſſima verò contingentia numerare licebit lumbricos vivos ſpithamæ longitudine, quales vivaces ſatis per veſicam ex urethra prodiiſſe, miro ſpectaculo vidi.

D. Nicolaus Albinus, Flensburgo-Holſatus, qui S. S. Theologiæ

logiæ C. anno 1700. Festo Nativitatis Salvatoris nostri, in hac Metropoli Hafniensi ex cathedra ecclesiastica verba facturus, colicæ dolores intensissimos persenserat, rejecit tandem per alvum unum vel alterum lumbricum; ex quo dolores sedatos quidem, aft non penitus sublatos persensit. Redeuntibus enim subinde cruciatibus colicæ, neglectisque remediis, malum adeò invaluit, ut tandem Mense Aprilis lumbricus ultra quadrantem ulnæ nostratis, mox alter ejusdem spithamæ longitudinis per penem exitum sibi pararet, quos vivos egredientes propria manu æger ex urethra sibi extraxit. Augmentato itaque vesicæ dolore cum stranguria & dysuria urinæ purulentæ æger clinicus, lenta tabe marcescens opem meam sequentibus literis implorabat. Ich muß mich sehr beklagen/ daß da vorhero lumbrici vivi sowol per alvum, als auch jetzo per penem abgangen seyn/ ich solche Hefftigkeit der Winden/ insonderheit in der Blasen fühle/ welche mich dermassen quälen/ daß ich besorgen muß/ es werde dieselbe/ wofern kein Mittel dawider gebraucht wird/ ehesten Tages bärsten und zuspringen. Die Härtigkeit um der Blasen herum ist sehr groß und schmertzlich/ und werde ich dann und wann mit einer stranguria und eyterigem Urin hefftig incommodiret. Es ist eine dermassen hefftige Mattigkeit bey mir/ daß ich auch nicht capable bin/ eine eintzige Viertelstunde aus dem Bette zu bleiben. Quare ad ægrotum, qui uno lapide ab hac Metropoli in ædibus Regiis Friederichsberg ita graviter decumbebat, accurri; simul atque flatus & crepitus per vesicam ex urethra cum impetu sæpius una cum urina purulenta erumpentes, similemque materiam purulentam per alvum dejectam viderim, clysterem anodynum, ac internè medicamenta balsamica vulneraria commendavi. Præterea tumori abdominis scirrhoso in hypogastrii parte sinistra calida sicca applicanda suasi; ex quo tumore ulcerato, tandemque sua sponte aperto, fœtidissimi puris insignis copia effluxit, donec miser, qui semivivus vermibus escam præbuerat, lenta tabe confectus, morte morbo tandem d. 3. Junii liberatus. Cadavere, hoc ipso die mortis, aperto, in abdomine sequentes partes sauciatas per anatomen detexi.

I. Cuti-

I. Cuticulæ lividæ spontaneam à cute separationem & nigritiem ex sphacelo.

II. Pinguedinis colliquati serosam colluviem.

III. Musculorum sphacelatorum ac suppuratorum in sinistro hypochondrio abscessum sive ulcerationem.

IV. Peritonæi ulcerati cum colo intestino accretionem.

V. Coli in illa parte, quæ peritonæo accreverat, vulnus aderat, vel potius ulcus sordidum à lumbricis perforantibus.

VI. Vesicæ urinariæ vulnus, itidem à lumbricis eam perforantibus in fundo erat conspicuum.

Usus ex Anatome Juvenis, lumbricis vesicæ ac tabe defuncti.

I. Vesicæ vermem à calculo distinguere, sæpius esse difficile: Exemplo, de verme in vesica lactantis, adducto à Celeberrimo D. D. *Muralto in Ephem. Germ. D. II. A. I. obs. CIV.* quale inconsideratæ ac lethalis sectionis exemplum in puero tabido, vesicæ ex verme dolore affecto refert Celeberrimus D. *Pechlinus in Observationibus Physico-Medicis, obs. IV.*

II. Longe difficiliorem curationem morborum illorum, quorum causa à vermibus lateat.

III. Omnium vero difficillimam, imò impossibilem, si ulcere gangrænoso partes affectæ fuerint: quemadmodum Vesicam, color & Uterum, in Anatome septuagenariæ, quæ per muliebria vermem excreverat, gangræna affectos vidit Celeberrimus D. D. *Hartmannus D. III. A. VI. obs.* 208. *p.* 474.

IV. Non tamen semper impossibilem esse ejusmodi curationem docuit Celeberrimus *Schröckius in Scholio Eph G. D. II. A. I. obs. 77. p.* 185. exemplo senis, qui urinæ difficultate laborans per somnum excrevit vermem, cum maxima hæmorrhagia aliisque symptomatibus, salvusque evasit.

V. Similia exempla crepitus per penem emissi exhibent *Acta Hafniensia Vol. II. obs.* 48. *p.* 135. *& Vol. III. obs.* 40. *p.* 74.

OBSERVATIO CLXXI.
D. REINHOLDI WAGNERI.
Anatome puellæ ſcorbuto & dyſenteria confectæ.

TAnta ſcorbuti ſæpius eſt malignitas, ut totam ſanguinis maſſam balſamicam acrium acidarumque particularum copia multis modis non tantum lædat, ſed & ſingula corporis humani organa, nutritia, genitalia, ſenſoria & motoria tandem invadat. Hujusmodi obſtinati ac pernicioſi ſcorbuti exemplum Xenodochium Hafnienſe vulgò dictum Kinder-Hauß mihi exhibuit in puella tredecim annorum, quæ anno 1696. die 19. Octobris, non uno conflictata morbo, marasmo tandem totius corporis, ac denique dyſenteriâ mortem obiit.

Per anatomen, præſentibus Domino D. *Georgio Friderico Franco* de *Frankenau*, P. P. ordinario aliisque Fautoribus atque Chirurgis, aperto ad lineam albam abdomine, ſequentia detexi.

Ex partibus nutritiis: *Pinguedinis* vix aliquod in cellulis aderat veſtigium, ſed conſumptis oleoſis ejus partibus membranæ rariores & cellularum adipoſarum compactæ tunicæ ſaltem erant conſpicuæ.

Omentum erat membrana omnis adipis, & adipoſorum ductuum expers.

Ventriculus vacuus, totaque via ac canalis alimentorum, quæ dividi ſolet in *inteſtina tenuia & craſſa*, omni humore mucoſo deſtituebatur. Similiter *inteſtinum rectum* ob defectum nutritionis, ex ſanguinis ſucco nutritio depauperato, gangræna corruptum.

Meſenterium nullam pinguedinem, aſt multas ac inſignes ſcirrhoſas glandulas fabarum magnitudine oſtendebat: Hinc jucundo ſpectaculo vidimus, quomodo vaſa ſanguinea meſaraica arcuatis iisque multiplicatis arcubus ad inteſtina ſubreperent. Tentavi in ramum unum alterumve *Venarum portæ* injectionem liquoris, atque liquorem æque ac flatum citra ligaturas ab his venis ad inteſtina citra ullam difficultatem adegi, adeò ut inciſa

inte-

intestini portione, à flatu sibilum, à liquore vero cœruleo injecto cœrulei sudoris indicium viderim manifestissimum; ex quo simul luculentissimum, quod venæ portæ orificia sive oscula immediate undiquaque hiarent in intestina. Porrò per *arterias mesaraicas* liquorem flavum, porro flatum quoque intra adigere tentavi, ast longe difficiliorem ingressum per arterias inveni: qui enim per venas portæ libere ingrediebatur liquor aut flatus, vix quidem, nec nisi ligatis venæ portæ ramis subintrare potuit intestina. Cogitare ergo cœpi, sanguinem in dysenterica nostra ex venis mesaranis earumque glandulis obstructis ac scirrhosis, atque spasmodice affectis immediate ex osculis earum extremis in intestinis regurgitasse: ex arteriis verò nil quicquam immediate, nisi mediantibus istis venarum portæ ramusculis egressum fuisse. Qui ergo in profluviis sanguineis intestinorum ex arteriarum oscillis exire sanguinem statuunt autores, nullis id experimentis perspicue demonstrant, fieri ita immediate. Quin obstant in contrarium toties reiterata experimenta jam beati Domini D. *Philippi Jacobi Hartmanni*, Professoris Regiomontani Celebratissimi, Præceptoris mei post mortem quoque venerandi, qui *in Disquisitionibus Historicis de re Anatomica Veterum Exercitatione in specie prima de peritia Veterum Anatomica §. XI. & seq.* oculari inspectione docet, quod venæ portæ orificiis suis undique hient in intestina, nec arteriarum rami tam propeliti sint ad tunicam intimam intestinorum, quam illi à venis portæ: frustra reclamante Celeberrimo *Blancardo*, qui ramificationem densissimam vasorum sanguiferorum in intima tunica terminatorum arteriis deputat.

Hepar, externa specie naturæ respondebat:

Vesica tamen *bilis* turgida crassam effudit bilem.

Lienis haud vitiosa substantia.

Renes pinguedine deficiebant: sinisterque putris, caruncu-las calculosa materiâ refertas ostendebat. Præterea ejusdem arterias emulgentes geminas, distantibus intervallis, ex arteria magna ad latera renis utraque ingressas deprehendimus.

Thora-

Thoracem dissecanti se visui obtulit *ductus thoracicus*, qui ex vesica circa lumborum vertebras inter renes succenturiatos oriundus, in progressu suo varias ostendebat insulas, tandemque sub œsophago ductu serpentino ferebatur in subclaviam venam sinistram.

In *Pericardio* liquorem solitò copiosiorem inveni.

In *Cordis ventriculo dextro* polypus aderat mole notabilis, qui non tantum totam auriculam & venam cavam, sed & arteriam pulmonalem occupaverat; ubique firmiter cum columnis cordis cohærens.

Ex partibus sensoriis: In *Cerebro* sinum falcatum itidem polypo ac massa pituitosa turgidissimum deprehendimus; vasaque cerebri cruore adeo erant referta, ut sanguinem crassiorem ubique stagnasse in minimis ductibus, conjecerimus. Tentando enim injectiones in arterias carotidas, jucundo spectaculo vidimus, quomodo arteriæ carotides unius lateris cum alterius carotidibus & cervicalibus arteriis anastomosibus suis communicarent; ast plexum choroidem & ventriculos vix tandem liquore tinctos ostendimus.

Ex partibus genitalibus: *Uteri* vasa sanguinem scorbuto vitiatum ac coagulatum continebant.

Ovaria erant flaccida, hydatidibus omni lympha nutritia fermè destitutis.

Hymen tamen morbo diuturno haud vitiatum aderat, quippe quod instar membranæ ligamentosæ prope urethram situm foramine erat circulari præditum.

Ex partibus motoriis: *Musculorum* ubique gracilitas atque summa atrophia; obliquos abdominis musculos lividos ac subinde gangræna affectos offendimus, cute ipsa maculis lividis scorbuticis læsa.

Musculi pyramidalis sinistri unicum tantum erat vestigium, qui deficiente altero, tendine suo in lineam albam ascendebat.

Usus

Uſus ex anatome puellæ ſcorbuto & dyſenteria confectæ.

1. *Scorbutum* eſſe morbum univerſalem, utpote qui & nutritia, & genitalia, & ſenſoria & motoria organa variis modis lædit.

II. Ex Nutriciis *glandulas* imprimis pati in ſcorbuto: Unde ex glandularum meſaraicarum obſtructione vel ſcirrho Atrophia univerſalis & tabes ſcorbutica.

III. Ex ſero ſanguinis ſtagnante *polypos*, varios in variis partibus concreſcere.

IV. In *dyſenteria* ſanguinem intra inteſtina mediantibus peculiaribus ductibus excretoriis venarum promanare: Si enim ex arteriarum oſculis reſeratis promanaſſet ſanguis, perpetuus ſanguinis fluxus contigiſſet, nec tamdiu vitam protraxiſſet ægra.

V. Ex *obſtructione venæ portæ*, cujus ramus pollicis craſſitie turgidus, ſimile ſanguinis profluvium ex anatome detexit *Veſalius L. V. de Fabrica C. H. cap. V.*

OBSERVATIO CLXXII.

DN. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De

Gemellis Cygneæ natis rariſſimis.

INfans ante partum matri eſt oneroſus, in partu doloroſus, imprimis gemini extra ordinem & contra conſuetudinem in utero latitantes. Hoc ſuo exemplo experta eſt Cygneæ Gyntheri Junioris, pannificis uxor, Naumburgica, parvâ corporis forma, & macilenta. Mortuos enim gemellos peperit, non ſine magnis partus doloribus. Quia nempe gemini adeò inter ſe cohærebant, huckten aufeinander/ ut illi non prius, quàm poſt ſectionem funiculi umbilicalis, à poſteriori circa prioris collum arctè convoluti, ſeparari poſſent. Poſtea viderunt adſtantes depreſſam foveam in capite prioris. Hic enim mentô, graviter alterius capiti

adjacente, ita depressit. Cæterum mater plures iterum susceptit liberos, jam verò ante decem circiter annos diem obiit supremum. Maritus in secunda viduitate adhuc superstes.

Dresdâ Augustam Vind. d. 21. Julii
An. 1710. missa.

OBSERVATIO CLXXIII.

Dn. D. ELIÆ CAMERARII.

Operosa Thermometri Fabrica.

Quæ magno hactenus numero in publicum prodierunt Thermometrorum structuræ, variantesque species attendi omni jure, atque, sub examen accuratius vocari merentur. Quàm operose atque eleganter eo in argumento versatus sit Otto Guerike (Vir immortali nominis fama vel solo antliæ pnevmaticæ invento dignissimus) neminem latet, qui in varias Thermometri species curatius inquisiverit; unde tot Machinæ magnatum elegantia tum artificio constructæ in lucem prodierunt, vocatis in subsidium rotulis tympanisque, & tubis serpentinis varieque inflexis, quorum agmina deprehendes in Fr. Tert de Lanis, Sturmii, aliorumque Scriptis. Cumque Barometrum à plerisque unà cum Thermometro excoleretur, factum est, ut unum in alterius pomœria non sine magna ingenii laude nonnulli conati sint traducere; non Mercurii modò cilindrulos exilibus tubis exceptos juxta ingeniosam Lanæ methodum ad dimetiendos caloris frigorisque gradus adhibentes, sed ipsam Barometri fabricam in Thermometrum mutantes. Desudarunt in hoc genere laudabiliter in Galliis Dn. Hubin & Dn. Amontons, incurvum Hugenii Barometrum in Thermometricos usus traducturi, addita cruri aperto bulla hermeticè dein sigillanda; res verò (referente Dn. de Ville) successu caruit, dictoque demum Dn. de Ville ea obtigit felicitas, ut istam Instrumenti Metamorphosin perficeret, reperta tuborum, pyxidum, bullæque congrua proportione. Neque enim Thermometrum hoc Villæanum eandem tuborum pyxidumque

ſervat rationem, quam Barometrum habet Hugenianum, cujus ſequente Obſ. facta eſt mentio, ſed pyxides ſunt graciliores longè in Thermometro ac oblongiores, neque tantùm tubos ſuperant amplitudine, aperto autem Barometri tubo in ſummitate bulla annexa eſt ampla ſatis; ad Thermometrum verò efficiendum fit primò Barometrum Hugenianum, tubique aperti ac pyxidis illi junctæ medietatibus ſpiritu vini tincto repletis glaciei immergitur bulla, donec vini ſpiritus coacto à ſummo frigore bullæ aëre in anguſtias attollatur à premente Mercurii cilindro ad bullæ usque confinia, ſicque tandem exili bullæ orificio hermeticè clauſo paratum ſit Thermometrum minutiſſimas quasque caloris frigorisque viciſſitudines oſtendens. Vidi nuper Machinamenti iſtius elegantis ſpecimen Pariſiis huc allatum, imperitè tamen ab iis, queis demandata erat illa provincia, Mercurio ſpirituque vini repletum, relictis in ſummo occluſi tubi ſpirulis quibusdam aëreis exactitudinem turbantibus; teſtatur verò hoc Thermometri genus de ingenio Autoris, habetque id commodi, quod, utut hermeticè ſigillatum ſit, aër tamen potiſſimas in efficiendis mutationibus obeat partes, non liquor palpabilis uti in florentino; Quanquam ipſa illa inter cilindrum mercurialem aëremque ipſi contranitentem æquilibratio incertitudinem graduum augere potius videatur, cum difficile ſit iſta ita inter ſe temperare, ut certis de caloris frigorisque viciſſitudine intervallis teſtari, palmamque quibuscunque aliis Thermometrorum ſpeciebus præripere jure queat. Et quid non expectandum erit à ſolutione problematis Obſ. ſequ. allegati, ubi plura Thermometrorum genera quibuscunque aliis anteferenda promittuntur, quæ vel eo titulo avidè expectamus, quod facilia dicantur paratu, parvoque molimine conſtruenda. Eccur enim, quæſo, per ambages quærimus, fabricasque tam difficiles, quod via obtinemus facili; Mihi ſanè ſimpliciora illa hactenusque conſueta Thermometra id præſtant aguntque, quod expectare à ſtructuris quibuscunque vel ſummo conſtantibus artificio licet, adeò, ut ne aperta quidem Thermometra repudianda mihi videantur. Dices

equidem ista ex Barometri indole aliquid sibi vindicare, ac gravitati aëris mutatæ subjici; non diffiteor hoc incommodum; quanquam tanti forsan id non sit, ut æstimari propterea minus debeant. Quanquam & ii, qui aperta reformidant, uti Florentinis commodissimè possint. Mihi sanè vel quivis è vitro tubulus optimi Thermometri vices egregiè supplet, si angusti colli phialæ immissus à compresso in illa tantisper aëre protrusum contineat liquorem, cujus promtissimo ad quamvis caloris mutationem motu distinctissimè ambientis auræ temperies observatur. Et cur minutias tam solicitè hîc consectemur, quid inde emolumenti proveniet, si ad summam usque ἀκρίβειαν tantillas etiam temperiei athmosphericæ mutationes cognoscamus; id agamus potius, ut majorem ingenioſi instrumenti utilitatem in Rempublicam vitamque communem inferamus. Dicta ab omni retro tempore fuerunt Thermometra indices tempestatum (Wetter-Gläser) quo verò jure tuebuntur celebre illud nomen, cum præsentem equidem, qui in aëre dominatur, caloris gradum indicent, venturæ verò tempestatis nulla omninò suppeditent indicia. Barometra sanè hunc Thermometro titulum omni jure abstulerunt, ipsis quoque non immeritò Hygrometris præferenda, quanquam & ipsa hactenus non parum incerta. Incumbamus igitur non tàm in nova Thermometra struenda, quam in novos eorundem usus indagandos. Ad medicinam transferre eadem dudum modernorum sagacitas studuit, successu haud adeò felici, pro febrilis nimirum caloris gradibus exactè determinandis, quæ tamen praxis methodusque Theoriam potius quàm praxin sapit; quamcunque etiam Thermometro concilies formam; sive enim bullam florentini manui ægrotantis immittas, sive observes emersionem successivam natantium in Phiala spiritu vini repleta sphærularum, sive alio utaris machinamento, nihil hîc obtinebis certi; cum non eadem externi ad tactum caloris, calorisque interna adurentis ratio atque analogia sit; summo frequenter æstu interna urente, cum extrema frigent, temperatoque ad tactum corpore sub excessivis febrium latentium, quin & malignarum

æsti-

æstibus atque insidiis. Nihil sanè utili curiositate præstantius est, omnisque eò opera impendenda, ut quæ sagaci mentis acumine inventa excultaque sunt, ad humanæ societatis commoda quàm feliciſſimè evalescant ac provehantur.

OBSERVATIO CLXXIV.

Dn. D. ELIÆ CAMERARII.

Moderna Barometri augmenta.

REs primo ortu aspectuque simpliciſſimas egregiis subinde augmentis ad summum perduci apicem in physicorum Scholis & frequens & Sole meridiano clarius est. Testimonium præbeat numerosa Barometrorum Familia. Simplex ille ex vitro Tubus supernè clausus, Mercurioque ad certam statamque altitudinem repletus postquam felici tentamine productus à Torricellio in proscenium fuit, illiusque diversæ diversis tempestatibus altitudines annotatæ sunt, quas non excitavit ingeniorum præstantiſſimorum solicitudines, donec dexterrima speculatione tanta Barometrorum diversitas, tantisque diversa structuris eorundem series exorta est, ut is operæ omninò facturus sit pretium, qui selectum eorundem, commodaque & incommoda solidè demonstraverit. Nata hinc sunt (cum exiguos, quos intra Barometricæ mutationes consistunt, limites ampliare animum induxiſſent Naturæ scrutatores) triginta pedum Barometra, rotulæ tympanaque Mercurio artificiosè juncta, tenues ex vitro bullæ ad exilem suspensæ stateram; tentataque passim alia, donec Hugenius inter alios emineret, simplici primùm suo Barometro non solùm pyxide instructo, Mercurioque cum vini spiritu juncto in medium producto; dolendum sanè egregium inventum ob aërem ex vini spiritu in vacuum assurgentem redditum fuisse irritum; defectum verò mox incurvo duplicique pyxide instructo suo Barometro vir summus compensavit feliciter, vidimusque jam anno elapsi Seculi 1691. in Anglia istiusmodi Barometrum. Nec mireris ab illo tempore hujus structuræ Barometra fre-

frequentiora vulgatioraque facta non fuisse, cum difficultatis non parum habeat, & pyxidum cum tubis proportio locatioque, & totius proin structuræ ad usum efformatio. Egregii Gallorum artifices in eo nunc sunt, ut tàm egregium inventum perficiant, vidique nuper incurvum istiusmodi Barometrum à D. de Ville fabrefactum, quod summam in conflandis curvandisque tubis ostendebat peritiam; hanc verò in Regionem delatum pro Regia Serenissimi Sabaudiæ Ducis Celsitudine manu haud satis attenta impletum fuit, adeò ut vel admota manu Thermometricam proderet indolem latentesque aëris spirulas; difficile quippe est, nec datum cuivis replere tubos, difficile ita claudere alterutrius tubi apicem, ut nulla aëris ibi hæreat bulla, ἀνεξίβειαν observationum nunquam non eludens; ac dubites an ipsa in alterutro crure ac pyxide spiritus vini diversa tempore diverso expansio aliquam incertitudinem non inferat. Nec, fateor, capio cur tam solicitè graduum amplitudinem ac Barometri summam sensilitatem (ut sic loquar) consectentur moderni; utinam certiores prius essemus de ipsis graduum diversorum præsagiis, ac eorundem graduum sub iisdem tempestatibus constantia. Conferent tamen eò plurimum aliorum æquè ac Fratris Carisl. Hector. II. Ephemerides Barom. tot annorum observationes exhibentes. Ego, si fateri quod res est debeam, nemini invideo, qui variationes Barometri magnis intervallis metitur; sufficit mihi satisque videtur exactum simplex Barometrum ritè exacteque paratum. Exactum verò omninò sit necesse est; postquam enim tam vulgare evasit nobile inventum, ut vel ii construant Barometra, qui nullam phænomenorum rationem pervident, ingens eorum numerus in pharmacopoliis, Monasteriis, imò diversoriis, in itinere occurrit, quorum multa sanè ob aliquas aëris in summo tubo reliquias omni ἀκριβείᾳ destituuntur. Non enim tam facilè repletur atque ita invertitur tubus, ut omnis excludatur aër; egregiumque eam in rem compendium est, agglutinata prius tubo pyxide utrumque simul implere, ut nul-

lus

lus ſubreptioni aëris locus ſit; eodemque recidit, ſi curvato tubo vaſculo planè non indigens ſupponendo; Mercuriumque adhibeas à ſordibus liberum ac volubili globulorum rotatione æquabili conſiſtentia ac fluiditate gaudentem. Quo ipſo tamen nolim reprimere pulcherrimos eorum conatus, qui tam utile celebratumque inſtrumenti genus perficere magno conatu allaborant; elegantes Trivultianæ Societatis memoriæ (ut vocare amant Collectiones ſuas Viri doctiſſimi) menſ. Martio nupero magna promittunt in hoc genere atque elegantia ex ore peritiſſimi cujusdam Viri, promittentis Barometra plurium ſpecierum, & magis commoda iis, quæ inventa ſunt hactenus, & eorundem defectibus haud obnoxia ab altitudine 10. digitorum ad aliam quamcunque extendenda ac pro lubitu ſenſibilia; imò problema ſubnecti videas ſequens: Conſtruere Thermometrum & Barometrum, quorum tubi & pyxides ſint æquales altitudine & craſſitie, ſintque in eodem ſitu, eadem quantitate ejusdem liquoris repleti, diſpoſitique eodem modo; quorum altitudo ſit 15. 30. 50. digitorum pro lubitu, imò plus minusve; quorum differentiæ inter ſummum frigus ſummumque calorem in Themometro, interque ſummam aëris gravitatem ac minimam in Barometro ſint non ſolùm æquales, ſed & majores ipſa eorum altitudine, licet indicetur per eundem liquorem in eodem tubo perpendiculari; adeò quidem, ut tandem illicò, ſi libeat, ex Thermometro Barometrum, ex ex Barometro Thermometrum fiat, utut in longitudine, amplitudine, ſituque tuborum pyxidumque, quin & in quantitate, qualitate ac diſpoſitione liquorum nulla fiat mutatio. Magna ſanè ac difficilis conditionum combinatio, quæ facilè quem inſtigaret ad pronunciandum problema iſtud impoſſibile ac contradictorium, niſi moneret, qui propoſuit, facile id eſſe, ac niſi aliunde ſolvatur, publicè à ſe brevi ſolvendum publicoque impertiendum. Nemo facilè auſit tot ſatisfacere conditionibus. Suſpicio quidem prima mox fronte oboritur de Barometro Hugeniano in Thermometrum mutato,

tato, de quo obſ. præced. niſi altitudo 15. digit. imò minor id ultrò eluderet. Fallor verò an res iſta nititur Themometro Barometrico, ſeu duplici Thermometro Barometri vices obeunte, quorum alterum ſigillatum, alterum apertum ſit, notatis ſub eodem caloris gradu utriusque differentiis, ut ſic iis poſtea non correſpondentibus nova differentia gradus gravitatis aëreæ indicet; multæ huic favent circumſtantiæ, video tamen quasdam repugnantes; hîc enim qualiscunque pro lubitu tubi altitudo erit, eadem ſi libet tuborum ratio, idem liquor; ſed non æquè facilis unius in alterum transmutatio, ac differentiarum arbitraria extenſio. Nec permittit tamen temporis ratio plenius in iſta excurrere; præſtolemur veram genuinamque ſolutionem experientiſſimi Authoris, erit forſan tum occaſio curatius iſta expendendi, conſiderandique, an novæ iſtæ Barometrorum ſpecies vulgari Barometro præſtent, certioresque nobis tempeſtatum indices præbeant.

OBSERVATIO CLXXV.

Dn. D. ELIÆ CAMERARII.

Conchiformia arenæ Granula.

QUandoquidem eò usque invaluit figuratorum foſſilium diſquiſitio, ut præcipuis ſeculi moderni ingeniis multo indefeſſoque ſtudio verſari in ea volupe ſit, vitio mihi nemo vertet, ſi delibare quædam ex vaſtiſſimo hoc mineralis Regni theſauro tribus, quod ajunt, verbis audeam. Anguſtis quondam præclariſſimum hoc ſtudii genus clauſum cancellis, ac confuſa lapidum quorundam figuratorum nulla ferè ſerie ordineque congeſtorum farrago fuit, quod ſelectiſſimo nunc claſſium ordine, ſolidaque ſpecierum digeſtione mirificè ſuperbit incredibili mirabilium lapidum numero auctum ditatumque indefeſſa ſummorum Virorum opera, ac ſcrutinio penetralium terræ diligentiſſimo. Crucem tum fixerat melioribus ingeniis ſingularibus diſtincta

ſtincta figuris lapidum productio, quæ tamen intra admirationis ferè limites ſe continebant ; nunc verò ad novam toti naturali ſcientiæ faciem conciliandam videns aſſurgere documenta ex iſto Naturæ ſacrario deprompta, poſtquam (ut alios magni nominis viros taceam) Celeb. Joh. Woodward, Soc. Reg. Angl. Soc. Vir non in cortice terræ extimo hærens (ſiquidem ulla fodinarum profunditas ultra extimum penetrare corticem cenſenda ſit) ſed penetralia illius ſolicitè perquirens, hic innumera obſervationum ſerie fretus graviſſima hinc dogmata deducere ac ſtabilire allaboravit, univerſalem ſcil. terræ in diluvio inundationem, ac præterea diſſolutionem integri globi terreſtris, in diluvio quaſi diſcerpti & in fruſta reſoluti; ſtatuens, particulas omnes Lapidum, marmorum, aliorumque ſolidorum foſſilium ab invicem ſejunctas, in aquæ ſuperiora ſublevatas, ibique una cum Teſtaceis marinis, aliisque animalium & vegetabilium corporibus ſuſtentatas ; hanc adeò quam inhabitamus Terram eſſe congeriem ſeu maſſam promiſcuam arenæ, terræ, vel luti, conchārum, aliorumque corporum rurſus in aquæ fundum delapſorum &c. Omnia igitur figurata foſſilia eſſe maris progeniem, conchis, aliisque marinis in diluvio univerſali toti globi Terraquei maſſæ immixtis, nunc verò paſſim ſub figura ac habitu lapidum comparentibus, uti per inductionem probari hodiè paſſim audias; argumentis ſanè haud è trivio petitis, ſed iſtiusmodi quæ Celeb. Scheuchzerum ea in re verſatiſſimum pertrahere in partes Cel. Woodwardi valuere. Quis non magnum illud Geographiæ phyſicæ opus avidè expectet, cujus doctiſſimum ſpecimen vaſtam in naturæ receſſibus notitiam abundè comprobat. Univerſale diluvium nemo facilè negaverit; diſſolutionem Terræ in diluvio haud perinde omnes admiſerint. Nihil igitur ſupereſt, quam ut ii omnes, qui amœniſſimi ſtudii amore aliquo ducuntur, ſuas conferant obſervationes, & quicquid in diverſis Terræ partibus figurati deprehenderint, ut Exc. Viris anſam præbeant veritatem penitius ſolidéque inveſtigandi, ſuaque illi egregia ratiocinia, ſi cum rerum Natura convenire omninò, ac per

omnia corporum istorum genera obtinere deprehendantur stabilire porrò ac tueri pleno applausu queant. Videri possint passim obstare non pauca naturæ phænomena, verum nec locus hîc est nec spatium plenius ista discutiendi constrictis intra paginæ atque Observationis angustias. Dabimus tamen hac vice Curiosis vel unicum objectum, vilem arenam, ut videant, an cum illius figura structuraque consistere Hypothesis ista ac convenire queat. Cumque plura Ducatûs Wirtembergici variæ regiones suggerant, præstabit tamen constringere sermonem, ne limites transgrediamur. Ac nescio sanè, an dicere quidquam liceat de singulari isto Corporum Canstadii decennio abhinc effossorum genere, tanta copia, tot figuris in admirationem quoscumque rapientibus; quorum tot millia plenis curribus Stutgardiam translata sunt. Innumera autem ista corpora figurata reperta sunt in loco 25. passuum Diametrum non excedente, immixta firmissimæ compactissimæque terræ, spatio illo durissimis saxis undique cincto. Unde quæso in unum istum, ut sic loquar, alveum confluxere ista omnia tam mirabili forma copiaque? quinam maris angulus exhibere ac subministrare analoga his poterit? Illi quidem facilè respondebunt, qui omnia ista vera animalium ossa appellare non dubitant, à mari non repetenda, sed è terrestrium animalium censu. Hi verò ingens sibi impositum onus sentient, si probare id teneantur, utut tam evidens prima compareat fronte; nec facilius ab animalibus terrestribus quàm à marinis ipsoque diluvio hæc arcessent. Obstat incredibilis atque ad tot millia assurgens numerus; longè tamen magis obstat ingens ac stupenda magnitudo istorum corporum, corniformium cumprimis, quorum plus quàm 60. interque illa unum undecim pedum longitudine conspicuum; Imò ipsa disparitas inter vera ossa illaque effossa deprehensa, uti maxillæ v. g. Camelorum maxillas longè superantes, illæ verò, quæ Elephantinæ habebantur, cum maxillis Elephantinis haud convenientes &c. Accedit istas omnes ossium formas à minima quantitate per gradus ad maximam usque & verè stupendam eâdem tamen figura deprehen-

sas

ſas eſſe; adeò ut vel ipſa illa, in qua reperta ſepultaque hæc fuerunt, terra mirabilibus tota ſcatuerit, non niſi per Microſcopium clare ſufficienterque obſervandis, quod ſummo cum ſtudio egit Cel. Vir, D. Joh. Schukardus, Prof. Stutg. & Ducalis Muſei Inſpector, qui, inter innumera alia ſtupenda, oſſium tam parvas quaſi atomos conſpexit, quæ vel pilo tenuiores ſuis tamen utrinque capitulis ſeu apophyſibus inſtructæ erant. Tranſeant verò hîc iſta alibi plenius enarranda, & ab aliis dudum tacta. Tranſeant alia quoque iſtarum regionum figurata foſſilia. Omnino tamen ſilere non licet Echterdingenſia quædam, marinam indolem originemque vix referentia; parvula illa ac per varios magnitudinis gradus à minimo aſcendentia Ammonis cornua, tam affabre formata apertè videntur innuere Nautilorum ſe progeniem non eſſe, qui ex parvitate, ea copia, iisque circumſtantiis per diluvii undas eò vix convehi deponique potuiſſent, multò minus integra figura omnibusque lineamentis tam egregiè exprimi. De Belemnitis quid dicam? Iſti ſanè & inſigni paſſim imò ulnari longitudine agrorum ſtrata perforantes, & per gradus minutiores, quin parvuli & exiliſſimi, conici partim, partim ventricoſiores, fuſiformes, ari piſtillum referentes, à quonam Turbinatarum Concharum genere ſuos trahant natales arduum eſt deductu. Quin & dubites, an ulla madriporæ vel milleporæ ſpecies mirabili notatos artificio Aſtrocitas vel Trochitas gignere vel exhibere potuerit? ſed quò dilabor; ſatis eſt, iſta tetigiſſe; venire nunc in rem præſentem decet; ſoliusque adhuc arenæ, quam ſupra innui injicienda eſt mentio, cujus natales ſuppoſitâ omnium figuratorum lapidum marina origine vix quisquam probabiles aſſignaverit. Eſt ſcil. propè Heidenhemium mons, ex quo Incolæ à multo retrò tempore Arenam effodiunt domeſticis uſibus maxima copia adhiberi ſolitam, quæ arena jucundiſſimum mirabilia Dei opera ſcrutantibus præbet ſpectaculum; cujus quippe majora & piſis æqualia grana primo ſtatim aſpectu conchas candicantes referunt, teneras facileque comminuendas, ſed quod mirabilius oculis accidit, grana etiam minora imò minima,

paucis, tota arenæ maſſa ex meris conſtat conchyliis, minimis, tenellis, candidis. Unde quæſo infinitæ myriadum myriades arenularum ſeu potius conchularum? non ſparſarum per montis ambitum, ſed ipſam ejus molem formantium incredibilique copia omnem imaginationem eludentium? à quibus corporum marinorum ſpeciebus talia poſſunt expectari in eam molem congeſta? ſed manum de Tabula! merentur iſta pleniorem amplamque deſcriptionem, quam dare in remotis degenti Terris nunc quidem non licet.

(*Auguſta Taurinorum d. 21. Jul. An. 1710. Auguſtam Vindelicorum miſſa.*)

OBSERVATIO CLXXVI.

DN. D. SAMUELIS SLOTZI.

De

Auri Solis calore maturatione.

IN Montanarum Tranſylvanicarum cujusdam vici tractu (de nomine nunc inquirendi non eſt occaſio) quædam terræ ſtrata, inter incolas inſtar agrorum diviſa, ad certam longo uſu annorum notam profunditatem ſingulis annis certo anni tempore foſſa, per loturam puriſſima auri grana Incolis in ſubſidium vitæ communicare dicuntur. Meſſis eſt illorum aurea, utpote nulla agrorum cultura propter montana gaudentium. Neque hi agri ipſorum ſunt continui vel contigui, ſed hinc inde ſparſi: neque ultra experientiam altius fodere eſt proficuum. Si præoccuparent præterea deſtinatum anni tempus, inanem luderent operam pro præmio laborum nihil reportaturi. Quo docemur, aliquando aurum & Solis ardore ad maturitatem perduci. Ubi ſane venerari debeo Sendivogii ingenium de centrali Sole cum cœleſti correſpondentia, in Epilogo, ſive concluſione duodecim tractatuum, in ſuperficie terræ radios radiis jungi, & inde flores & omnia produci, ſcribentis. Vel, ut clarius, quantum ad hanc materiam, ad Hypotheſim Carteſianam dicam; ſubtiliſſimos eosque puriſſimos metallicos vapores; ope centralis terræ caloris

ad

ad ſuperficiem usque corticis exterioris elevatos, & ibi frigore hyemis detentos, Solis ardore ſucceſſu temporis cooperante' in aurum eo citius maturari.

(*Vratislaviâ à Nob. D. D. Sam. Graſſio Auguſtam Vind. d. 22. Auguſt. An. 1710. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXXVII.

Dn. D. JO. MELCHIOR. VERDRIES.

De

Gravida pro mortua habita & interea temporis fœtum mortuum feliciter enitente.

FOemina quadraginta circiter annorum, molitoris cujusdam in vicinia uxor, habitus plenioris jamque partui vicina, cum p. n. quodam bibendi deſiderio ſtimulata aquam frigidam, prout illud genus hominum conſuevit, ingurgitaſſet, paulo poſt nocte quadam ex improviſo inſultibus epilepticis non unis miſerrimè divexatur, ita quidem, ut mane omnem fere ſenſuum & perceptionis uſum amitteret. Protinus ad me accedunt propinqui, & ut conſilio & auxilio miſeræ adeſſem, etiam atque etiam rogant, partus terminum, niſi jam effluxiſſet, eſſe propinquiſſimum ingeminantes. Ego cum non ſolum facies rubicundiſſima ſed & univerſus corporis habitus ſanguine prorſus diſtentus appareret, venam aperiri & interne mixturam antiſpasmodicam ex aqua Ceras. nigr. flor. til. hirund. c. caſtor. ſpecif. cephal. M. ſucc. pp. & ſimil. exhiberi curo, quibus id quidem effectum eſt, ut liberius reſpirare inciperet, oculos aperiret, & per aliquot horas melius haberet, ſed inſultus Epileptici mox recurrentes omnia in pejus mutabant, ita quidem, ut nil quidquam obſtante medicamentorum temperatorum confortantium Antiſpasmod. in- & externorum uſu circa veſperam illius diei inter manus adſtantium duarum obſtetricum placide in Domino obdormiviſſe videretur. Relinquunt igitur eandem omnes tanquam demortuam & ſtratum parant ſtramineum, cui pro more imponeretur. Interea tres fere horæ quadrantes effluxerant, cum obſtetri-

ces ad eam in ſtratum transferendam reverterentur, vix vero dici poteſt, quanto illæ ſtupore fuerint perculſæ, cum manus corpori inferentes admota candela leniſſimam adhuc reſpirationem in eo obſervarent & ſtragulis remotis fœtum mortuum, cum ingenti ſanguinis copia excluſum deprehenderent, advocatis ergo propinquis ſpeque rurſus concepta, medicamenta, quæ adhuc ad manus erant, ori infundunt, externa confortantia aliaque, quæ haberi poterant ſpirituoſa ſcrobiculo cordis & pulſibus applicant tanto cum effectu, ut reſpiratio ſenſim ſenſimq; fieret notabilior, & poſtero mane ad ſe, uti loqui ſolent, reverſa omnia rurſus perciperet & loqueretur. Statim ergo mihi quid actum ſit nuntiant, & quid porro facto opus ſit quærunt, ego continuatis Antiſpasmodicis confortantibus eam ut puerperam æquum eſt tractari curo, quo ipſo per Dei gratiam brevi cum valetudine in gratiam rediit & adhuc vivit atque valet. Hoc ſane memirum habuit, quod ipſa patiens poſtea, cum varia ex illa quærerem, certo aſſeruit, ſe quamvis plurium, quæ tum temporis acta fuerant, eſſet conſcia, nil quicquam dolorum vel ante paroxysmos, vel in paroxyſmis vel poſt eosdem & totius morbi decurſum ſenſiſſe, de vertigine tamen & capitis debilitate poſtea ſæpius conqueſta eſt.

(*Gieſſâ Auguſtam Vind. d. 18. April. Anno 1711. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXXVIII.
Dn. D. VITI RIEDLINI.
Aurum in Ventriculis Anatum repertum.

IN hoc, quod jam per bene longum temporis ſpatium in ſubdiali ædium, quæ olim Juris Conſultum ſic ſat Celebrem Gokelium poſſeſſorem habuerunt, quique primus hoc niſi obſervavit, evulgavit tamen, inquirenti mihi ſequentia innotuerunt: Poſt mortem nempe modo nominati Juris Conſulti in manus Argentoratenſis cujusdam profugi devenere, cujus uxor de hoc auro certior facta, vel hac de cauſa plures Anates aluit, ut eo

plus

plus auri colligeret; utut vero rarius anatis ventriculum aperuerit, in quo non granulum auri purum repertum fuiſſet, lucrum tamen inde factum adeo magnum non extitit: inquiſiviſſe quoque nonnullos in arenam, quæ in hoc ſubdiali reperitur, at per ignem nullum ex hac aurum elici potuiſſe; poſſedit poſtmodum has ædes Vir quidam fide digniſſimus, qui hactenus narrata narravit, & adjecit, quod & ipſe in hoc aurum per ſuas inquiſiverit, rariusque hæ quoque fruſtra hunc laborem aggreſſæ fuerint, cum ſemper fere aurum in Anatum, quas aluerit, ventriculis apertis repererint, parum tamen, cum præcipue harum Volucrium non ita multas occiderit, ſemperque ſic ſat parva exiſtant grana, quæ inveniantur; aſſervare vero ſe hoc ipſum aurum, & Curioſo præmonſtrare poſſe: Inprimis autem hic notavit, quod, cum reparandarum ædium ergo ſubdiale purgamentis Murariorum obtegeretur quaſi, per plures hebdomadas in aliquot interea exenteratis anatibus nullum plane fuerit repertum aurum; ſed illis paulatim repurgatis, nec aurum ulterius deerat, ſed aliquoties ſicut olim reperiebatur: Metalli præſtantia, eum ad quem nunc ſpectat domus, Juris Conſultum iterum præſtantiſſimum, ut in illud in Anatum interioribus itidem indagare juſſerit, permovit; nec fruſtra hoc hactenus fuit factum, dum vix Ventriculus aperitur, in quo non auri quid reperiretur, quod ſervat, & cuivis deſideranti ſpectandum facile præbebit: Aderat cum hæc narrarentur Stuttgardianus quidam; qui referebat, Stuttgardiæ ſæpiuscule aurum in Anſerum ventriculis inveniri, hincque vel pauperiores eos emere, interdumque tantum auri eruere, ut ejus pretio novum comparare poſſint: in quam rem Medici ibi Curioſiſſimi inquirent: Menſtruum forſan in Anatum ventriculis latitat, auro, quod igne ex arena elici non potuit, evocando idoneum, in quod illi, quorum intereſt & quibus vacat, indagabunt.

(*Ulmâ Auguſtam Vindel. d. 11. Martii Anno 1711. miſſa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CLXXIX.

Dn. D. MICH. BERNHARDI VALENTINI

De

Terra ſigillata Brachmanum.

QUamvis *Ulyſſes Aldrovandus* in *Muſeo Metallico* uberrimam Terrarum ſigillatarum meſſem offerat, pluresque adhuc in peculiari (quem meditatur) tractatu propediem additurus & in figuris æneis (quarum XVI. jamdum folia compleverit) ob oculos poſiturus ſit Celeberrimus *Rivinus*, Prof. P. Lipſienſis, utrobique tamen rariſſimam, quam ex Indiâ Orientali obtinui, ſpeciem obſervare non potui: Adeoque curioſo harum rerum æſtimatori non ingratum erit, ſi pauciſſimis eandem deſcripſero.

Fuſca autem eſt, ad inſtar terræ ſigillatæ Laubacenſis, ex orbiculis ſeu placentulis etiam rotundis conſtans, quæ tamen hoc præ aliis ſingulare habent, quod non tam in ſuperiori vel inferiori aut utraque ſuperficie, ut reliquæ, ſit ſignata, ſed in margine tantum, eâ ratione, ut thaleri Gallorum aut Anglorum coronati (Crown vulgò dicti) circumſcriptionem quandam marginalem præ ſe ferunt, ut è *Fig.* hic adjecta videri licet.

Utuntur autem illa Brachmanes Indorum, ad ſuperſtitionem magis & idololatriam, quam ad faciendam medicinam: utut nullus dubitem hanc iisdem, queis officinalis gaudet, virtutibus pollere, cùm æquè pingvis ſit & linguæ tenaciter adhæreat.

Brachmanes ſc. antedicti idolis ſuis ſacrificia facturi certa ſigilla, illis, quibus Bibliopegi literas majores aut ornamenta aurea libris imprimunt, haud diſſimilia terra hâc imbuere ſuisq; frontibus imprimere ſolent, qualia ſimul mihi oſtendebat Amicus, qui ex India modò redux ejus me participem reddebat.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXX.
DN. D. SAMUELIS GRASSII.
Anatome pueri rachitide defuncti.

IN sectione rachitici pueri trium annorum sequentia observavi: Intra integumenta abdominis pleraque interstitia scirrhosa, ulcerosaque inveniebantur. Hepar erat prægrande; in dextro latere per abscessum ad mesenterium transeuntem, omnia intestina infestantem cum scirrhescentia & exulceratione undiquaque contorsum, ut neutiquam distincta intestina conspici & distingui potuerint, circa intestinum rectum maxima induratio sive tumor scirrhosus trium digitorum amplitudine observabatur. Renes erant integri, & more hujus ætatis satis magni, in dextro inguine inveniebatur relaxatio annulorum peritonæi, ob convoluta verò & purulenta scirrhosa intestina prolapsus in scrotum non observabatur, bene verò per digitum hiatus percipiebatur. Lien erat magnæ & optimæ constitutionis, Ventriculus flaccidus & enervus. Dexter lobus pulmonis erat taliter qualiter constitutus, in thymo tamen dextri lateris abscessus scirrhosus, nucis juglandis viridis magnitudine conspiciebatur, sinister verò pulmonis lobus totus quantus scirrhosus erat, & pleuræ in superiori parte annatus. Cor cum pericardio optimæ erat notæ. In cerebri ventriculis copiosa inveniebatur lympha.

Ex hisce concludo in rachitico-hypochondriacis infantibus hepatis conformationem nimiam in culpa esse; quia

1. Hepar maximum lymphæ colatorium est.

2. Ob hepatis nimium augmentum, cæteris partibus idem adimitur, hinc flaccescunt musculosæ partes, & abdomen attollitur.

3. Hinc propter lymphæ defectum in mesenterio, ejusdemque glandulis restitans chylus varices, obstructiones, flatus & intumescentiam abdominis causatur.

4. Ob lymphæ in musculosas partes denegatam distributionem, eadem in capite cumulatur, caputque grandiorem

nanciſcitur figuram, lympha verò nutrix largiori per nervos & vaſa lymphatica influxu præcox oſſibus per medullam infert nutrimentum, ut non mirum, quòd propter minùs nutritos tendines & muſculos oſſa abundanter creſcant, incurventur, & ramorum inſtar exoſtoſes protrudant.

(*Fratislaviâ Auguſtam Vind. d. 4. Julii An. 1711. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXXXI.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Hydrope ſanato.

ARtificem quendam noſtrum hydropicum, ætatis 44. annorum curandum habui, cui venter in tantam excreverat molem, ut indies rupturu videretur, & æger pro deplorato haberetur; qui tamen, Deo adjuvante, ſolo diureticorum uſu à me ſanatus fuit; ſumebat enim quotidie libram unam aquæ ononidis cum ℈j Spiritus Salis dulcis, inde aquam Villenſem cum ſucco limonum; & ſic apertis urinæ viis, profuſa per veſicam incredibili lymphæ copia, convaluit. Aliusque Medicus, fide dignus, amicus meus, retulit, ſe puellam aſciticam curaſſe ope ſucci herbæ cochleariæ ad unciam unam, quovis mane exhibiti, jejuno ſtomacho, cui additæ fuerunt guttæ novem Spiritus chalcanthi, unde copioſæ urinæ redditæ ſunt. Similem caſum etiam notavi in Miſc. cur. dec. 3. ann. 4. obſ. 74.

OBSERVATIO CLXXXII.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De
Subita morte ex percuſſione regionis ventriculi.

PErcuſſam cum impetu ſtomachi regionem mortem ſubitaneam inferre, docet D. Dominicus Miſtichellus in ſuo tractatu de apoplexia lib. 1. cap. 6. quod Anno 1709 verificatum notavi in adoleſcente filio cujusdam militis noſtri, qui poſtquam

in

in terram procidit, atque ſtomachi regionem ſuper ſaxum magna violentia percuſſit, ſtatim mortuus eſt.

OBSERVATIO CLXXXIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Vi admiranda digeſtionis in quodam bajulo.

FErmentum ventriculi digeſtivum miram vim habere oſtendit Ill. D. Anton. Vallisnerius, Prof. P. Patavinus in eruditiſſimo ſuo opere de corporis humani vermibus pag. 20. Liceat mihi notare, quod in bajulo quodam obſervavi. Hic annorum ætatis 39. robuſti temperamenti, carnes & piſces licet crudos ſine nauſea comedebat, ova cum teſtis ſuis, vitrum, carbones, funes, corium, oſſa animalium, fracta tamen prius malleo, fœnum, herbas quascunque crudas, & ligna. Aſt elapſa hebdomada audivi à Rev. Sacerdote, ipſum poſt comeſtionem non exiguæ quantitatis calcis domi ſuæ, ſupra montes Veronenſes poſitæ, ex dolore iliaco mortuum eſſe.

(*Ferraria Auguſtam Vind. d. 24. Sept. Anno 1711. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXXXIV.

Dn. D. LEONHARDI HURTERI.

De

Hydrope tympanite.

PUer octo annorum, bona indole præditus, vultu lurido, habitu corporis gracili, jam à quatuor annis ſucceſſive in eum incidebat affectum, quem hydropem tympaniam vocabat Antiquitas. Abdomen diſtendebatur, & rugitu obmurmurans multa flatuum indicia exhibuit, ſic ut omnes Medici eousque pro illius ſalute ſolliciti præſagirent, fore ut tympaniticus periret, nec de nihilo eorum ſententia fuit. Interea puer ejusque parentes hunc morbum eousque haud tanti momenti æſtima-

bant atque periculi. Assumens indies avide cibum potumque, etiam de nocte bene dormiebat, & de die more puerorum hic illuc circumcurrebat, omnesque corporis actiones adhuc quoquomodo naturaliter constitutæ videbantur; nisi quod flatus copiosè redderet. Ab aliquibus septimanis, ut è parentibus audivi, symptomata indies sese exaugere cœperunt, & aviditas cibi potusque sic diminui, ut ne minimum ventriculus perferret, sitis eum valde vexabat, nec minus alvi segnities, noctes etiam fiebant insomnes, & jam superiora summa macies obsidebat. Octavo die antequam fatis cessit æger, vocabar. Veniens in deplorato statu eum inveni, & præter dicta symptomata scrobiculus cordis admodum dolebat, abdomen erat valde distentum, & de umbilici regione magnas movebat querelas, metuens, ne dehiscceret. Hypochondrium dextrum erat etiam valde durum atque infarctum simulque dolens, respiratio difficilis, urina pauca & lixivii colore tincta, pulsus subdurus atque celer, pedesque ad extremum intumescebant. His ærumnis subtrahere studui; sed frustra; siquidem omne medicamentorum genus respueret. Inter has calamitates octavo die, ex quo eum frequentavi, animam expiravit & Creatori suo reddidit.

Dissecto cadavere integumenta abdominis communia cum ejusdem musculis sic extenuata inveni, ut crassitie cultri dorsum vix adæquarent, omentum totum erat consumtum atque emaciatum, intestina præcipue crassa sic erant distenta atque inflata, ut credidisses, impossibile fuisse, ne dehiscerent. Scitu cupidus quid monstri alerent, illico aperui, & ecce, materia ex albo flavescens, pultiformis, spumescens, levis, & odoris expers sese in conspectum præbuit, & in intestino colo tanta ejus erat moles, ut ea parte, qua hepar vergit, istoc è situ ejus naturali fuerit depulsum, & versus sinistrum hypochondrium dislocatum, quod quidem propter ventriculum plane exinanitum & ad intestini exiguitatem redactum eò facilius etiam fieri potuit. Credo, quod etiam illa epatis dislocatio diri doloris circa scrobiculum cordis & umbilici regionem extiterit causa & hoc

eò

cò magis propter ligamenta ſumme tenſa atque elongata, quibus mediantibus his partibus connectitur. Quoad ſubſtantiam erat durum, pallidum & ſcirrhescens. Pancreatis glandulæ ſolito majores, infarctæ & duriusculæ obſervabantur. Veſicula fellea bile nigricante erat adimpleta, & ductus choledochus obſtructus. Lien etiam erat nimis palleſcens. In abdominis ſinu aquæ extravaſatæ circiter ℔ij continebantur. Meſenterium cum ſuis glandulis quantum videre licebat, naturaliter erat conſtitutum. In thoracis cavo nil memorabile occurrit, niſi quod lobus pulmonum ſiniſter pleuræ fuerat adnatus. Cætera ſatis ſana & illæſa fuerunt.

(*Scaphuſio Auguſtam Vind. d. 8. Oct. Anno 1711. miſſa.*)

OBSERVATIO CLXXXV.

DN. D. JO. JACOBI SCHEVCHZERI.

Hiſtoria Fulminis d. 23. Maji An. 1710.

DIgniſſimus memoratu eſt, ſi quis, *Fulminis* ictus, qui die 23. Maji, inter horam 2. & 3. pomeridianas feriit ædem *Dn. Ludovici Eſcheri*, im *Bleikerweg*, humili loco, ejusdem ferè cum lacu ipſo Tigurino Horizontis, ſitam, vix ſclopeti jactu ab urbe diſtantem; Digniſſimus, inquam, qui in omnibus ſuis circumſtantiis deſcribatur, adeo enim multiplices, iique mirandi, ſunt effectus, adeo violenta ſimul, & perniciſſimæ velocitatis cauſa, adeo ſapiens ſimul & potens eſt Dei κεραυνοφόρε Pyrotechnia, ut non mirum, ſi ob ſubtilitatem ſuam effugiat mentis etiam perſpicaciſſimæ aciem, ob variam multitudinem, & multiplicem varietatem confundat & obtundat. Dabitur tamen, ſi non integrum formare de Fulmine ſyſtema, quod nonniſi ex obſervationibus innumeris, probe penſitatis & collatis conſtrui poteſt, conferre aliquid ad inquirendam mirandi Ignis fulminei naturam.

Dies fuit antè meridiem ſerenus, calidus, variabant venti à N. O. ad W. Barometri altitudo, quod mirum, eadem fuit, quæ binis diebus præcedentibus, conſtans 26. digg. Par. 5. lin.

Surgebat altius Thermometrum ab hora 8. ad 12. id quod communiter etiam fieri solet, increscente versus meridiem diurno calore. Circa secundam pomeridianam obduci cœpit cœlum nubibus, non iis tamen adeo atris ac densis, quæ alias tempestatum gravium tristia solent esse præsagia, non fortes spirabant venti, levia eaque pauca, audiebantur murmura, & subito, nemine vel prævidente vel præsagiente, vibratur fulmen terrificum adeo, quoad fragorem; ut in tota fere urbe quivis vel propriam domum, vel vicinam ictam autumaverit. Ego quoque tunc temporis Badam iter tentaturus, hora ab urbe, infra pagum Hôngg, fragorem percepi, ut haud longe à me rupti glomeris fulminei, sine vento vel pluvia. Vidi tamen urbi & *περιχώρῳ* imminentes densa albedine splendentes nubes, in imbrem sese exonerantes.

Notatu imprimis digni sunt primi fulminis motus: Fuit ancilla Dn. Escheri in prato ad meridiem domus versus Lacum sito, viditque globum ignitum semipedalis circiter diametri moveri horizontaliter per imam aëris regionem, 12. vix pedibus à terra & haud procul à se, ut caput corpusque ipsum curvaverit præ metu illabentis ictus. Audiebat simul susurrum ingentem. Præteriit autem ipsam illæsam tremendus ignis, vires experturus in Arbore satis frondosa, ad quam directa fere linea à meridie versus septentrionem tendit. Hic subingressus corticem, statim supra radices, eum deglubit, latitudine fere 6. vel 8. pollicum, tunc autem ulterius serpens ignis juxta ramorum diversorum longitudinem ad extremam usque arborem decorticationem effecit digitalem passim, alibi etiam bipollicarem, sine tamen ullo flammæ indicio per nigrorem sese manifestante, ut instrumentis ferreis ad ligneam usque arboris substantiam decorticationem factam diceres.

Arborem ubi reliquit fulmen, ab ipsa arbore, quam oblique feriit, dirigebatur versus occasum, ad ipsam Dn. Escheri domum, & quidem angulum orientalem plateæ proximum.

Ante autem, quam domui ipsi ullum fuit damnum illatum,

tum, mirabilem ſenſit effectum ipſum ſilicibus ſtratum pavimentum, quod domui periobli loco eſt. Hujus quippe pars muro proxima fuit ad pedis latitudinem, & 8. circiter pedum longitudinem inverſa veluti, ſilices rurſum moti, & in ſitu irregulari relicti, veluti ſi ab igni non ſufficienti pyrii pulveris accenſi, terra incumbens fuiſſet duntaxat percuſſa, & ſummota, non verò in altum extruſa. Attribuendus eſt autem haud dubie hic effectus ſubingreſſo intro ipſius terræ poros Igni fulmineo, cui inſinuationi percommodam dedit occaſionem ſitus ipſius pavimenti, prato vicino paulo elevatior, & canalis concavus ibi loci aquas excrementitias abducens. Ab hoc canali horizontali viam quæſivit fulmen ſurſum, per canalem plumbeum perpendiculari ſitu aquas ex culina demittentem, cujus diameter eſt incirca 5. digitorum. Hunc tubum non illæſum, nec totum pertranſiit amplius ſpatium quærens ignis, 6. pedum circiter altitudine à terra diſrupta fuit prima partium tubi junctura. Nil interim paſſa fuit detrimenti janua ex abietino aſſere lignea, quæ eum in finem clauſa fuit, ut tubus ab injuriis externis defenderetur, nec viſui ſtatim exponeretur. Acta ſunt, quæ hactenus recenſui, in pariete ædis externo orientali, ejusque angulo ſeptentrionaliori. Poſtquam è tubo plumbeo evaſit fulmen, præteriit angulum ædis illæſum, petiturum faciem ædis Septentrioni expoſitam. Hic quid peractum fuerit, nunc recenſendum ſequitur. In prima eaque ſola contignatione Septentrionem verſus ſita eſt culina & cœnaculum, & meridiem verſus hypocauſtum cum duobus cubiculis. Præter culinam, quæ orientalior eſt, tranſiit quidem fulmen, ad tecti contignationem domum ingreſſurum, ſuos tamen exeruit in culina & cœnaculo effectus. In culina ſtabat haud procul à feneſtris juxta ancillam hera; feneſtræ ab Ignis tranſeuntis veloci vehementia fuere diſruptæ, plumbum, quod jungit orbes vitreos, non tantum diffractum, ſed in minutiſſimas particellas fuſum, quæ in parietes culinæ ac heræ veſtes excuſſæ, infixæ ligno, muro, veſtibus laneis hærent. Hera attonita, præſentis tamen animi, Igne ſe circumfuſam, teſtatur,

ſterit

stetit nihilominus erecto corpore, nec, quod mirum, ullam passa respirationis difficultatem, sed aliquantillum Ignis, faciem prætereuntis, sensit in cute & palpebris rubore calenti tinctis indicium, auribus autem susurrum vehementem, juxta stans ancilla obsurduit per aliquot dies, optimè tamen liberata ab hoc malo, redeuntibus distensis nimium ad pristinam Elasticitatem tympani fibris. Hæc sunt, quæ in culina fuere peracta. In cœnaculo adjacente, cujus janua culinari januæ è diametro posita fuit, ut hæc ipsa aperta, triplex observatum fulminis indicium: Denigratio in unico orbe vitreo, (omnes autem fenestræ cum suis orbibus hic mansere integræ.) Subscus lignea in tabulato fenestra superiori discissa per medium, & infra fenestram murus læsus, ejusque arenatum vi summa in aulam vicinam atq; januam excussum, ut hæ prorsus ab illo fuerint conspersæ. Videtur autem, quantum judicare licet, tenuis fulminis ramus culinam transiisse, & cœnaculum ingressus, hos effectus exercuisse.

Nunc redeo ad ipsam primariam fulminis pene integri viam. Assiliit id supremam muri partem, cui tectum incumbit, trabes ad 5. pedum circiter peripheriam diffregit, tegulas 150. sublevavit, atque dejecit, Cantherium semipedalis diametri horizontali situ per tecti trabeationem locatum veluti per demorsionem in frusta secundum vibrarum dilaceravit, asseres superiores tabulati disrupit, omnia sine denigrationis nota, & sic transiit in turriculam meridionalem domus, postquam in septentrionali turricula asseres quosdam externos dirupit. Intra hanc turriculam meridionalem in parvi conclavis rotundi fere forma clausam, parietes muro passim fuere denudati, asseres confracti, fenestræ disruptæ, & veluti convolutæ, plumbo non liquefacto, picturæ muri lateritii particellis contaminatæ, tabulis lateralibus solutæ, in terram prostratæ, pallium holosericeum foraminibus aliquot, ab asserum fractorum volantibus, ut videtur, particulis, perforatum. Tecti, quod turriculam operit, ambitus canalis fuit, è ferreo laminari candido formatus, & cantherio per vincula ferrea fortiter alligatus, ad pluviam colligendam & deri-

vandam : hic autem canalis fuit circumcirca ſolutus à fulminis violentia, & una cum ferreis vinculis in terram proſtratus. Ex turricula hac poſtquam emerſit fulmineus ignis, deſcendit rurſus ad conclavia meridionalia. In hypocauſto, quod orientalius eſt, diffractæ fuêre quædam feneſtræ, cylindrica tendicula ferrea 5. circiter lineas craſſa, in medio veluti diſciſſa, aulæo, quod inde pendebat, laneo illæſo, ampullæ vitreæ menſuræ communis capaces tres in capſa reconditæ, in fruſta diffractæ, nil ſentiente damni infantulo bienni, qui ſellæ inſidebat, alio puero ſexenni, qui poſti hypocauſti inſidebat, humi proſtrato, ſine alio damno. In hypocauſti muro exteriore excutiebatur materia cæmentitia cum denigrationis nota in trabe denudata conſpicua ; replebatur interim hypocauſtum fumo. In cubili proximo etiam meridionali maximam iterum exeruit vim fulmineus glomer, feneſtræ fuêre diffractæ, plumbum, quod orbes jungit vitreos, ad parietes excuſſum , uti occaſione culinæ ſupra quoque indicavi, trabes aliquæ cum muro dilaceratæ, vincula ferrea, ſive tendiculæ, quæ feneſtras firmant, inflexa, & veluti convoluta, aulæa lanea, quibus feneſtræ ornabantur , viridis coloris, in plurima fruſta partim dilacerata, partim combuſta, remanente per aliquot dies forti odore ſulphureo, & maculis nigris, nil interim damni ſentiente lecto è plumis molliſſimo, neque ejus velis. Digniſſimum verò eſt memoratu, quod *αὐτόπτης* teſtatur Herus ; ingreditur is liberos ſuos liberaturus, conclave hoc, videtque nubem albam ſesquipedalem circiter in ſummo fumidam, lento ſatis motu per pavimentum promotam, qua viſa retrogreditur ex conclavi, periculum evaſurus , & alia neceſſaria auxilia ſuæ familiæ præſtiturus. Cubili huic adjacet aliud adhuc, in quo decumbebant infantes duo, hoc autem per ſingularem DEI Tutoris gratiam immune ab inſultibus fulmineis perſtitit. Evaſit namque, & tremendo quidem tum impetu, tum effectu , fulmen per infimum medii parietis in conclavi angulum, ubi dirupit murum, diffregit trabem, & ſitu ſuo emovit poſtem ſaxeum ferrea craticula forti aliis lateralibus & imæ connexum, nec duntaxat emo-

emovit è situ, sed per medium diffregit. Hic in binos dispartiebatur ramos fulmen, quorum uterque muros in superficie denudavit, siniſter verò murum ipsum terebravit, atque juxta postem januæ domus posticæ meridionalis ingressus januam, ipsam ex parte dilaceravit, sine tamen ignis ulla nota; dexter verò januam alius conclavis perforans, fragmentum ligneum plusquam pedale in oppositum parietem - - pedibus distantem veluti sagittam excussit, ut hoc craticulæ ferreæ infixum manserit. In hoc dein conclavi fuêre lapides quidam pavimenti lateritii excussi, & murus parietis in uno loco denudatus. Cæterum per bina hæc ultima conclavia egressus ignis fulmineus, ultimos, eos tamen exigui momenti, effectus exercuit, tum in sepimento horti ex ligneis bacillis craticulato, quos ab invicem dimovit, tum in Leucojo luteo hortensi, cujus petala permulta in terram dejecit, reliquo plantæ corpore manente salvo.

Ex hac Historia patent

1. Effectus fulminis in objecta varia. Terra cum silicibus ei infixis succutitur, lapides lateritii seu cocti sedibus suis excutiuntur. Saxa muris firmiter impacta loco moventur, & in medio franguntur. Arenatum è muris decutitur, & aliquot abhinc passibus in minimis resolutum partes parietibus aspergitur. Muri ipsi terebrantur. Plumbum hic diffinditur saltem, alibi liquatur, & in minimas solutum particulas in proximos parietes excutitur. Tegulæ tectis dejiciuntur. Summoventur & finduntur asseres. Trabes ligneæ veluti demordentur in fibrosas partes exiguas. Fragmenta sagittarum adinstar longe excutiuntur. Ferrei cylindri dissecantur. Franguntur vitra, tum in ampullis, tum in orbibus. Homines manent in medio ferè igne fumoque illæsi, alii per aliquot dies surdastri. Aulæa alia manent illibata, alia partim scinduntur in frusta, partim verò uruntur. Manent hic ibi maculæ nigræ ignis indices, & tamen nihil accenditur. Lecti ipsi cum suis aulæis manent ab igne intacti, & eo quidem in cubili, quo summam exercuit potentiam fulmen. Sclope-

tum

tum ibidem pulvere pyrio oneratum, nil cepit de igne fulmineo. Nec ipsa domus, quod quis facile præsumsisset, incendio periit, utut tota ferè domus fumo repleta fuerit, animadvertentibus id viris, qui statim à fulminis ictu domum intrarunt, suppetias laturi, & vicinis ipsis.

2. Unum idemque fulmen levi occasione dirimi in partes, veluti tot ramos. Unus idemque glomer fulmineus sese dispertiit in diversos arboris ramos, unde vel rursus collecti Ignes hi dispersi in unum, vel unica magni glomeris fulminei portio feriit domum, & in ipsa hac domo, quod manifestum satis fit ex circumstantiis, sese divisit in partes.

3. Videtur verò satis simile, ex progressu fulminis circum circa ædes, & in iis, provolvi id motu vel spirali vorticoso, vel undulabundo, vel composito ex circulari & recto, rotæ adinstar, & facilius quidem promoveri juxta ductum partium solidarum ligni vel muri, quam in medio aëris fluido; aliquando etiam rotari posse circa proprium centrum; ita autem explicari potest tardus ille nubeculæ in cubili motus, nisi per eam intelligere quis velit fumum ex fulmineo igne collectum.

4. Fulmen centrum suæ gravitatis & virium non habere in linea media directionis flammæ, quandoquidem levi occursu corporum detorqueatur à linea motus. Ex pyrotechnia artificiali huc trahi & comparari possunt jacula ignita, virga directrice destituta, quæ vulgo Schwermer vocantur.

5. Unum & idem fulmen posse esse & *terebrans*, *discutiens* & *urens*, ut non tam dici possint fulminis diversæ species, quam variæ à potiori effectu denominationes. Hoc ipsum enim fulmen hic fuit terebrans, alibi discutiens, & alibi urens. Ita haud male Homerus idem numero fulmen, quo navis Ulyssis fuit icta, & deperdita, modo ἀργήτα κεραυνὸν vocat Odyss. ψ modo ηολόεντα κεραυνόν. Odyss. ψ.

6. Videtur verò quam maxime simile, exerere vires suas fulmen imprimis velocitate summa, & tali, cui solidissima quævis resistendo non sunt paria. Velocitati huic summæ attribuen-

dos puto effectus, tum noxios, tum innoxios. Noxios rerum, quæ damna à fulmine patiuntur; Innoxios hominum, qui illæsi manent, ut citius transeat tenuissimus hic cum aëre maxime rarefacto ignis, quam suffocatio contingere queat, & respiratio una cum circulatione sufflaminari; terebrationes mirandas, expulsiones saxorum è suis postibus &c. nec desunt exempla, quæ rem illustrent. Ambustiones cutis, quas sæpe patiuntur milites à prætervolante corpus, id tamen non tangente globo vel tormentario, vel bombardæ; fusiones vitri à flamma in coni apicem collecta, quibus utuntur vitrarii, les emailleurs; effectus pulveris fulminantis, qui ex nitro, sulphure & sale Tartari constat; fusio chalybis cum sulphure vivo pro confectione Croci Martis.

7. Adscribi non posse effectus supra enarratos, imo ne forte unum quidem ex tot diversis lapidi alicui fulminari, quem in somno potius, quam in natura, vidit credula nimis Antiquitas.

OBSERVATIO CLXXXVI.

Dn. D. LUCÆ SCHRöCKII.

Dysuriæ causa rara.

MAtrona 57. annorum, per integrum annum valetudinaria, præter alia symptomata, doloribus in pube & abdomine, dextrum inprimis hypochondrium, ubi tumor durus, indolens, capitis infantilis magnitudine tactui obversabatur, occupantibus infestabatur; omnium verò molestissimum erat dysuria, cum tenesmo, alvi difficultate, fluoreque albo, interdum sanguini permixto, urina verò quasi lactea existente. Post varia in vanum adhibita remedia, quibus calculo potissimum medela quærebatur, meum etiam consilium in principio Anni 1708. expetiit, qui, præmisso de incerto curæ successu prognostico, de calculi præsentia dubitans, & præter mesenterii tumorem scirrhosum, circa vesicam etiam tale quid latere judicans, temperantibus & absorbentibus internis, externis etiam resolventibus dolores demulcere laboravi, & propinata idcirco primo magnesia alba, leviculas in-

du-

ducias impetravi, urina etiam clara inde effluente, quæ vero poſt aliquod temporis ſpatium priorem faciem reinduit, quin turbida dein fœtidaque evaſit, & talis ad finem usque vitæ perſtitit. Marte dein, tum in ſubtiliſſimam ſcobem limato, tum in tenuem crocum cum aqua corroſo, tumentes glandulas reſtituere, quod in aliquibus aliis bene ceſſiſſe expertus fueram, aliquandiu, ſed fruſtra tentavi. Tandem anodyno pulvere, ſæpius exhibito, dolorum vehementiæ obviam itum, qui licet ſomnum non induceret, ſemper tamen aliquot horarum inducias à doloribus conciliavit; usque dum ægra penitus emaciata in fine Menſis Julii vivorum numero eximeretur. In cujus cadavere aperto nihil præternaturale inventum fuit, præter tumorem in dextro hypochondrio ſcirrhoſum, inteſtino ileo & colo arctiſſime adhærentem, ſimilemque alium, qui totam fere pelvim occupaverat, atque veſicæ fundo penitus adnatus fuerat, ſpithamæ latitudine & quatuor digitorum altitudine, duorumque fere craſſitie conſpicuus, ſenſim vero in utraque extremitate anguſtior redditus. Hunc comprimendo veſicam, atque ob ſalſas ſtagnantis in eo lymphæ particulas eandem lancinando, doloroſam illam urinæ excretionem produxiſſe arbitror.

OBSERVATIO CLXXXVII.

DN. LIC. JOH. SAMUEL. CARL,

De

Triplicis Cinnabaris Convenientia.

NUm inter triplicem *Cinnabarim*, *nativam*, *antimonialem*, & *factitiam vulgarem* intercedat quædam differentia: non diſputatur amplius, utpote apud plures dubium nullum eſt, *antimonialem* omnibus aliis præcellere. Multi factitiam vulgarem ad uſum internum penitùs inutilem eſſe ducunt, imò non niſi cum ſummo periculo adhibendam. Perſuaſio hæc multorum animos occupat, licet nuſpiam ratio probabilis vel à priore vel à poſteriore inveniri queat. Paratur ita antimonialis multo labo-

re, multoquè ſumptu, præſertim ſub fundamenti proceſsûs negleƈtu aut inſcitiâ, ut pauperiores in largiore ac iteratâ doſi eam (prout in aliis paſſibus contingit) admittere, durius ducant opus. Quod ſi verò demonſtratio detur, omnem Cinnabarim conſtare è mercurio vivo & ſulphure communi, illo ad ſex partes cum hujus unâ commixtis & ſublimatione unitis: diſparebit omne diſcrimen, præſertim cum nec inter mercurium, nec inter ſulphur, numero differentia ſpecifica, aut gradualis diſcretio agnoſcatur. Illorum ſententia ſuo ſtabit talo, qui omnia naturæ mixta teneriora, ſubtiliora, perfeƈtiora eſſe adſerunt, quàm artis imitationes in eodem genere; unde cinnabari nativæ ſuam prærogativam non denegandam. Manebimus ſaltim in duplicis Cinnabaris artificialis identitate indicandâ.

Demonſtrationem à poſteriore format dicta analyſis, quæ facilè deprehendi poterit, ſi quamvis Cinnabarim cum limaturâ martis, aut cum regulo antimonii quis miſceat, & per retortam igne arenæ in præpoſitam excipulo aquam propellat mercurium. Sulphur enim promptiùs cætera metalla arripit, & unionem mercurii deſerit, prout diverſa hæc Sulphuris habilitas ad arripiendum, ſolvendum, imbibendum metalla è chymicis rudimentis patet, ut Sulphur promptiſſimè quidem & in largiſſimâ quantitate (pars 1. Sulphuris partes 6. mercurii) imbibat mercurium, imò ſolâ tritoriâ ac liquefaƈtoriâ combinatione uniatur, at intimiùs ac firmiùs cum regulo antimonii coaleſcat, & mercurii conſortium rurſus deſerat; imò cum argento, ſtanno adhuc arƈtius coëat, & regulum dimittat, cum cupro iterum firmius, ut argentum, ſtannum ita ad fundum ſub fuſione præcipitetur, cum ferro magis adhuc, ut inde cuprum præcipitetur. Qui diverſi gradus in habitu ſulphuris ad ſolvendum metalla facilè imitatione experimentali deprehendi poſſet, ſi Cinnabaris vulgaris cum regulo antimonii reducetur igne retortæ ac arenæ in mercurium; caput mortuum, ſeu reſiduum ex ſulphure Cinnabaris & regulo in antimonium verum regeneratum, cum lunâ fundatur & à regulo ſeparetur; poſt mixtura ſcorialis cum venere fundatur, itaque

que luna iterum ſub formâ reguli ad fundum ſecedat; tum ſcoriæ, quæ ſunt mixtura ſulphuris & veneris, cum limatura martis fundendo tractentur, ita cuprum iterum liberabitur. Sed ne longius digrediar in hæc: puto ex analyſi apodixin claram eſſe, Cinnabarim omnem in ſe nil niſi mercurium ſulphurque commune continere.

Syntheſis idem manifeſtat: Sic Cinnabaris vulgaris æquè conſtat mercurio & ſulphure, ac antimonialis, & hæc æque ac illa. In antimoniali enim mercurius vivus è ſublimato cum ſulphure coaluiſſe, & ſublimati ſalino-acidam ſubſtantiam cum regulo, eumque ſolvendo abſtuliſſe pharmacopœis notum. Superſtitio ſolùm hæret in illâ opinione de aureâ indole ſulphuris antimonialis, quæ ſi foret, præcellentiam à priore Cinnabaris hæc reportaret. At nullam eſſe differentiam hujus ſulphuris in antimonio hærentis præ ſulphure vulgari, monſtrat imitatio artificialis antimonii ex regulo antimonii & ſulphure communi mixto & fuſo. Prodit inde antimonium ſpecie idem, quale eſt natívum vulgare, ut omnia cætera antimonii producta, experimenta ac phænomena cum hoc tentare liceat. Nulla itaque prærogativa medica expectanda, ut tanto labore tantoque ſumptu ex antimonio & mercurio ſublimato Cinnabarim proliciamus. Cum enim mercurii ſublimati (uti modo fundamentum tactum) ſpiritus ſalis communis inhærens regulum antimonii ſolvat & ſub butyroſâ conſiſtentiâ abſtrahat: nil aliud remanet, quàm mercurius vivus ex ſublimato, & ſulphur commune ex antimonio. In procedendi verò methodo illa ſubeſt difficultas, quâ ex antimonii & ſublimati æquali miſcela rarò purior Cinnabaris impetretur, ſed abundantia ſulphuris cinnabarim obſcuram & impuram reddat, ut ejus paucitatem taceam; unde rectius triplum vel quadruplum ſublimati ad unam antimonii adſumitur: ut taceam, quod rectificatio iterata multum temporis, laboris, ſumptus perdat.

Ex quâ improportionati ponderis ratione illa obſervatio pendet, quâ alii ad Cinnabaris uberiorem proventum impetrandum,

dum, post primam Cinnabaris sublimationem, substantiam residuam, quæ nil aliud est, quàm purum antimonium, iterum cum anatica portione mercurii sublimati subtiliter terendo miscent, totamquê operationem ad butyri ac Cinnabaris productionem de novo subornant. Exit ita rursus bona pars Cinnabaris, quæ cum priore, primæ scilicet sublimationis, miscetur & rectificatur iterum atquè iterum. Ad rectificationem adjuvandam addi potest portio ossium vel C. C. usti ac calcinati, pulverisati. Ita enim hujus calcaria absorbendi facultas superfluum Sulphur imbibit, ut Cinnabaris magis tenera, crystallina, rubicunda evadat. Operatio ut in retortâ & capella instituatur, ob carbonum dispendium, difficilioremque elevationem, opus non est; sed quadrat cucurbitula crucibulo arenâ impleto indita & igni aperto imposita. Sic breviore tempore minoreque sumptu cinnabaris sublimatur ac rectificatur. Potest tamen & hoc compendium angustius reddi, si ad partem unam Antimonii sumantur partes 2. 3. mercurii sublimati, mixtura pro sublimati delinquescente humectatione in cellam reponatur, postmodùm retortâ arenæ impositâ, lento igne butyrum educatur, residuum pariter igne intenso ad cinnabaris eductionem urgeatur, vel cucurbitulæ inclusum in crucibulo igni aperto committatur. Sic intra 2. 3. horas ascendit cinnabaris, quæ, si adhuc obscurior, sive per se sive cum additamento dicto calcario rectificari poterit. Sed hæc & similia è physico rationali fundamento petita compendia nihilominùs sine evidente necessitate ac utilitate tædiosum involvunt laborem, multo minùs tantam excellentiam præ vulgari cinnabari antimoniali conciliant.

Nil ergò obstat, quò minus Cinnabaris vulgaris præparari & adhiberi possit, cum breviore tempore, minore labore, faciliore successu conficiatur. Sume sulphur commune vel stillatilium, tere in mortario lapideo, admisce triturando mercurii vivi tantundem, liquefac in cochleari ferreo, agita spatula lignea, ut super igne commixtio probè fiat. Materia nigra si abeat in globulos, pulverisetur & in cochleari iterum lento igne ustu-

letur,

letur, ut abundans ſulphur diſſipetur. Quodſi materia vapores ſulphureos ſpargere deſiſtat, tùm inde cucurbitulæ & hanc crucibulo arenæ imponendo, tùm igne forti ſublimationem ad 2. 3. horas urge. Sublimata inde Cinnabaris ſi pulveriſetur, iterumque atque iterum rectificetur : tanto magis virtutem ejus acui multi cenſent. Ita tamen ſi rectè fueris operatus, habebis Cinnabarim, omni ſecuritate adhibendam.

Uno negotio pro uſu ulteriore chymico & tincturæ ſolaris confectione poterit ſimul parari crocus auri valdè tener, ſi aurum per antimonium depuratum cum mercurii ſ. q. in amalgama redigas, poſtmodumque cum ſulphure terendo & liquefaciendo commiſceas, & ſublimationi exponas; remanet in fundo crocus ſolis admodum ſubtilis, qui denuò cum Cinnabari commiſceri, & ſublimatio iterari poteſt ; Facilitari ſolutionem ajunt, ſi aliquoties Spiritus Vini ſuper illum crocum aduratur. Succedit verò ſolutio in menſtruis mineralibus, ſulphure metallico cupri, ferri, argenti &c. prægnantibus. In vegetabilibus vero ac animalibus menſtruis crudior eſt, & priùs in aurum fulminans, cum alcali volatili præcipitatum, ut redigatur neceſſe eſt : qua de re alio loco & tempore.

Patet itaquè convenientia triplicis Cinnabaris è fundamentis chymicis à priori. Hæc verò demonſtratio experimentis therapevticis â poſteriore ſi fida, certa, tuta adferri poſſunt, perquam lubenter cedet. Uti enim non quamvis officinarum cinnabarim, maximè in pulverulenta forma oblatam, adeoquè minii ſimilisquè inquinamenti ſuſpicionem adferentem, ad uſum medicum commendaverim : ita tamen experimenta me docuere, vanum eſſe metum de ejus deleterio effectu, contra verò uſum æquè tutum, maximè ſi fruſta ſtriata cryſtallina ſeligantur, iterataquè ſublimatione rectificatione depurentur, aut Cinnabaris talis ſimplex è ſulphuris & mercurii colliquatione & ſublimatione nata adhibeatur. In fruſtis majoribus minium timeri non debet, cum fundamentis chymicis repugnet, plumbum cum ſulphure ac mercurio ſublimari poſſe; prout æquè experientiæ ſuperſtitioſus

tiosus ille refragatur metus, quo mercurium sublimatum cum arsenico inquinari, sublimari, & ita ad mercurii dulcis præparationem minus tutam reddi posse putant.

Conclusionis loco duplicis adhuc experimenti chymici ac medici mentio injicienda. Illius, quo cinnabarem antimonialem ob coloris obscuritatem cum cinnabari vulg. unà mixtam sublimare solent, hujus ut minialis magis color eam temperet, & ad carmineum deducere conetur, quo fine etiam cum urinâ vel spiritu urinæ in porphyrite imprægnari triturari solet, & postmodùm salsedo iterum elui: in quo artificio stupendum illud arcanum celebris in orbe pharmaceutico cinnabaris Linckerianæ concluſum nonnulli opinantur.

Hujus verò seu Medici experimenti observatio illa est, quâ utramque Cinnabarim, antimonialem & nativam, mixtam unà iteratis vicibus sublimari, atque ita penetrantioris subtilioris effectus reddi posse judicant. Sic recordor methodi celebratissimi Archiatri Würtenbergici B. Dn. D. Gmehlini, qui tali Cinnabari cum parte V. X. Salis volatilis acuata larga & iterata dosi in affectibus nervorum chronicis usus est. Sed de usu commentatio hujus loci non est, præsertim cum commendationum abundantia magis, quàm defectu laboremus, quæ hoc concretum ad sublimius fastigium elevarunt, quàm ipso effectu suique merito penetrare valet. Ego in privatâ dispensatione non inutiliter admiscuisse mihi videor, tum pulveri nephritico ex nitro puro & tartaro vitriolato, tum pulveri temperanti ex nitro, tart. vitriol. matr. perl. ant. diaph. imò etiam pulveri infantum ex matr. perl., antim. diaph., lumbr. terr. reliquos usus ut prætermittam. In primo enim spasmorum nephriticorum mitigationem per cinnabarina nitrosa securiorem deprehendi, quàm per opiata aliaque narcotica, quæ excretionum cohibitione quàm infaustos effectus post se in hoc passu inprimis trahant, experientiæ multorum sufficienter jam innotuit. In altero composito, mihi hactenus verè panchresto, æquè tutius acutarum, febrilium inflammatoriarum exæstuationes, orgasmos, inquietudines, acrimonias

nias ita obtundi, ſopiri videmus, quàm aliâ narcoticâ methodo & medicinâ. In tertio ſpecificorum antepilepticorum energiam, uti & generalium abſorbentium, diſcutientium, feliciter adjuvari ita, non immeritò conjicere licebit.

OBSERVATIO CLXXXVIII.

Dn. LIC. JOH. SAMUEL. CARL,

De

Alcali vitriolato.

INſignio hoc nomine ea ſalia media, quæ è ſimplici ſale alcalico & acido ſimpliciore univerſali in ſulphure vitrioloque hærente conſtant, qualia ſunt *tartarus vitriolatus*, *arcanum duplicatum*, *nitrum ſulphuratum*, *ſal Glaſeri*, *ſalia fixa vegetabilium officinarum* &c. Singula enim in fundamento chymico-phyſico conveniunt, licet quoad operationem externam longè diſparia ſint. Cognitâ verò rei ætiologia incongruum foret, ſingula magno labore conquirere, multò magis abſonum foret, ſi unita ex rei differentiâ adhibere placeret. Præſtabit ergò unum breviore methodo parare, quod cæteris virtute ſit æquale imò ſuperet. Sit *tartarus vitriolatus Tachenii.*

℞. Cineres clavell. puros, ſolve aquâ purâ, affunde ſolutionem vitrioli, ſive venerei ſive martialis ſub æquali portione. Præcipitabitur metallum ſub formâ croci. Saturationem deprehendes, ſi parum liquoris hujus filtres, eique affundas parum ſolutionis Cin. clav. vel ol. tart. per del. Quodſi nulla effervescentia, nec turbatio liquoris, & ſubſidentia calcis metallicæ contingat: tum acidum vitriolicum erit ſaturatum, & à terrâ metallicâ liberatum. Filtra tum liquorem & ad cuticulæ apparentiam ſive in vitro ſive in ollâ ferreâ inſpiſſa, ut loco frigido expoſitus cryſtallos dejiciat. Liquor reſiduus denuò evaporatione inſpiſſari & cryſtalliſationi exponi debet. Habes ita tartarum vitriolatum purum, nitidum, cryſtallinum. Commendari poteſt hæc ſpecies alcali vitriolati præ cæteris hujus generis ſalibus mediis,

tum ob breviorem ac viliorem operationem, tum ob spiritus subtilioris ac volatilioris in vitriolo hærentis certiorem susceptionem ab alcali factam. Ille enim tartarus vitriolatus, qui è sale tartari, spiritu vitrioli saturato, usitato officinarum modo conficitur, hac teneriore spiritus parte caret, ut taceam, quòd hic majores sumptus requirat.

Arcanum verò *duplicatum* seu *panacea Holsatica*, quæ eluitur è capite mortuo aquæ fortis, ejusdem prosapiæ est; siquidem spiritus vitrioli depellens spiritum nitri, ut acidum debilius, tenerius, volatilius, cum sale alcalino nitri sese consociat, ac ita tale sal neutrum format. In præparatione verò non solùm ob calcinationem sollicitam plus facessit negotii, sed etiam illud minatur damni, ut, si caput mortuum non exquisitè fuerit calcinatum, atque in confectione aquæ fortis vitriolum venereum adhibitum, facilè tum miculæ vitriolico-venereæ in hoc arcano duplicato hæreant ac remaneant, quæ insignes vomitus, hypercatharses periculosas suscitare valent, prout ejusmodi exempla multorum experientia imò medicina forensis prodit. Unde non solùm accurata & iterata calcinatio instrui, sed & à nonnullis inquinamenta venerea per additionem portionis alcali præcipitari solent.

Idem verò incommodum evenire solet à tartaro vitriolato supradicto, si ille ex vitriolo venereo conficiatur, nec sufficienter per alcali sal saturetur; ad quod periculum evitandum, præstat non solùm superius notatam docimasiam experiri, sed quantitatem salis alcali superabundanter affundere, ita ut acidum aliquod adfusum effervescentiæ cujusdam strepitus edat, ac prædominium salis alcalini indicet, quod verò prædominium sali medio nil obstat, cum in liquore remaneat separandum, nec crystallisationem cum tartaro vitriolato subeat.

Hac ratione pro usu medico sufficit una species alcali talis vitriolati. Nec opus est (aut singulare quid in eo nos piscari posse putandum) sale Glaseriano, quod paratur ex hepate sulphuris pulverisato, leniquè igne calcinato, usquè dum sal cinereus evadat, qui aqua calida solvendus, & ad crystallisationem dispo-

disponendus. Sulphur enim similem spiritum acidum in se continet, ac vitriolicus existit. Unde si sulphur cum sale alcali miscetur & funditur in massam rubram, & hæc calcinatione substantia adustibili exuitur, complicatur tum acidum sulphureum cum sale alcali in sal medium, simile & idem, quale est tartarus vitriolatus. Acidi verò sulphuris cum acido vitrioli indicatam identitatem monstrat genesis vitrioli ex mineris sulphuris, metallis adjunctis: tum etiam imitatio artificialis ex venere vel marte mediante sulphure parata, per colliquationem, lenem calcinationem eluitionem ac inspissationem. E quo vitriolo idem acidum elici potest, quam est vulgare vitriolicum. Adde demonstrationem ex syntheſi, quòd tale acidum facile cum principio φλογιςῷ in genesin sulphuris transire possit, si scilicet cum sale alcali ligetur, fundatur, inque fluxu τὸ φλογιςόν è carbonum pulvere adjecto addatur: redit inde hepar sulphuris, scil. alcali sulphure plenum, dum acidum vitriolicum commercium τᾷ alcali deseruit, & cum principio inflammabili novum mixtum, scil. sulphur minerale verum generavit. Unde si eluatur hoc hepar aqua, filtretur, præcipitetur cum acido quodam: emergit lac sulphuris, quod verum est sulphur, & in ejus consistentiam facile liquari potest.

Præterea ejusdem census erit *nitrum sulphuratum*, quod fit, si fluenti nitro successivè adjiciatur sulphur, usque dum ustionis & flammationis strepitus cesset. Materia relicta in aqua solvitur & crystallisatur. In hac operatione simile sal medium vitriolicum producitur, dum acidum nitri per fusionem cum sulphure peruritur ac dispellitur; remanens verò sal nitri alcalicum cum spiritu sulphuris vitriolico intimè commiscetur & in tale sal neutrum permutatur.

Deinde ejusdem indolis est *Sal neutrum*, quod mediante sale alcalino ex athmosphæra piscantur. Cineres clav. sal tartari &c. exponuntur aëri libero per aliquot septimanas mensesque: tum solvuntur aqua frigida: remanet substantia alba, mucida, quæ calida aqua coquendo solvitur & ad crystallisationem exponitur. In aëre enim hæret, uti per aquas terrasque diffusus est, spiri-

ſpiritus ille vitriolicus, ſal acidum magis ſimplex, catholicum; unde ejusmodi ſal ad ſulphuris geneſin diſpoſitum eſt; ſi ſcilicet cum pulvere carbonum fundatur in hepar ſulphuris.

Denique ejusdem indolis ſunt *officinarum ſalia vegetabilia fixa*, quæ ex cineribus cum ſulphure uſtulatis conficiuntur. Cryſtalli enim ſaporque amaricans illicò prodit, ea non eſſe alcalia. Unde univerſa eorum ſerie commodè carere poſſumus, nec ſpecialis energia in iis quærenda. Etſi enim differentia quædam talia ſalia, in alcalina natura adhuc conſtituta, intercedere quoad nonnullorum ſententiam poſſit: hanc tamen ſublatam eſſe acceſſu acidi ſulphurei, dubitare vix licet.

Singula ergò hæc ſalia cum inter ſe conveniant, ſpecieque eadem ſint: præſtabit unum ſervare, quod brevioris ac vilioris ſit ſucceſſus. Uſus ejus eſt digeſtivus, diureticus, temperans, reſolutorius non contemnendus. Cum abſorbentibus utiliter miſcetur & adhibetur in obviſcatione primarum viarum, febribus intermittentibus & acutis: Cum nitro combinatur, tùm ut effectus temperatorius adjuvetur, tùm ut nitri effectus coagulatorius & inſpiſſatorius hujus digeſtivi adjunctione corrigatur: quo fine in ſpasmodicis affectibus nephritide, colica calida, aſthmate convulſivo &c. ſuum ſymbolum adfert. Cum martialibus unitur, quia tonica aperientium ac reſolventium conſortium amant & exigunt.

Unum circa præparationem commendati tartari vitriolati adhuc notandum, quòd uti ſuperfluum ſit Spiritum Vitrioli deperdere, ita pariter de ſale tartari ſentiendum, cui absque dubio minoris bonitatis aut damnoſæ qualitatis cineres clavellati puri ſubſtitui poſſunt. Si de utroque ſubjecto libra adſumatur: facile hujus ſalis vitriolici uncias 8. 6. nanciſci poteris. Notandum quoque, quòd intenſior evaporationis æſtus multum ſalis hujus in auras diſpellat. Poteſt ergò aquei motus inſtrumentum id volatile reddere, quod in igne fuſorio fixiſſimum perſiſtit aliàs. Quamobrem alii tali coctione ſpiritum volatilem ex tali mixtura ſuſcipere tentant, ſi in cucurbitâ cum alembico operatio inſtitua-

ſtituatur, & liquor prodiens iteratò rectificetur. Præſtat ergò lenis evaporatio. Deinde vaſa figulina poroſiora multum ſalis imbibunt. Ferrea itaquè ad evaporationem, aut vitrea præferenda.

OBSERVATIO CLXXXIX.

Dn. LIC. JOH. SAMUEL. CARL.

De

Martialium ſelectu.

MArtialium præparatorum catalogus in eum excrevit numerum, ut vix Medicus aut Pharmacopœus ſuperſit, qui non ſingularem modum ſui martis cachectici, ſtomachici, aperitivi, helleborati, cydoniati, per omnes menſtruorum, colorum, claſſes præparare ac commendare deprehendatur. Non leviter pendendum Sydenhamii, aliorumque judicium, qui martem purum in ſubſtantia, nulla prævia alteratione aut curioſa tractatione læſum, præferunt omnibus martialibus conſtructionibus, aut ut ipſi loquuntur, deſtructionibus. In cachectico-chloroticis affectibus videtur mars crudus feliciores effectus manifeſtius exerere. Eſſe verò omnium martialium operationem in tonica facultate fundatam, ut non niſi ſecundum majus & minus inter ſe differant, aut à menſtruis cæterisque acceſſoriis quidpiam inter ſe contineant: monſtrat tùm adſtrictoria hæmorrhagiarum per illa ſuppreſſio, tum viſcerum robur per ea obtinendum ad ſtagnationum diſcuſſionem, motusque humorum lentioris promotionem. Unde cum hic generalis ſcopus perſiſtat in ſingulis: multis ſuperfluis correctoriis tentaminibus haud opus eſſe videtur. Compendii loco commendabo ſolùm duo præparata martialia, unum in formâ liquidâ, alterum in ſiccâ, ſolidâ, pulverulentâ.

Illud eſt *eſſentia vitrioli martis tartariſata Ludovici*, quæ (uti cum *Zwölfferi* multum congruit) videtur inter remedia martialia lenioris, ſecurioris & certioris operationis eſſe, præſertim in infantum atrophicis affectibus, ubi cachectica corporis diſpo-

disposítio, abdomen tumidum durum, facies pallida, consumptio corporis, calor p. n. intercurrens, tussis sicca glandularum meseraicarum obstructionem innuunt, ac martialium veluti usum indicant, prout hoc scopo celebre apud nonnullos evasit specificum antatrophum *Scretæ* ex diaph. martiali, rad. ari ir. fl. sal. veget. saccharo &c. compositum.

Circa præparationem saltim illud notandum videtur, quòd quodvis venale vitriolum ob venereum metuendum contagium tutum non sit, novum verò ac purius vitriolum per spiritum vitrioli & lim. martis parare, aut ex minerâ martis Hassiacâ elicere, laboriosius aut pretiosius judicari possit: quod inde faciliore methodo vitriolum ab omni inquinamento cupreo depurari possit per martem, ut vitriolum martiale purum exeat. Hoc fine soluto vitriolo in ollâ ferreâ super igne adjicitur limaturæ martis manipulus unus & alter pro quantitate vitrioli, agitando liquorem sensim omnis venus præcipitabitur rubicundi pulveris forma, ut lamina ferrea indita maculam & tincturam veneream amplius non recipiat. Post filtretur liquor, & iterum coquatur leniter, adjiciendo successivè cremoris tartari vel anaticam vel dimidiam saltim portionem, imò affundendo hujus uti & crudi tartari jam factam solutionem, ut ita solvendo coquendo utrumque misceatur & melleam consistentiam acquirat. Affunditur post sp. vini phlegmaticus: Extrahitur leni calore essentia flava, filtratione separanda, quæ si nimis lenis existat, inspissatione acui potest, si verò à virtute vitriolica saturatior adeoque in energiâ adstrictoriâ crudior videatur, dilui poterit novo sp. vini, aut aquâ aliquâ vitæ aromatica: Unde & stomachicum non inutile evadit, quo nomine & celebris est apud nonnullos. Cum essentia amara mixta: effectum ant-ictericum & hypochrondriacum exerit. In mulierum affectibus, mensium vitiis, hæmorrhagiâ uteri &c. pariter debitam operationem exerit &c. &c. Quæ pauca de hujus martis liquidi præparatione ac usu commendasse sufficerint.

Alterum præparatum martiale in consistentiâ siccâ est *crocus*

cus martis sulphure solutus. Omnes enim calces, sulphura, croci martiales, aut quomodocunque nuncupentur, in eo utplurimum convenire videntur, quod sint calces sulphureo suo principio privatæ. Proinde solùm gradu adstrictoriæ suæ austeritatis differunt. At verò in sulphure (per alcali ligato, uti est in hepate sulphuris, siquidem hanc diacriseos rationem hic intellectam velim) fit martis, (uti & aliorum metallorum) adeò tenera dissolutio, ut sub formâ subtilis pulviscüli per aquam eluí ac separari possit. Idem fit, si loco sulphuris adsumatur antimonium. Funditur sal alcali, uti sunt cin. cl. puri, adjicitur successivè anatica portio sulphuris vel antimonii. Materiæ benè fluenti injicitur limaturæ martis tantundem; & benè invicem fusa effunduntur, solvuntur aqua, crocusque ita omni salsedine sulphurea eluitur. Crocus subtilior agitatione aquæ facilè adscendit sursum; ita ut magis tenerior, lenior tonica, aperitiva veluti magis portio separari & in usum vocari possit. Imò poterit pro intimiore calcinatione cum part. duabus nitri deflagrari. Usus idem est, qui Essentiæ vitriol. mart. Lud. tribuebatur. In atrophicis infantum affectibus ad gr. j. ij. iij. circa cœnæ tempus cum sale digestivo adhibetur. In intermittentibus sopiendis pariter ante invasionem datur &c. &c.

OBSERVATIO CXC.

Dn. LIC. JOH. SAMUEL. CARL,

Annotata Chymica de Tincturis alcalinis, Mercurii dulcis secura præparatione, & Calcibus Antimonialibus.

MUltæ in officinis Pharmacopœorum prostant Tincturæ, quæ quidem magni nominis & ominis, magni ponderis, artificii, differentiæ æstimari solent, nec tamen ad calculum vocatæ ullis phœnomenis vel chymicam, vel medicam diversitatem exhibent. Hujus census sunt Tincturæ variæ antimoniales, tartari, metallorum, coralliorum &c. illæ sc. quæ cum spir: vini è salibus alcalinis eliciuntur.

Tincturæ ratio pendet à sale alcali, quod quò acrius siccius existit, & spiritus vini magis rectificatus oleosus, eò citiùs Tinctura bona, saturata colore & acrimonia prodibit. Sic quo scoriæ antimoniales calidiores adhuc sunt, & quò magis rectificatus oleosus est spiritus vini: eo citiùs extrahitur Tinctura; i. e. solvitur per oleosum menstruum tenerior salis portio, quo sub digestione facilè rubore inficitur. Contra verò si scoriæ igne extractæ jamdum deferbuere, aut humiditatem jam contraxere, aut spiritus vini sit aquosior, nulla prodibit Tinctura; sub quo tamen statu solutio sulphuris contingere posset, si juxta multorum opinionem talis perpetraretur.

Hac ratione generantur Tincturæ antimoniales, sive ex hepate antimonii quacunque diversitate artificis paretur, sive ex sulphure antimonii præcipitato iterumque calcinato, sive aliâ quacunque viâ. Eadem ratio est Tincturæ tartari, ut nisi sal tartari probè calcinatum sit & spiritus vini sat oleosus: liquor digestione non benè rubescat.

Tincturæ sulphuris, coralliorum, solares &c: multarum descriptionum huic pariter innituntur fundamento.

Hepati sulphuris si spiritus vini pro digestoriæ Tincturæ extractione adfundatur: nil de sulphure solvit, sed parum salis alcalini, calcinatione magis exusti.

Quod si cuprum cum hepate sulphuris in tenerum crocum dissolvatur, imò alia metalla, ipsum etiam aurum: tum sanè absonum foret, si quis chymiæ vel leviter gnarus sulphurum metallicorum extractionem inde piscari tentaret; & eò minus voti compos reddetur, si hepar tale v. g. auratum solveret, aceto præcipitaret, super tale præcipitatum spiritum vini satis dephlegmatum, sp. therebinthinæ imbutum digereret, & hinc magni mysterii essentiam solarem, aurum potabile &c. haurire cuperet.

Tinctura metallorum ejusdem est furfuris, quæ à metallis singulis cum regulo fusis & cum nitro calcinatis ne umbram quidem metallici sulphuris multò minus miculam aliquam sortitur. Error ergò est vanissimus, si per ejusmodi tractationem

ac

ac menstrua sulphurum metallicorum extractiones expectare velis. Certè enim si menstrua abstrahantur, transcendit spiritus vini à priore simplici natura nil alteratus: in fundo remanet parum salis alcalini.

Succurrit jam memoriæ tinctura solis B. Parenti meo usitata. Inter hallucinationes ejus ac tentamina hermetica prolabebatur in experimentum, quo aurum cum cinnabari antimonii diu pyxide ferreâ inclusum in calcinatorio æstu detinuit, & fixatorium ingressum in alia metalla proditurum speravit. Spe excidens crama tractavit cum sale tartari. Mixturæ huic quotiescunque affunderet spiritum vini rect. ex acinis uvarum fermentatis productum: toties tinctura rubella crocea, blandæ acrimoniæ, prodiit, quam pro ultimo, sæpè etiam non inutili, refugio habuit ac usurpavit. Meæ sententiæ, quod de extractione sulphuris omninò dubitaverim, contra verò solùm alcalinam tincturam censuerim, subscribere noluit. Ego verò ejus inventum, cum experientia chymica ea fuerit instructus, quam in paucis pharmacopœis deprehendi, utilitatemque medicam multis exemplis docuerit, rejicere nolui, licet in generali energia remedii hujus salini tenerioris acquiescere potuerim. Unde præcipuè in atrophicis infantum affectibus, abdominis intumescentia, à glandularum mesaraicarum obstructione similibus lymphæ vitiis suam exercuisse energiam observavi.

Quæ cum ita se habent, atque exinde tùm rei fundamentum tum compendium quasi patescat: requiritur ad tincturæ hujusmodi alcalicæ productionem 1) spiritus vini probè rectificatus oleosus: unde ad saturationem rubore atque acrimonia tincturam nanciscendam, spiritus vini oleositas paucis guttis olei dest. appropriati augeri ac roborari potest v. g. anisi, junip. thereb. &c. 2) Alcali valdè acre, quod fit, si sal ejusmodi non solùm per se probè calcinetur, sed & cum crocis ac corporibus metallicis fundatur.

Sic si hepar sulphuris cum venere, marte &c. fundatur & calcinetur, satis saturata prodit tinctura.

Cum regulo parari potest satis acris tinctura. Fuso regulo adjicitur nitri quarta pars. Si benè ac teneriter fluxerint, effunde. Scoriæ flavæ, si pulverisentur ita calidè, & affundatur spiritus vini, tingitur leni digestionis calore hic spiritus satis maturè, ut saturatissimè rubicundam, acrem, penetrantem abeat in tincturam. Id eo magis fit, si regulus antimonii, prout ad ejus intimiorem depurationem ac stellificationem fieri posset, secunda ac tertia vice cum recente nitro fundatur; unde scoriæ, pellucidatis vitrescentis, coloris succinei evadunt.

Ejusdem acrimoniæ ac penetrantiæ exit tinctura, si hepati antimonii pars quarta calcis vivæ, & nonnihil limaturæ martis addatur, & mixtura non tam assidua fusione sed calcinatoria ustione tractetur. Calidæ materiæ rubicundæ pulverisatæ affusus spiritus vini, & digestus cum ea, abit maturè in liquorem acrem.

Usus ejusmodi tincturæ alcalinæ est resolvens diureticus, ad mucositatis incisionem, absterfionem, excretionem promovendam appropriatus. Quare in lymphæ impuritatibus scabiosis, venereis, hydropicis, cachecticis, nephriticis &c. suo effectu non destituitur. In intermittentibus à primarum viarum obviscatione utilis deprehensa. In asthmate humido pariter &c.

Dilucescit ergò è paucis hisce harmonia & ratio fundamentalis ejusmodi tincturarum tum physico-chymica, tum medica; adimens superstitionem chymiatricam, quæ admirabunda animorum levitas sulphurum metallicorum extractionem ad archei irradiationes panacealis utilitatis sibi aliisque ineptè pollicetur.

* * *

Est in mercurio, quicquid quærunt Sapientes. Tritum hoc ac triste Hermeticorum solamen & iis jam innotuit, ac in alienum sensum devenit, qui prima chymiæ ac pharmaciæ vestibula non sunt supergressi, ut hi cum exercitationibus ex hoc ærario hauriri posse arbitrentur, quicquid medicinæ verè heroicæ, archealis, panacealis, universalis nomine ac omine venire ac veniri queat. Exinde tot præcipitata, fixata, composita mercurialia prodiere, quorum multa utili effectu vacua non fuerunt, plura verò cum

auctorum admiratione, fama, vita acquievere, & cum iis maturè iterum sepulta sunt.

Inter illa composita, quæ in usum publicum officinis concredita sunt, ætatem præ cæteris tulit mercurius dulcis. Cum verò non infrequenter heteroclitos valde, vomibundos, hypercatarcticos, exerat effectus: non solum Galenicis chymiæ contemptoribus, sed & aliis in suspicionem inconstantis, minus securi, perpetui effectus devenit.

Multi rem totam non adeò dextræ ac sollicitæ præparationi tribuunt, quod sanè & multa exempla satis clarum reddunt. Puellæ 4. an. in pectoris infarctu, abdominis intumescentia, his diebus hunc mercurium in parca dosi dedi, ubi tamen permultos vomitus anxios suscitavit, ut medicum ac medicinam suspectam reddidisset, nisi parentes anxii sibi persuasissent, abundantiam pituitæ in motum suscitatæ esse in causa. Examinato verò per gustum mercurio, ipse Pharmacopœus harum rerum probè gnarus statim mecum fateri debuit, mercurium suum non omnimodè esse saturatum. Ejusmodi effectus, inquam, cum frequentius contingant, multi eum rejiciunt, quòd adeò incertæ sit operationis, ut in hoc subjecto leniter agat, in alio multas suscitet turbas.

Subjectorum diversitas quidpiam forte tribuere valet, dum unum sensibilius & mobilius, præsertim ad catarcticas excretiones, existat altero; unum magis scoriis salinis mucidis abundet præ altero, ut materia ad motum disposita facilè accedente movente vehementiores subeat motus; vel mobilis nondum reddita in abundantia sua per movens in turbulentos motus suscitetur.

Incusant alii formulas, quòd in pulvere, syrupo &c. non adeò tuto adhiberi queat, quàm in pilulis, quod verò experiri non licet, licet alii mihi persuadere conarentur, in pulv. adhibitum in dentibus multum remanere, salivationem facilè, dentium vacillationem &c. producentem. Sæpiùs ego, imò alii, infantibus cum syr. de Cich. C. rhab. rosar. sol. de manna &c. non infelici-

ter adhibui. Notum verò mihi est exemplum, ubi viro scabioso in pil. cum extr. fumar. ref. jal. exhibitus emesin suscitavit, quæ alio salino remedio sc. nitroso sistebatur. In aliis scabiosis similia phænomena non obvenere.

In præparatione si vitium quærendum, id huc referendum puto, quòd in officinis una methodus, una proportio servetur, cum tamen differentia teneri debeat, ob diversum gradum corrosivitatis, qua mercurius sublimatus ex præparationis diversitate sæpè diversus esse solet. Vitio equidem huic obviam ire putant iteratis sublimationibus ac saturationibus cum novo mercurio vivo. Taceo laboris prolixitatem, videtur tamen certitudo indubia saturationis sæpe tamen dubia manere. Labor verò abbreviari potest, si mercurii sublimati q. l. in mortario marmoreo teratur, eique successivè terendo immiscеatur mercurii vivi puri ea quantitas, quam corrosivus capere ac absorbere potest. Inde facilius sublimatio adornari potest. Inferiores crassæ hujus sublimati partes tutiores sunt, quàm superiores, quæ volatiliores corrosivi indolem nondum exuêre, unde separari solent. Gustus verò maturè prodit, si quidpiam corrosivitatis nauseosæ adhuc superfit.

Ut integrum processum securæ præparationis exponam: adsumo mercurii sublimati libram unam vel semis. Tero in mortario lapideo in tenerum pulverem: admisceo successivè mercurii vivi tantundem ad minimum, imò ad unc. iv. vi. viij. hujus dosin augeo. Continuatur trituratio pro combinatoriâ subactione per unam & alteram horam non solum, sed etiam diem. Mercurius subigi qui non valet, cochleari tolli potest. Mixturam indo cucurbitulæ, ut venter ad dimidium impleatur, capaci. Impono hanc crucibulo, proportionatæ magnitudinis, & circumdo arena. Ita igni aperto concreditur. Datur primâ horâ ignis mediocris. Postmodum ad 2. 3. horas intenditur, ut crucibulum usque ad medietatem candeat. Exempto vitro si mercurius evectus niger ab intermixtis miculis mercurii vivi superflui appareat: triturando comminuitur, itaque mercurius vi-

vus

vus spontè secedens cochleari separari potest. Reliqua massa pro rectificatoria sublimatione tractatur ut anteà. Quòd si in secunda sublimatione æqualem albedinem, nidorem, dulcedinem, nondum consequatur: potest iterum trituratione superfluitas mercurii separari & rectificatio repeti. Hac via nullus metus foveri potest de insufficienti sublimati saturatione & corrosivitatis obtusione. Proinde cum prædominium mercurii vivi securius reductionem admittat, quàm sublimati; id multa de causa præferendum censeo.

* * *

Superstitio circa ejusmodi producta à pluribus jam detecta est, ut etiam Pharmacopœorum famulis non amplius sit occulta, in iis non minus arcani therapevtici (multò minùs chymici) esse quærendum, quam in omni terra macra cretacea, nec inter tot numero diversa differentiam à rei gnaro agnosci posse: apud medicos spes, fides, admiratio pariter disparuere, ut pauci experientia chymica medicaque ita vacui sint, qui in istis bezoard. mineralibus, solaribus, lunaribus, cerussa antimonii, sulphure antimonii, ac mercurio vitæ per nitrum fixatis, materia perlata Crugneri, stomachico Poterii &c. mysteria scrutari ac vendere ausint. Tangam saltim instar reliquorum judicium accurati observatoris Dn. Dr. Stahlii in diss. de phthis. datum. Auro certè redimendum esse ait antimonium diaph. si juxta Sylvium absessus & ulcerationes internas restitueret, sed inauspicatò veritas destituit effatum. Longe facilius autem tàm illius, quàm aliorum terreorum absorbentium usu debilitantur penitus concoctio, digestio, excretiones. Pergit ulterius de alio similis farinæ ac mysterii arcano loqui: qui per compendium dicta omnia, anxietates insuper cardialgias, flatulentias anxias, tormina, diarrhœas, vix imò sine graviore noxa nunquàm cohibendas, perpetuum externum algorem, frigidum multum colliquativum sudorem, maturam & anxiam mortem, in phthisico suo videre gestit: utatur diligenter antihectico Poterii, & erit voti compos. Et sanè ratio à priore nihil aliud docere valebit, quàm quod, uti aquæ ardentes earumque immoderatus præcipuè usus

& abu-

& abusus, dispositiones hecticas inferunt ac promovent, & tantò citiùs in apricum deducunt, humiditates lymphales imbibendo, viscera exarescendo, indurando, obstipando, sanguinem inflammando: quod, inquam, ita ejusmodi terrea macra per aridam exsiccantem indolem tanto magis hoc præstent, quando curationis scopo largius ac frequentius adhibentur, eo tempore, ubi ejusmodi exsiccatæ scirrhositates scenam hecticam jam aperuere, & ubi febrilis motus consumptorius humiditatis defectum jam ostendat.

Nolo in hæc medica altius digredi; sed saltim animus est, paucis identitatem istarum calcium indicare, &, cum in vulgatissimo illarum scil. antim. diaph. nil mysterii reconditum sit, ita in cæteris nil arcani aut differentiæ specificæ subesse, monstrare.

Antimonium est concretum minerale ex sulphure ac substantia regulina. Hoc materia existit omnium illarum panacealium calcium. Medium ac menstruum quasi illius diacriseos præparatoriæ est nitrum. Hoc constat acido sulphureo & sale alcali. Calces verò illas pars antimonii sulphurea non ingreditur, sed regulina. Sulphurea enim sub accensione cum nitro destruitur, ut sulphuris principium inflammabile cum acido sulphureo nitri conflictum committens utrumque sese destruat & è mixtione sua disturbet. Acidum verò sulphuris, ut crassius nitroso, cum sale alcali post acidi expulsionem, coit, ac novum mixtum, salinum, neutrum, vitriolicum, tartaro vitriolato simile constituit. In calcibus igitur illis de talibus salibus nihil hæret, utpote quod sub elutriatione cum nitro antimoniato ablatum. Regulina verò pars substantiam, subjectum, basin uti antimonii diapha. ita cæterarum calcium format. Patet hic fundamentum genealogicum antimonii diaphoretici. Regulus si cum nitro calcinetur, tum per hujus inflammabile acidum parte sua sulphurea, metallicam faciem mixtioni inferentem, orbatur, ut nil nisi vitrescibilis pars in calce remaneat. Patet hoc, si calx talis vel per se vel cum sale puro in vitrum fundatur. Si τὸ φλογιστὸν resti-

reſtituatur: redit in regulinam metallicam conſiſtentiam, quod patet ex fuſione illius calcis cum carbonibus, pulv. fuſorio nigro, aut ſimili ſubſtantia pingui. Ergò antimonium diaph. eſt talis reguli ſubſtantia calcaria exuſta. Ceruſſa antimonii item. Convenit identitate ſpecifica bezoard. lunare ſolare, cum hæc perfecta metalla à nitro non lædantur ac deſtruantur: unde ab eorum conſortio nil emolumenti iſti calci antimoniali accreſcit. Bezoardicum minerale eſt partis regulinæ, per ſpiritum ſalis ſub butyrosâ formâ ac nomine abſtractæ, mediante ſpiritu nitri facta calcinatio. Differentia nulla intercedit, præterquam, quòd hæc operatio in via humida contingat, uti illa in ſicca. Medium calcinationis æque uti ibi eſt acidum nitri ſulphureum. Mercurium vitæ nitro fixatum alii loco bezoard. min. ob laborioſum ac pretioſum diſpendium eligunt, nec errant. Eſt enim mercurius vitæ nil niſi regulus antimonii, ſpiritu ſalis diſcerptus. Sulphura antimonii diverſarum præcipitationum non eſſe vera ac pura ſulphura, ſatis notum; ſed tenuiora præcipitata, à menſtruo præcipitationis acceſſorio diverſo diverſam alterationem ſuſcipientia. Poſſident enim ſuam regulinam ſuamque ſulphuream adhuc ſubſtantiam. Si cum nitro, uti in ant. diaph. fit, calcinentur, convertuntur in album pulverem, i. e. calcem regulinam. Stomachicum Pot. Mater. perlata Crugn. ſimilisque indolis producta grandiloquis titulis ſaltim ab illis dictis differunt. Demonſtratio igitur hæc ſynthetica à priori ſatis clarè convenientiam ac identitatem indicat.

Analyſis chymica ſi expetatur: perducas ſolum quamvis, aut ſingulas earum calcium ad fuſionem in crucibulo; evadet vitrum flavum. Quod ſi cum pulvere fuſorio nigro fundantur: redibunt in regulum. Regulum hunc funde cum ſulphure comm. redibit antimonium purum. Idem hic proceſſus, ordo, in ſingulis obſervabuntur; nec ullum productum, aut phænomenon ab altero differet. Abſonum ergo eſt, differentiam ſpeciei, graduum, effectuum ſomniari inter tot externo ſaltim pharmaciæ labore differentia: & tanto magis, me-

dicinam magnam in iis quærere. Ludunt multi pharmacopœi faciles qui ſuperſunt admiratores, dum capſulas ſuas horum arcanorum unico antim. diaph. implent ac reſtaurant. Dolum fraudulentum ſi Ariſtarchi fronte intuearis: illis non ſuccenſe, ſi te umbra oberrantem tanto magis cum pueris ſuis rideant. Sed pauca hæc de errore jam ſatis detecto addidiſſe ſuffecerint.

Miſſa Francof. Norimbergam.

OBSERVATIO CXCI.

DN. D. MICH. FRIDERICI LOCHNERI

De

Monorchi Parente, Anorchin Filium generante.

EFfecerat monorchin imperita manus Thraſonici cujusdam Exteſticulatoris, virum juvenem toroſum, & ad Veneris caſtra aptiſſimum, quinto & vigeſimo ætatis anno. Haud exiguâ ſic deſtitutus Patrimonii particula, cælibem vitam ſpondet, metuens, ne forte ſibi contingeret, quod de Spadonibus Scholiaſtes Juvenalis:

- - - - - ſi quando ad prælia ventum eſt.
Ecce quidem ſtipulis magnus ſine viribus ignis
Incaſſum furit.

Huic propoſito cum per aliquot annos firmiter inhæſiſſet, tandem formoſiſſimæ captus amore Juvenculæ, per biennium illam quidem ambit, domum tamen, ob metum pendulæ Veneris, ducere recuſat. Vicit tamen Teleia Juno, & adſumpta in tori ſociam Amaſia, tandem

Narrata diu ſpectarunt oſcula Cives.

Vix anni ſpatio elapſo, Lucina favet, & maſcula beat prole Parentem caſtiſſima Coſta. Peracta ſumma lætitia primis Puerperii diebus, obſtetrix ædes meas petens, auribus inſuſurrat, puerulum recens in lucem editum omnibus quidem numeris abſolutum eſſe & formoſiſſimum, ſed anorchin. Vocatus tandem, ut abſentiæ hujus teſticulorum Teſtis eſſem rogatus, Ma-

trem

trem lacrymis pene diffluentem, Pusionis infortunium plangentem, & infelicem Parentem tacito sub pectore & mussitando quasi accusantem reperio. Cum nulli remedio locus esset, verbis delinire & demulcere dolorem quæsivi, solatii loco Matri recensendo, non insolitum esse, & multis exemplis probari posse, testiculos in nonnullis pubertatis demum tempore ex inguine ceu ex latibulo prodiisse, uti ex Dec. II. Ann. II. Ephem. Nostr. N. C. & Act. Hafn. P. I. observ. 106. p. m. 197. & P. IV. observ. 66. p. 169. Grœnwald. Litholog. p. 83. aliisque notissimum. Patulas præbuit his dictis aures anxia Mater, pacatiorque redditus Parentis mille curis distractus animus. Sed destituit mox spem conceptam subsequens post aliquot septimanas jucundissimi Pueruli inopina mors. Quis hic non exclamet cum Venusino Vate:

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas Parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

OBSERVATIO CXCII.

Dn. D. MICH. FRIDERICI LOCHNERI.

De

Clavi specie, nostratibus Neber-Loch *dicta, ubi obiter de Gemursa.*

CLavorum pedis minus cautam resectionem & exstirpationem Gangrænam & Sphacelum sæpius produxisse, apud Borellum, Hildanum, aliosque obviæ passim observationes testantur, & Illustris quondam Baronis Samuelis Puffendorffii declarant fata. Quod si ritè tractentur, nullum, si dolorem excoperis, minantur periculum. Clavi tamen species malignior non quidem in pedum digitis, sed in planta repertu datur. Indurescit paulatim cutis, callumque obducit in medio tandem dehiscentem, quæ cavitas cum non multum à foramine ope terebræ impacto differat, à nostratibus Neber-Loch appellatur. Le-

visſimi initium mali, tandem in luctuoſiſſimam & feralem Tragœdiam deſinit. Per plures quippe annos, ſine notabili moleſtia vitam tranſigunt ægri, greſſus quo volunt dirigendo aptequè incedendo, usquè dum digiti Pedum, utplurimum vel Pollex, vel minimus obtuſo primitus dolore, mox intenſiori, ſine clavo tamen, & inflammationis veſtigio, licet non ſine tuberculo corripiuntur. Simulac vero planta pedum rubore partis læſæ imminentis periculi præſentiam arguit, deſperata mox omnia, & Gangræna ſcorbutica appropinquat, nulla ſuperabilis arte. Digitus pedis quoque, qui dolorem jam præſenſerat, doloris mox expers ſphacelata recumbit, exſtirpationem promtiſſimam efflagitans, ne pars ſincera trahatur. Licet & partis exterminio, mors tamen ingruat. Periit in praxi mea primus hoc affectu, mihi adſtantibusque Dn Collegis incognito, vir integerrimus ſpectatisſimæque probitatis B Stœberlinus, Pharmacopœus Urbis noſtræ celeberrimus. Tentavimus quicquid & logos & methodos atque Experientia ſvaſit, ſed omnia fruſtra. Paucis poſt hujus viri mihi amicisſimi obitum annis Mercator hoc malo affectus, curæque meæ commiſſus, eadem ſenſit fata & vitæ exitum, quod & ruſtico agri noſtri & ante quadrimeſtre ſpatium civi hujus Urbis ſartoriam exercenti quoque obrigit Quibus exemplis inductus, triſtia ſtatim auguria capto, quoties æger hoc correptus malo opem meam & operam efflagitat. Subiit Mentem recordatio haut abſimilis ſortę morbi, ab antiquis annotati, recentioribus & noſtri ſeculi medicis ferme incogniti, Gemurſæ nomine: obſoletum vocabulum eſt ex fonte,

- - - - quem pater Ennius,
Et tuſſientis pulmo Laberii,
Quem cana libavit vetuſtas.

Plinius ejus Natural. hiſt Libr. 26. c. 6. p. m. 453. Edit. Pariſin. meminit, ſcribens: *Et hic quidem Morbus* (de Elephantiaſi ipſi ſermo eſt) *celeriter in Italia reſtinctus eſt, ſicut & ille, quem Gemurſam appellavere Priſci, inter digitos Pedum naſcentem,*

etiam

etiam nomine obliterato. Hujus quoque mali mentionem injecit Sextus Pompejus Feſtus de verbor ſignificat. *Gemurſa*, inquit, *ſub minimo pedis digito tuberculum, quod gemere facit eum, qui idgerat.* Conſului Hurduinianam Plinii Editionem, quam palmam aliis omnibus præripere autumant, ſed plane ἀτυμβούλως diſceſſi. Et in Scaligeri, omnis Eruditionis certe Abyſſi commentario in Feſtum altum de Gemursâ ſilentium. Illuſtris Salmaſius, μέγα Μασῶν κάυχημα, in Plinianis Solini Exercitationibus Gemurſam pro clavis pedum, Myrmeciis, verrucisque venditat, locum Heſychii adducendo: μυρμηκιῶν ὁ ἥλκος ἔχων ἐν ταῖς πτέρναις: *qui tubercula ſub pedibus habet*; ubi planè contra doctisſimi viri mentem, *tabernacula* loco tuberculorum in editione ultima impreſſum legitur. Et in ſequenti quoque forte mendum ſubeſſe judico, dum Vir Clariſſimus ſcribit: *Gemurſas Latini vocabant, nos corpora*, ubi ſi conjecturæ locus, *cornua* legendum eſſe ratio ſuadet, cum *cornes & corps aux Pieds*, clavorum Pedis nomine ap. Gallos veniant; hinc Emplaſtrum ad cornua & Emplaſtrũ ad clavos pedum rem eandem ſignificant & pro ſynonymis habentur. Et reapſe clavos in corneam ſubſtantiam excreviſſe quis neget, ut ſilentio præteream obſervationem Dec. I. Ann. IV. de cornu in ſuperiori Pedis parte Fœminæ enato. Niſi tamen omnia me fallunt, lubentius crediderim, Gemurſæ denominationem, potiori jure huic maligniori clavorum ſpeciei imponi poſſe, quippe gemitus producens, & à gemitu originem trahens vocula.

OBSERVATIO CXCIII.

Dn. D. JOH. ADAMI GENSELII.

De

Procidentia uteri totali quoad fundum cum febri maligna.

FOemina 28. annorum uxor pannificis hujus loci, temperamenti ſanguinei, corripitur febri maligna, curata vel potius deſtru-

destructa per novem dies continuos à quodam Barbitonsore; decima die accersitus omnia in pessimo inveni statu, venæsectionem neglectam, totalem virium prostrationem, respirationem difficillimam, deliria immania, accessit procidentia uteri totalis cum urinæ suppressione; uterus quidem vinculis undiquaque alligatur, ut Hollerius inquit, ante, retrò, superius, inferius, oblique ad collum & inguina, ossi pubis & sacro per tunicam à peritonæo dextra & sinistra parte annectitur: vasis etiam magnis, per arterias & venas, præsertim spermaticas, spinali medullæ per nervos, recto intestino & vesicæ per fibras tenues, unde & maximus uteri consensus cum toto corpore; ast in hoc subjecto uterus totaliter instar marsupii inversus, non quoad orificium, sed quoad fundum descendit, extra vaginam propendens tumore livescente, cucurbitam duarum librarum æquans, omnibus fimbriis, vinculis, ligamentis nerveis, latisque ac membranosis & rotundis laxatis, imò quibusdam ruptis, nullo planè penitus penitusque apparente foramine: magna vis est inter doctissimos etiam recentiores Medicos de procidentia uteri, adeò ut de nullo fœminarum affectu magis disquisitum sit, quàm de hoc, ut taceam ex Græcis Aëtium & plures, D. Beckius cum Garmero, Medico Hamburgensi, diu disceptavit de prolapsu matricis, & præ indignatione (ut Pechlinus retulit) mortuus, Helvius item & Lindenius mordicusillum negarunt, miror tamen Hornium peritissimum aliàs anatomicum eundem negasse, experientia sine dubio carens, sola speculatione utens: eundem verò affirmant ex Arabibus Avicenna; & ex nostris Platerus observ. p. 761, Carpius in Isagog. anatom. p. 23. Rolfincius de part. genital, p 164. Paræus L, 23. C. 4. Hildan. Cent. 4. observ. 60. Regn. de Græf p. 143. Brunnerus de morb. mul. Lib. 2. C. 18. Diemerbrock anat. L. 1. C. 24. Marchettus observ. 61. Maurit. de morb. mul. L. 4. C 6. Solingen. Harveus Lib. de partu p. 347. Blasius P. 3. observ. 1. Bartholinus C. 2. hist. 91. Act. Hafn. vol. 2. observ. 44. Corn. Stalpart. von der Wiel. observ. rar. Cent. 1. C. 67. & Hippocrates noster in multis locis, imprimis Lib 2. de morb mul.

C. 33. teſtatur: ego quoque oculatus ſum teſtis, manibusque palpavi, fuit verò hæc procidentia externa completa, ut verbis utar Wedelii, inter omnes Medicos noſtri Seculi de tota re literaria; præprimis Medica, tam ſcribendo quam docendo per quadraginta & plures annos, certò meritiſſimi, quam & in Italia aliquoties in Xenodochio Romano, Patavino ac Veneto obſervavi; abſurdum itaque foret ſenſuum teſtimonio ac experientiæ rerum magiſtræ contradicere, una quippe experientia & hic plus valet, quàm centum rationes. Cauſam verò hujus procidentiæ ægra attribuit imperitiæ obſtetricis, vaginam intempeſtivè ante aliquot ſeptimanas in partu loco ſecundinæ vi trahentis ac arripientis; ſanguinis tamen eruptionem non vidi, quam Rodericus à Caſtro & Primoroſius ſine ratione affirmant in tali procidentia, vaſis enim ruptis ſanguis non tam extra corpus, quàm intra abdomen profunditur, imò uteri fundum omnibus ligamentis ſolutis in aëre quaſi pendentem extravaſatus ille ſanguis pondere ſuo ita aggravat ac comprimit, ut prolabi neceſſitetur, nec niſi mentis impotem eundem negare poſſe crediderim: Vigeſima die durantibus adhuc deliriis acceſſerunt ſuffocationes uterinæ ac convulſiones ſummo cum tremore ob partium nervearum, membranoſarumque partim diſtenſionem, partim ruptionem, uterus à continua femorum alliſione, ac excrementorum contaminatione nimium quantum tumefactus, ab attritu & incubitu intertriginoſus ex livido rubens gangrænam minitabatur, cumque talis præcipitatio uteri totalis cum inverſione, imprimis in febri maligna utplurimum lethalis obſervetur, exiguam ſpem de ſalute ægræ hujus concepi, continuatis tamen bezoardicis, analepticis, travmaticis, uterinis ac nervinis, adhibui fotus emollientes ex rad. lil. alb alth Symph. Herb. ſanic. pariet. malv. cham. melil. verbaſc. ſeml. in. fœn. græc. in lacte coctos, uterumque clunibus elevatis, femoribus decuſſatis, poplitibus reflexis ac divaricatis per obſtetricem reponi, ac candela cerea ol. lil. alb. & momord. inuncta blandè intrudi curavi, reiteratis fotibus ac cataplasmatibus, impoſito quoque circu-

culo è ſubere confecto cerâ obducto, & pectini ac oſſi ſacro emplaſtr. contr. rupt. cum maſtich ſuccin. tacamah. galb lap. magnet. tandem vigeſima prima die, quæ utplurimum terminus eſt acutorum morborum, meliorem ſpem concepi, deliria tamen ad trigeſimum octavum duraverunt diem, parum vel nihil quaſi intermittentia, raro cum exemplo, trigeſima nona delyriis jamjam ceſſantibus, melius valere cœpit, & adhuc, laus ſit DEO, vivit, multum faſtidii verò ipſi cauſatus eſt decubitus longior, à quo excoriata quaſi fuit, multis partibus circa lumbos & clunes jam ſphacelatis, quibus ſcarificatis & ſeparatis, pedetentim totaliter convaluit, annoque ſequente concepit, & partum robuſtum adhuc viventem (imò ab illo tempore jam quatuor) in lucem edidit, & quod quàm maximè notandum, uterum menſibus inſtantibus non eminere extrorſum, ſed in centro ſuo ſemper jam contineri.

OBSERVATIO CXCV.

Dn. D. JOH. ADAMI GENSELII.

De

Procidentia Oculi dextri quoad totum.

FOemina 60. annorum, temperamenti cholerico-melancholici, patitur procidentiam oculi cum excreſcentia maxima & carne luxuriante; Lindenius in pathologia eandem negat, dicendo; ani procidentia eſt frequens, uteri minus, oculi minimè datur, & quamplurimi cum ipſo impugnant, verum oculatus ſum teſtis, manibusque hunc prolapſum palpavi oculum, cauſa verò hujus procidentiæ fuit contuſio, vel potius alliſio oculi ſat vehemens ad vitem ante ſeptem annos facta, ubi in principio ecchymoſis, effuſo extra ſphæram ſuam ordinariam ſanguine, obſervabatur cum rubore ac ſubſequente livore; ςάσις itaque hæc inducta auferenda, motusque inteſtinus ac progreſſivus ſanguinis vigorandus, ac elater partis affectæ roborandus fuiſſet, aſt incautus medicaſter Barbironſor quidam, loco diaphoreticorum, reſolventium, ac blandorum fotuum

discu-

discutientium, adhibuit in initio repellentia, & inter cœtera acetum rosaceum cum alumine, quæ eccentricum humorem magis adhuc fixerunt, collyria item nimis acria musculos corrodentia, tandem corrosis musculis oculus cum fragore prosiliit ac prôcidit, accedente sphacelo ac νεκρώσει plenaria, σάρκι irreparabili, neque ad suppurationem reducibili, unde paupercula necessariò fatis debuit cedere: factâ per me anatome, notatu dignum, quòd cranium tam in occipite, quàm syncipite pollicem viri crassitie adæquaverit; resciſſo oculo cum excrescentia sphacelata, inveni in cavitate oculi materiam nigricantem, tetrum spirantem odorem, quæ non tantum omnes musculos, tunicas ac humores, sed etiam ossa orbitaria nasi, item ac palati corrosit, cum totali carie.

OBSERVATIO CXCV.

DN. D. JOH. ADAMI GENSELII.

De

Pica virili seu appetitu inordinato rerum vitiosarum, & à natura humana alienarum, ac inedilium.

RElegiosus quidam Ordinis S. Augustini hydropota, temperamenti sanguineo-phlegmatici, à teneris unguiculis delectabatur comestione omnis generis absurdorum, ego his oculis vidi ipsum comedentem ex regno vegetabili, folia quercus, nucis &c. & promiscuè omnium arborum, virgulta abietis & betularum in copia, hyoscyamum quoque & cortices arborum, frumentum, urticas, cucurbitas, & cucumeres crudos, gummata ac succos arborum, ut tragacantham &c. & quis recenseret omnia illa absurda? ex regno animali comedit bufones, vespertiliones, araneas, muscas, cœcilias, cancros & pisces vivos omnis generis, imprimis vivas anguillas & Chikones dictos Hungaris, delectabatur quoque comestione millepedum & vermium, in summa omnium scarabæorum & reptilium. Ex regno minerali quoque multa absurda comedit, sulphur, cretam, vitra, calcem murorum & alia, immo vix non omnia

non comeſtibilia, ipſi fuêre eſculenta ſine detrimento, ordinarie uno hauſtu iteratis vicibus ebibit duas etiam tres medias aquæ, quatuor medias Caffée pro una vice, lac ad ſtuporem omnium cum commixtione fructuum & ſupra dictorum abſurdorum, ut adeò plùs quam pica guſtus iſte dicendus, & ſole meridiano clarius & hoc loco ſit: quod omnia, quæ agunt, non agant pro modo activitatis ſuæ, ſed pro modo receptivitatis archei & naturæ, ac pro varietate fermenti in ventriculo exiſtentis depravati, apti, nati tamen ad ſubigendum abſurda enarrata, quamvis appetitus animalis hoc loco aberret, & voluntas rationi, appetitusque ſenſitivus rationali prævaleat, vitiatum quoque regimen & conſvetudo (quæ etiam hic altera natura) multum ad hoc contribuant, ne ab aſſuetis fiat paſſio.

(*Sopronio Auguſtam Vind. miſſa An. 1711. d. 12. Decembr.*)

OBSERVATIO CXCVI.

Dn. D. LAURENTII HEISTERI.

De

Cataracta & de mira Paralyſi.

Sicut culter anatomicus multorum morborum veras detexit cauſas proximas, atque praxin medicam pariter ac chirurgicam ad multo majorem perfectionis gradum, quam quo olim erat, evexit; ita & hoc nunc accidit in affectu quodam oculorum, qui vulgo cataracta vel ſuffuſio, Germanis der Staar in den Augen/ dici ſolet, quando nimirum mox retro pupillam alius color quam niger apparet, cum viſu abolito.

Hujus mali cauſa hactenus habita eſt humoris aquei in membranam vel pelliculam concretio, quæ pupillam occludens radiorum ingreſſum ad retinam impediendo ægros tales cœcos efficit.

Hæc vero theoria, quoniam cauſſa erat, ut multa inania figmenta in praxin inducerentur, acus ſcilicet variæ & volſellæ ridi-

ridiculæ, aliaque instrumenta, quibus supposititiciam illam membranulam nunc circumvolvi melius, nunc deprimi, nunc penitus extrahi ex oculo posse perhibuerunt; merito nugis talibus & similibus è praxi medica ac chirurgica expellendis ejiciendisque, Viri nonnulli clarissimi in Gallia sedulam navarunt operam, ut sic & theoriam hujus morbi clariorem, atque curationem efficerent certiorem.

Latuit autem tamdiu cataractæ vera cognitio, quoniam ex negligentia quadam, ut videtur, Chirurgorum ocularium pauciſſimi oculi illo morbo laborantes dissecti fuerunt, hinc tantum ab externe apparentibus phænomenis judicarunt: cum autem externa signa facile fallant, nisi simul res penitius examinetur, propterea tamdiu in cognitione hujus affectus erratum esse existimo.

Postquam autem ab aliquot annis oculos cataracta laborantes diligentius dissecare & examinare cœperunt, humorem sive corpus crystallinum constituisse cataractam invenerunt, nullam vero pelliculam in humore aqueo, sicut hactenus operatores crediderunt omnes.

Hæc sententia quamvis non penitus nova, sed jam ante sexaginta circiter annos nonnullis innotuerit, scilicet, quantum mihi constat, inter Gallos Petro Borello, inter Germanos vero celebri illo Anatomico Guernero Rolfincio, sicut in dissertatione nostra nuper *de Cataracta* habita annotavimus, attamen quoniam interea hæc sententia ob præjudicatam opinionem fuit neglecta, & sic oblivioni rursus tradita, à paucis annis in Gallia instaurari, plurimisque experimentis confirmari cœpit, inprimis à Cl. viris Brissaeo & Antonio Maitre-Jan, sicut scripta illorum & Hist. Acad Reg. nos edocent.

Cum igitur Anno 1709. Bruxellis in Nosocomio castrensi Ordinum Belgii Fœderati, in quo tunc Medicus eram constitutus, occasio & mihi tale subjectum offerret, militem scilicet, qui perfecta laborabat cataracta, mox aliquot horis post obitum ejus, oculum affectum caute, quantum potui, dissecavi, nihil-

que vitii in oculo hoc deprehendi, quam corpus seu lentem crystallinam opacam, margaritæ æmulam, nihil vero membranacei vel concreti in humore aqueo conspicere licebat: ita ut & hoc exemplum, una cum multis aliis in dissertatione nostra memoratis, opinionem veterem de pellicula impugnet, recentem vero probet atque confirmet. Unde concludo; etiamsi cataracta externo spectatori sub pelliculæ forma appareat, tamen talem non esse, quoniam, quotiescunque oculus talis apertus est, nullam hucusque pelliculam, sed semper lentem crystallinam opacam invenerunt, similem prorsus colorem referentem, quem suppositicia veterum membranula ante oculi apertionem habebat.

Si anatome comparativa unquam aliquid boni in Medicina præstitit, & veritatem aliquam detexit vel confirmavit, certe eam hic loci id præstare quoque posse existimavi, cum canem viderem, cui pupilla penitus erat opaca; accuratius illius oculum inspiciens, veram cataractam adesse facile cognovi, cumque eum dissecassem, idem inveni, quod in oculo illius militis, nullam autem pelliculam.

Alius adhuc hic Altorfii adest canis, jam à biennio ex utroque oculo cœcus: hunc cum multi Studiosi mecum examinassent, veras cataractas adesse omnia signa nobis persuadebant; sed cum animal hocce domino suo tam carum, aperire illud hucusque non licuit; color vero, convexitas, & situs manifesto docebant, lentem crystallinam constituere utramque hanc cataractam.

Denique cum ante bimestre spatium ordinariæ cataractæ operationem in viro ultra sexaginta annos nato, præsentibus multis spectatoribus perfecissem, illi mecum observarunt cataractam hanc unico acus ictu descendisse ad fundum oculi, quod ratio comprehendere vix potest de pellicula satis firmiter hinc inde adhærente, quomodo scilicet illa uno acus ictu submergi possit, & cur non potius in multa dilaceretur frustula, priusquam ita deprimi possit: Cum autem lens corpus sit satis solidum,

dum, & haud adeo firmiter cohæreat cum partibus adjacentibus, mirum non est eam facile ex naturali sua sede deturbari posse. Ex dictis facile constat, lentem crystallinam in operatione cataractæ, non pelliculam quandam, submergi, id quod Brissæus & Maitre-Jan demonstrarunt & evicerunt.

Objiciunt autem nonnulli adversarii novæ sententiæ viri quamvis alias satis egregii, hunc morbum non cataractam, sed glaucoma vocandum esse, nam ubi pellicula, ibi tantum cataractam adesse ajunt, sed quando lens crystallina affecta, tunc malum dicendum esse glaucoma: Verum si boni illi viri perpenderent omnia illa facta experimenta à supra laudatis viris, ubi ipsis operatoribus exercitatissimis fatendum erat cataractam veram, id est talem morbum, qui semper pro cataracta habitus est, adesse, tamen postea semper vitium in lente, nondum in humore aqueo repertum esse. Igitur secundum adversarios cataractæ illæ omnes pro glaucomatibus essent habendæ, quod ridiculum, cum omnium scriptorum & operatorum consensu glaucomata sint rarissima, vel saltem multo rariora quam cataractæ, qui igitur fieret, ut nunc mera glaucomata, nullæ vero cataractæ reperirentur? deinde si significationem vocis respicimus, adversarii contradictionem in adjecto committunt. dum cataractas illas omnes, quæ vel albicantem margaritæ colorem, vel flavescentem habuerunt, glaucomata vocare volunt, nam glaucus colorem notat virideſcentem aquæ marinæ similem, hinc si cataracta talem colorem refert, tunc glaucoma vocari poterit, & sic pro specie cataractæ illud agnosco, colore glauco à vulgari differens: à qua opinione nec ipse Celsus abludit, qui cataractæ meminit coloris aquæ marinæ L. VII. cap. 7. Qui itaque vocem glaucomatis intelligit, ille sane cataractas memoratas pro glaucomatibus habere non poterit.

Quæ præterea adhuc dubia contra novum hocce cataractæ systema objiciuntur, brevi in peculiari dissertatione excutere conabimur; Et ne quis existimet hanc novam doctrinam in sola

speculatione subsistere; nihilque boni in praxi promittere, commoda, quæ ex ea oriuntur, simul demonstrabimus.

* * *

Idem ille vir, in quo cataractæ operationem perfeci, præter alia mala, illud adhuc habet singulare, quod in dextro brachio vim movendi fere nullam habeat, sed tanquam inutile pondus de trunco dependeat, attamen accuratissime sentiat. In pede dextro vis motrix quoque aliquo modo læsa est, incedere tamen adhuc potest, quamvis hic pes minus mobilis sit quam sinister. Contra in sinistro brachio & pede facultas movendi integra est atque illæsa, sed quod mirum omni sensu destituta sunt: Ita ut qualitates tactui subjectas distinguere nullo modo queat; imo sive membra hæc lateris sinistri aquæ calidæ sive frigidæ immergantur, nullam percipit differentiam; Neque ignis dolores, neque sævissimæ hyemis experiuntur molestias. Comburi quidem potest cutis ab igne vel aqua fervente, attamen nullus caloris sensus excitari. Præterea secari potest, punctura sque acicularum impune fert sine sensu doloris. Miratus sum præter hæc, cum aliquando festucam sive spinam casu circa unguem pollicis manus suscepisset; tamen sine dolore vel alio graviori superveniente symptomate brevi rursus vulnus consolidatum est, unde tamen alias acerbissimi oriuntur dolores.

Quæritur jam quomodo hæc phænomena mirabilia explicari queant? Ego salvis aliorum opinionibus sic sentio: Observantur nervi in extremitatibus & præcipue in brachiis, qui fere soli & toti in cute tanquam tactus organo terminantur, nullum vel paucum saltem commercium cum musculis habentes. E contrario alii sunt nervi, qui integri in musculos (qui motus sunt instrumenta) impenduntur: Sic ut ab his obstructis, vel quocunque modo in officio impeditis immobilitatis, ab illis vero insensibilitatis caussa commode deduci posse videatur. Ubi vero utrumque hoc nervorum genus læsum est, ibi & sensum & motum aboleri & perfectam fieri paralysin existimo.

Dn. D.

OBSERVATIO CXCVII.
DN. D. LAURENTII HEISTERI.
Homo pilis omnibus destitutus.

CUm An. 1710. Londini in Britannia degerem, D. Meurerus Med. Doctor & Practicus Londinensis, præter varia Urbis Londinensis rariora & memoratu digna, quæ variis Germanis, & inter hos & mihi monstravit, occasionem quoque suppeditavit hominem quendam quadraginta quasi annorum videre, & cum eo per horam unam vel alteram versari, qui à decennio circiter omnes totius corporis amiserat pilos, nullo notabili prægresso morbo; ita, ut ne vestigium capillorum observari liceret, non solum in capite, sed etiam in barba, imo cilia atque supercilia penitus deficiebant, & ut referebat. nullos etiam crines neque sub axillis neque circa partes obscœnas habebat, sed calvus & glaber ubique erat, cum tamen ante decennium, ut alii homines, pilis ubique esset ornatissimus.

Homo cæteroquin bene valebat. Causam vero hujus phænomeni curiosis rerum naturalium indagatoribus inquirendam relinquo.

OBSERVATIO CXCVIII.
DN. D. LAURENTII HEISTERI.
Observationes Anatomicæ variæ.

CUm mense Novembr. An. 1711 cadaver cujusdam malefici publico in theatro dissecarem, intestina tenuia variis in locis rubicunda admodum & inflammata se offerebant, sic ut arteriæ intestinorum minutissimæ sanguine tum eleganter essent repletæ, acsi Ruyschiana artificiosa methodo ita essent præparatæ.

Postquam deinde situm intestinorum crassorum demonstrare vellem, processus vermiformis intestini cœci p. n. nigricans apparebat, ac solito firmius arctiusque cum peritonæo erat concretus: A quo cum leni tractione eum separare vellem,

ruptæ sunt membranæ hujus processus, & pus ad quantitatem duorum vel trium cochlearium effluxit. Hoc exemplum docet in intestino cœco & processu vermiformi fieri posse inflammationem & abscessum. Æger hic dum viveret, sine dubio sævos expertus est dolores; in tali autem casu egregie conducerent clysmata ex emollientibus cum lacte cocta, sæpius applicanda, quoniam clysmata eousque pertingere possunt, & partim blando suo calore, partim emollitione efficiunt, ut inflammatio vel discutiatur, vel abscessus in cava intestinorum rumpatur, ut pus sic per alvum evacuari possit.

II. Cum mense Decembri ejusdem anni operationes chirurgicas spectatoribus in alio cadavere demonstrassem, quod in Nosocomio Norimbergensi ex convulsionibus erat mortuum, musculos abdominis ita introrsum tractos reperi, ut dum abdomen circa umbilicum tangeretur, non cederet, sed mox duricies ossea sentiretur, quod adstantes in admirationem traxerat, sciendique avidos effecerat, quidnam illud esset. Aperto abdomine mox vidimus lineam albam cum musculis rectis abdominis proxime incubuisse aortæ vertebrisque lumborum, omniaque intestina, quæ alias inter lineam albam & vertebras interiacent, pressa erant partim in pelvim, partim ad latus utrumque abdominis, prorsusque aëre erant exinanita, ut sic eo facilius in tam angustis spatiis coërceri potuerint.

In hoc subjecto, dum viveret, sine dubio pulsus arteriæ magnæ sentiri potuit, digitis umbilico applicatis; sicut etiam percipi potuit in rustico illo Stolvicensi prope Roterodanum, qui ob præternaturalem somnum, quem dormiverat, tot in Hollandia rumores ante quinquennium excitaverat, & ob hanc causam vulgo *de Slaapende Boer tot Stolwyck* dictus est: In quo abdomen etiam ita erat introrsum tractum, ut aortæ pulsus prope umbilicum digitis percipi potuerit.

Mirandum vero erat in hoc nostro subjecto, mesenterium distractum & elongatum. Denique quam mirabiles mutationes à convulsionibus in corpore nostro fieri possint, ex hoc exemplo constat.

III. Notum

III. Notum est ex anatomicis tres ordinario in homine esse *ramos arteriæ aortæ ascendentes*: In brutis plerisque duo tantum sunt; Rarissimum autem est *quatuor videre ramos* aortæ ascendentes, quale tamen cor quondam in cadavere duodecim annos nato reperi, & adhuc hodie cum annexis his ramis, ceromate repletis, in spiritu vini conservo. Duo horum rami carotides arterias, reliqui duo subclavias constituunt, atque quilibet ramus distincto principio ex arcu aortæ surgit.

In eodem subjecto duplicem susceptionem seu volvulum in intestinis tenuibus, diversis in locis inveni, atque intestina hæc lumbricis erant repletissima. Unde colligo volvulum & passionem iliacam à lumbricis quoque oriri posse, quod in praxi notatu dignum esse existimo, præsertim si juniora tractamus subjecta.

IV. Dum hæc scribo mense Januar. 1712. in dissectione vituli monstrosi bicipitis occupatus sum, qui mortuus è matre prodiit. In hoc dum vasa umbilicalia præparo, observo ortum arteriarum umbilicalium longe esse diversum ab eo, qui est in homine: in hoc enim oriuntur ex iliacis, in illo vitulo autem ex ipso trunco aortæ, attamen ex parte ejus inferiori prodeunt. Præterea arteriæ umbilicales calami scriptorii mediocris tantum crassitiem æquabant, vena vero umbilicalis pollicem facile admittebat

Urachum ad umbilicum usque pervium reperi, quod in fœtu humano nunquam observare potui, quamvis Amstelodami multos fœtus humanos, partim præsente Celeb. Ruyschio, venerando meo Præceptore, partim præsentibus aliis dissecuerim; idcirco etiam *tunicam allantoidem* in homine qualem vulgo describunt, ens rationis esse existimo, quamvis nec in brutis de illius existentia penitus sim persuasus, quoniam id quod oculi mei non vident, haud adeo facile credo: nam nullus eorum, quos secare vidi, (præcipuos tamen Belgii Anatomicos vidi secare) hanc tunicam mihi demonstravit; imo ipse sæpius in eam inquisivi, & adhuc hic Altorfii ultimo vere ovem gravidam

vidam aliquot diebus ante partus tempus aperui, præsentibus multis Medicinæ studiosis, at omni licet adhibita diligentia in ove, utero, chorio & amnio aperiendis, talis tamen tunica allantois, qualis à Bidloo, Needhamo, Verheyeno aliisque depingitur, in conspectum non prodibat.

Igitur & hujus tunicæ meliorem demonstrationem & descriptionem ab illis, qui eam statuunt, desidero. In brutis quidem eam non penitus nego, sed tantum dico me hucusque non fuisse adeo felicem, ut eam vel videre ab aliis, vel ipse invenire potuissem.

OBSERVATIO CXCIX.

Dn. D. GODEFRIDI THOMASII.

De

Cataracta & Glaucomate.

REstant duo in hujus telae contextu stamina perficienda, cui ministerio cum hunc calamum velit operari ὁ χαριέστατος καὶ πολλῶν ἀνταξιος ἄλλων Ephemeridum nostrarum *Director*, non defugiam sane laboris modici officium, ne, si defugerem, neglectae reatum incurram amicitiae, quae cum Viro doctrina ac meritis longe celeberrimo, meique cumprimis amantissimo intercedit plane singularis, nec unquam, per annorum plus quam viginti cursum, reconciliata, aut in conjunctissima hac studiorum ac mentium unione, ullo pacto reconciliabilis. Argumentum scribendi non esse videtur de longinquo arcessendum. Egregiae de rebus anatomicis observationes, quas modo exposuit dignissimus Magni *Jo. Mauritii Hofmani* in Theatro Altorfino Successor *D. Laurentius Heisterus*, amplissimum heic aperirent campum in professorias amœnitates exspatiandi, nisi spatiis angustioribus concluderentur termini huic scriptioni jam praefiniti. Liceat igitur saltim iis inhaerere nonnihil, quae de cataractae natura ac vero habitu ex recentissimis apud Gallos disceptationibus fuere consignata.

Prin-

Principio haut adeo difficile reor, ſententiae, quae glaucomata lentis cryſtallinae cataractarum ſpecie utplurimum illudere demonſtrat, incunabula ex veterum in arte magiſtrorum, & qui hos ſunt inſequuti, ſcriptis educere. Illud vero conſtat omnino, diutius inter ocularios, Gallos praeſertim, fuiſſe dubitatum de pelliculis iſtis ſolidioribus, quae tanquam vela humoribus obducta cataractarum nomine inſigniebantur; nec quae poſtea de cryſtallini coagulo, ejusque non adeo requirenda amplius ad viſum neceſſitate comperta ſunt, illis penitus fuiſſe incognita. Inde ſine dubio *Borellus*, *Gaſſendus*, & poſt hosce *Roaltus* acceperint, hypochymata eſſe cryſtallinae lentis, quae vulgus cataractus eſſe exiſtimat. Ipſe quoque *Rolfincius* eorum, quae in Diſſertationibus Anatomicis ea de re habet, partem a populari & Profeſſorio muneris ſocio, *Paulo Marquarto Slegelio* videri queat accepiſſe. Fidem facit hujus ad *Caſp. Hofmanum* Jena MDCXXXIX. a. d. XV. Kal. Mart perſcripta epiſtola, quam officioſae humanitati debemus Collegae Excellentiſſimi *D. Frid. Jac. Brunonis* amicorum integerrimi atque aeſtimatiſſimi. Non invidemus lectionem cumprimis memorabilem curioſis hujusmodi deliciarum aeſtimatoribus. *Lumen a me in ſuffuſione quaeris*, ita ad veteranum artis magiſtrum Slegelius, *quod negligenter hodie ab illis contemnitur, qui de internis morbis ſolum ſolliciti ſunt. Cataractæ depoſitoribus frequenter adſtiti; eorum diſputationes, inprimis Pariſiis, cum voluptate audivi, immo ſuffuſione laborantium oculos accuratiſſime diſſecui, & obſervavi plures ſuffuſionum ſpecies ab auctoribus quidem deſcriptas, ſed peſſime; neque enim partem affectam neque cauſſam continentem bene diſtinguunt: Nunquam enim haec membrana concreſcit inter uveam & corneam, ſiquidem ibi firmari non poteſt, & uvea corneae quam proxime conjungitur; ſed inter uveam & cryſtallinam, vel potius inter cryſtallinam & corneam, cum uvea corneae proxime adſtet, & aqueus humor occupet illud ſpatium, quod inter corneam & cryſtallinam intercedit. Hic humor ſuffuſionis materiam excipit, aliquando per omnem*

omnem humoris partem diffusam, tumque cataracta dicitur vel immatura a chirurgis, vel illegitima, id est ineptaquae acu deponi possit, haecque oculis nostris apparet vel plumbea, vel nigricans, vel lutea, vel obscura, quam etiam oculariі nunquam curandam suscipiunt. Ingeniosissimus Galliae Chirurgus canmula acuminata in pupillam intrusa turbidum hunc humorem exsugebat, ut natura pellucidum huic substituens, visum sensim restitueret, hoc enim humore licet profuso visus non perit. Aliquando annorum serie in membranam concrescit immediate crystallino obtensam, haecque est albicante colore vel subcoeruleo: dissinguitur ab ocularіis per motum pupillae vel uveae tunicae. Clausis enim & compressis palpebris, & iis denuo subito deductis observant, an pupillae contractione albicans cataracta imminuatur & dilatatione augeatur, hancque maturam & curationi aptam judicant. Vides caussam, quia veram membranae consistentiam possidet, quae acu apprehendi potest. Si ea tamen esset ante uveam, pupillae contractio & dilatatio observari non posset. Et quis tentaret membranam acu auferre ante uveam concretam sine uve e dilaceratione, quae mobilis & omnium subtilissima? Addo quod Chirurgi non tantum duram, sed & uveam, vel simagis placet, chorioidem, immo vitrei humoris latus in operatione transeant, acumque protrudant secure ad ipsum crystallinum humorem, eique obductam membranam ibi apprehendant. Haec mihi non lectio, sed experientia suppeditavit; oculato testi credas, ut oculario, qui hanc operam mihi dari quotidie opto &c.

Fragmentum, tametsi prolixiosculum, legisse ne pigeat, cum inde πρῶτον ψεῦδος facile colligatur, quod virum oculatissimum & rei anatomicae maxime peritum detinuit a cognitione veritatis, quae nunc clarius videtur exposita. Eorum, qui suffusione laborarunt, oculos sibi sectos asseverat, in quibus aliquid membranaceae concretionis observaverit, lenti crystallinae praetensum. Turbamentum istud credas aquei humoris, a suffusione factum, a morte etiam tenacius redditum, huic pariter atque ceteris falsa specie imposuisse, ut membranam existimarent.

rent id, quod acus ministerio deponitur, cum ex anni MDCCIX. historia Acad. Reg. scientiarum appareat, in omnibus oculorum, qui cataracta affecti credebantur, sectionibus, crebrius hanc ob caussam institutis, nihil quidquam pelliculosi, sed vera semper glaucomata glacialis crystalli, ob lentorem suum in coagula proni, fuisse reperta, ut adeo res ipsa jam ex multiplici experientiae documento pro judicata debeat reputari. Rarissimum, & vix alicui, praeterquam *Mayernio* observatum existimo, cataractam plurium annorum, pro confirmatissima habitam, una nocte penitus evanuisse sua sponte, crystalli sine dubio opaci spissamento e sede sua ad inferiora oculi semoto. Suffusionum autem, quarum complementa cataractas dixeris, medicandarum ratio planius nunc procedit, & clarius etiam per aevi nostri anatomicorum sollertiam intelligitur, ductibus oculorum aquosis repertis, qui laticem continuo intra tunicarum alveos deponant, ipsoque humorum ocularium motu circulari, quem incomparabilis *Ruyschii* industriae debemus, non amplius obscuro. Fel lucii piscis instillatum commendat *Jo. Scultetus*; expressum e millepedibus succum *Boyleus*. Mihi viperarum pinguedo praeclaram aliquoties opem tulisse visa dissipandis oculorum tenebris humorumque in vappam abeuntium purgamentis resolvendis, praesertim ubi fotus e columbinis pullis per medium discerptis accesserat.

OBSERVATIO CC.

DN. D. GODEFRIDI THOMASII.

De

Aquilae usu in medicina.

AQuilae mira in visu acies; eius fel prae ceteris amarum & lixivo sale turgens nebulis oculorum discutiendis iam a *Galeno* fuit commendatum. Nuper cum id praesto esset, euphrasiae stagmate dilutum instillavimus oculis octuagenarii, qui caligine inde pulsa mox rectius & acutius coepit videre. Pinguedo Aquilae, candore insignis & penetrandi vi, brachio luxato

xato adhibita, dolorem cum tumore ſedavit, nervisque robur intulit; In alio etiam tali pernionibus illita, moleſtum ſuſtulit ardoris ſenſum & fiſſuras conglutinavit. Uberius, quae ad hoc argumentum faciant, deduxit *Aldrovandus*. Nobis haec iam pro tempore ſuffecerint. Oportunitatem experimenta iſthaec capiendi fecerat aquila, paucis diebus ante Caeſaris Auguſti adventum in hanc urbem globo traiecta. Quae avium regina cum rariſſime in noſtro tractu conſpiciatur, feſtivum omnino & boni ominis pleniſſimum populis dedit ſpectaculum. Erat ex nobiliſſima ſpecie Chryſaëtorum, & trium praeter propter annorum aetatem attigiſſe a venatore exiſtimabatur. Noſtra civium plauſibus ſociata pietas, & votivis acclamationibus iam tum declarata, nunc etiam fauſtiſſimi ominis augurium laetabunda recolit, & hoc tanquam fulgenti aëtomate coronandos putat hos obſervationum ducenarios. Faxit Divinae Providentiae nutus, ut, quae felicisſima obtigere, Imperii auſpicia eventus porro trahant ad ſaeculi admirationem & invidiam adverſariorum fortunatos, orbique pacem aliquando referant ac tranquillitatem! Sic in exſuperantisſima CAROLI MAXIMI Majeſtate fides erit veteri, quod eſt apud *Ariſtophanem*, oraculo:

ΑΙΕΤΟΣ ΩΣ ΓΙΝΕΙ ΚΑΙ ΠΑΣΗΣ ΓΗΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣΕΙΣ.

APPEN-

APPENDIX

Ad

EPHEMERIDVM ACADEMIAE CAESAREO-LEOPOLDINAE NAT. CVRIOSORVM

in

GERMANIA

CENTVRIAS I. & II.

NORIBERGAE, Sumptibus Academiæ.

Literis Melchioris Gottofredi Heinii.

Mo.Bot.Garden,
1902.

CONTENTA APPENDICIS.

1. *Conſtitutiones Epidemicæ Germaniæ. p.* 1.
2. *De Frigore hyemali A.*1709. *D. Bajeri & D. Ramazzini. p.*78.
3. *Epiſtola D. Ramazzini de cauſa adſcenſus & deſcenſus Mercurii in fiſtula Torricelliana. p.* 92.
4. *D. Schelhameri Notata ad hanc Epiſtolam. p.* 98.
5. *Ejusdem anatome Xyphiæ piſcis. Item Lumbi & Ophidii. p.* 110.
6. *D. F. B. de Wenkh de tempore, quo Anima rationalis humano corpori infundatur. p.* 130.
7. *D. A. Pachionii diſſert. de Glandulis duræ meningis. p.* 139.
8. *D. A. Vallisnerii de Ovario Anguillarum. p.* 153.
9. *Ejusdem de Lenticulæ paluſtris ſemine & vegetatione. p.* 166.
10. *D. G. Dethardingii continuatio Paralleliſmi. p.* 185.
11. *D. R. Lentilii Paralleliſmus. p.* 200.
12. *D. P. P. a Sangallo Experimenta circa culicum generationem. p.* 220.
13. *D. G. Kergeri Epiſtola de Surdo-mutorum cura. p.* 233.
14. *Realis de Vienna meditatio de Gravitatis & cohæſionis cauſa. p.* 239.
15. *D. M. F. Lochneri Schediaſma de Parreira brava. p.* 243.
16. *D. E. R. Memoria Wurfbainiana. p.* 306.
17. *Vindiciani Elogium D. Georgii Franci de Frankenau. p.* 323.
8. *D. F. B. de Wenkh Memoria Griendeliana. p.*

CONSTITUTIO EPIDEMICA AUGUSTANA

Anni 1701. *& sequentium*,

Dn. D. LUCÆ SCHRöCKII.

Licet initium Anni 1701. frigidum comparuisset, triduo tamen post mitior aëris temperies, sub mutabili ventorum, Zephyri tamen prævalentis, crebrioresque nives, subinde verò etiam pluvias adducentis flatu, excepit, usque dum ante, & circa Æquinoctium vernale magis constantem serenitatem Eurus largiretur; paulò post ventis priorem inconstantiam resumentibus, hyememque protractiorem, quin & gravem terræ siccitatem circa Solis in Tauri signum ingressum, cum sensibili frigoris molestia, sereno quidem cœlo, producentibus, ut Cereris etiam, Pomonæ & Floræ sinus tardius panderetur, atque Maji principium vernalis amœnitatis parum ostenderet, quæ postea eo largior comparuit, atque, Gemellorum signum cum Sol occupasset, aërem multum delinivit, & in tantum calefecit, ut, ni Zephyrus, Euronotus, & Auster subinde pluvias interspersissent, nimia siccitate, præcipue quia ventorum perpetuus quasi motus continuabat, terra plurimùm laborasset. Interea prior morborum in Anno prægresso observatorum facies continuavit, quam itaque depin-

depingere ſuperfluum foret, Variolarum pùta, Febrium petechialium, Tuſſisque humidæ; in menſe Februario inſuper, duobusque eum excipientibus, Pleuritides veræ, in ſuppurationem abeuntes, ſed diligenti pectoralium & diaphoreticorum temperatorum uſu, ſine etiam venæſectione, curabiles acceſſerunt; quibus in nonnullis M. Aprili, cum morbus jam in decrementum vergeret, nova febrilis efferveſcentia ſupervenit, cum eruptione per totum corpus puſtularum aquearum, majus periculum minitantium, ægrotis tamen per continuatam alexipharmacorum blandiorum adhibitionem intra primum, quandoque ſecundum octiduum reconvaleſcentibus. Menſe Majo & Junio, præter dictas puncticulares, (quæ jam ſine magna præcordiorum oppreſſione, cum horrore, laſſitudine, lumborum, nuchæ, & capitis dolore utplurimum ingruebant,) purpuratæ etiam febres teneriorem inprimis ætatem, non admodum periculoſe invaſerunt; nec melancholici inſultus maritalis feminis, menſtruis quidem rite ſe habentibus, infrequentes fuerunt, venæſectione quidem mitigati, paulò poſt tamen recidivi facti, acidularum verò martialium potu curati.

Poſt Solis ingreſſum in Cancri ſignum crebriores primò pluviæ, poſtea cum plurimarum tempeſtatum graviorum impetu, calores, circa caniculares inprimis dies intenſi, & qui ad Æquinoctium autumnale usque, paucis frigidiuſculis diebus intervenientibus, continuabant, fuêre notati; quo tempore frequentia morborum defuit, niſi quod ibi ob tranſpirationem fortaſſe ab aëre humidiore & frigidiuſculo nonnihil cohibitam, Febres quotidianæ, poſt exiguum horrorem intenſiori calore invadentes, & facile curabiles, hîc ob ſanguinem aëris calore nimis rarefactum Febriculæ ſcarlatinæ, ſine magno corporis æſtu aut gravibus ſymptomatibus, ſed levi ſaltem præcordiorum compreſſione præcedente, non minus brevi & ſponte quaſi ceſſantes obſervarentur. Alii autem, quibus probabiliter lympha viſcidior in ſanguine erat, non maculis iſtis pingebantur, ſed puſtulis albicantibus, majoribus minoribusve, cum interſperſis quandoque

doque veſiculis parvis limpidis, pruritu comite tandem exſiccatis ac in ſquamulas ſecedentibus, per totum corpus, ſine vitæ periculo, & prævio non admodum intenſo calore, onerabantur. Nec infrequentes erant Diarrhœæ, quibus interdum, ſed rarius Dyſenteriæ ſuccedebant, ex negligentiori, ut mihi videbatur, corporis ab aëre externo cuſtodia, & liberaliori potus ingurgitatione, hincque ſtomachi tono labefactato ſubortæ, quæ etiam facile, vel ſolius rhabarbari cum terra ſignata, aut coralliis rubris mixti uſu, vel inſuper Eſſentia catechu, lenibusve aliis adſtringentibus & ſtomachicis abſorbentibus curabantur. Plurimos etiam Odontalgia correptos licuit conſpicere, quæ licet rarius Medicorum conſilio exponeretur, quantum tamen dijudicare valui, ex eadem ventriculi imbecillitate, & chyli vel lymphæ crudioris circa dentes ſtagnatione excitabatur. Erant inſuper, feminæ præſertim, quas ſiniſtræ axillæ intenſus dolor, ſine tumoris vel inflammationis indicio excruciabat, periodice utplurimum & circa veſperam recurrens, cujus radicem circa ventriculum pariter hærere, tum notatæ ibidem, inprimis ſiniſtro in hypochondrio moleſtiæ, tum ſalutaris curandi ratio conjecturari faciebant: credidiſſem, chylum viſcidiorem & crudiorem, per ductum Pecquetianum ad venam ſubclaviam ſiniſtram delatum, & cum obvio ibi ſanguine permixtum, agitationem præternaturalem ibi excitaſſe, partesque illas dolorificè hac ratione diſtendiſſe, niſi dextrum humerum in femina quadam idem malum tunc occupaſſe notaſſem, cum inſolitam ductus illius ad partem dextram declinationem ſine urgentiori cauſa hîc fingere non audeam; quamvis in eadem rheumaticum potius adfectum ſubfuiſſe credere malim, præſertim cum dolor ille dicto modo quidem intenſior per intervalla redderetur, nunquam tamen planè intermiſerit, ac tandem brachii tumor ſupervenerit, diaphoreticorum, emplaſtri oxycrocei, & laconici coriarii uſu omninò ſublatus. In cæteris repetitus leniter evacuantium & humores corrigentium, præſertim acidularum martialium uſus profuus exſtitit; remedia autem externa nullum levamen dederunt.

Eandem chyli & lymphæ vitioſæ in ſtomacho nidulantis labem Febres quotidianæ epidemice, incerto quandoque paroxysmi tempore invadentes teſtabantur; quæ nullo prævio horrore, magna præcordiorum ad oppoſitam in dorſo regionem ſe extendente oppreſſione, & nullo ſenſibili, vel tolerabili ſaltem excipiente calore, infeſtæ erant, atque propinatis, pro exigente neceſſitate, emeticis, vel repetitis laxantibus & abſorbentibus, amaricantibus, abſinthio, chinchina &c. curabantur.

Poſt Æquinoctium autumnale primò aëris ſerenitas & ſiccitas continuabant, mox pruinæ, nebulæ, d. 17. & 18 Octobr. copioſæ nives, pluviæ poſtea, & venti modò ex hac, modò ex alia mundi plaga, inprimis ex ſeptentrione frequentius irruentes comparuerunt; Sol autem ubi ad Scorpionis ſignum pervenit, denuò per aliquot dies ſerenitatem, terræque ſiccitatem conciliavit; variâ dein aëris temperie, utplurimum tamen auſtrinâ ſubſequente; & cum aër parum à ventis jam agitaretur, vapores in eo hoſpitantes parce diſpellebantur; unde iidem corporibus humanis copioſiores communicati variis ægritudinibus producendis patrocinabantur; hinc non tantùm Variolæ iterum ſe exſerebant, Pleuritides veræ, atque Febres continuæ, catarrhales magno cum æſtu, cephalalgia & tuſſi, pueros æque ac maturiorem ætatem invadentes, nec, ubi debite tractabantur, letales ſubortæ, ſed frequens etiam Catarrhorum cohors, Coryza, Odontalgia, Raucedine, Tuſſi infeſta Urbi incubuit. Muliebris ſexus non minus habuit, de quo ſpeciatim conquereretur, uteri nimirum hæmorrhagia, cui non gravidæ ſaltem, ultimis præſertim duobus graviditatis menſibus, ſed aliæ quoque plures obnoxiæ erant; quem ſanguinis orgasmum non commodius quàm abſorbentibus martialibus &c. uti hæmatite, croco Martis adſtringente, item bolo Armena, coraliis rubris &c. haud neglecto, ubi opus erat, pauco opii additamento, ſedatum expertus ſum. Memorari etiam merentur Apoplexiæ crebræ, utplurimum exitioſæ: memini egregium quendam virum mihi aliquando narraſſe, quod jam olim fuerit obſervatum, poſt crebriorem aquilonium flatum Apoplexias

plexias frequentes hîc contigiſſe: neque admodum in dubium id vocare vellem, cum ab illo vento neſcio quæ atomi impuræ nobis inferantur; id quod civem quendam noſtratem induſtrium non latet, qui ceræ dealbandæ in horto ſuo Boreæ multum expoſito operam navans, eandem infeſta flavedine ab eo infici notavit; unde quamprimum ſpirare eundem obſervat, ceram ſtudioſe regere, media etiam, ſi is tum ingruat, nocte properat, quem in finem machinulam artificioſam excogitavit, quæ à vento hoc commota ſomnum excutiat. Ubi in memoriam mihi revoco, quæ noſter quondam Æſculapius, Phil. Hôchſtetterus, in Scholio ad Dec. 4. obſ. med. caſ. 1. protulit, ubi urbis noſtræ deſcriptionem exhibens, Zephyrum ex depreſſis & alicubi paludoſis Marchionatus Burgavienſis locis inquinamenta ſecum rapere & huc advehere ſcribit; quæ ſane de Borea quoque nobis, & non minori jure pronunciare licet, qui ex locis humidis Danubio proximis putridas particulas abripere, atque in capita noſtra effundere valet.

Tandem cum circa menſis Decembris principium Zephyri impetus major denuo inſurrexiſſet, d. 10. eundem Eurus compescuit, frigore, creberrimisque nebulis, quibus præſertim à d. 17. usque ad d. 23. Decembris continuis Civitas obtecta fuit, ſtipatus, usque dum circa finem anni Zephyro-Boreas ſuccedens auram tolerabiliorem redderet, niviumque crebritate colophonem imponeret. Quo tempore, præter memoratas Pleuritides, Variolas & Febres continuas, in pueris etiam quotidianæ Febres, tuſſi humida & cephalalgia graves, nec non Icteri, in adultis autem malignæ petechiales, utplurimum puſtulis limpidis miliaribus poſt macularum eruptionem comparentibus, comitatæ obſervabantur: hæ in principio poſt horrorem laſſitudinemque, tolerabili calore, intenſo capitis dolore (quem paulo poſt recedentem tuſſis, non quidem diu durans, & ſicca magis quàm humida, atque calor auctior cum deliriis nocturnis inſequebantur) ſe prodebant, contagio quandoque in alios ſe diffundebant, rariusque, ubi temperatioribus alexipharmacis tempeſtive obviam

itum eſt, occidebant : in Pleuritide verò continuatus diaphoreticorum, præcipitantium dictorum, uſus coagulum ſanguinis feliciter reſolvebat ; qualia medicamenta etiam contra quotidianas Febres, ut & juxta cum martialium uſu adverſus Icterum, promtum auxilium ferebant.

Eurus in Anni 1702. introitu ſerenitatem cum frigore moleſto induxerat, quarto tamen mox die Zephyrus pluvioſam primo conſtitutionem, poſtea ventorum frequens mutatio tempeſtatis etiam varietatem multam ſubinde attulit, ſemper tamen humida ex pluviis, & temperatione paululum, ſub dominio Zephyri, poſt Solis in Piſces ingreſſum diu impetuoſi, prævalente, ut hyems non admodum rigoroſa quidem, protractior tamen fieret ; præſertim cum poſt Æquinoctium vernale Eurus non ſolum magis ſpiraret, & poſt ſerenos plures dies circa initium Aprilis rediens Zephyri fevocia crebriores nives ſpargeret, quas ſub eodem ſæviente, licet ab aliis ventis ſæpe interrumperetur, frequentes pluviæ, cum Sol ad Tauri ſignum adpropinquaret, exceperunt, usque dum poſt Maji principium Eurus ſereniorem & vernæ temperiei magis conformem aërem redderet, ſiccitate tamen terræ exinde non parva inducta, ut Flora ſuas amœnitates non niſi ſerius expromere valuerit. Hoc toto tempore eadem morborum facies, imprimis vero Pleuritides, utplurimum ſine ſuppuratione curabiles, usque in Aprilem continuabant. In quo & Majo menſe Febres continuæ, in paucis cum miliari efflorescentia, ſemper autem prævio horrore, (ſine intenſo calore) magna virium debilitate, & cæphalalgia gravi, rarò deliriis, aliisve gravioribus ſymptomatibus comitatæ, atque alexipharmacorum & diaphoreticorum uſui cedentes, hîc ibi propullulabant. Majori verò numero Febres quotidianæ & pauciores tertianæ ingruebant ; illæ tantum non in omnibus, qui ſe curæ meæ commiſerant, inſignem capitis dolorem in paroxysmo inducebant, viresque proſternebant ; in multis prima ſub invaſione, & ſæpe aliquot per dies continuarum typum, vix perceptibili caloris & cephalalgiæ remiſſione, referebant,

bant; chinchinatis autem medicamentis, vel arcano duplicato facile curabantur; quibus non minus tertianæ, poſt emetici, vel ſcammonii ſulfurati, ubi opus erat, adhibitionem breviſſime abigebantur.

Circa Æquinoctium dictum arthriticis adfectibus obnoxii fere omnes, quotquot mihi noti, inſultus ut plurimum non admodum feroces patiebantur, atq; ubi poſt exantlatam periodum juſto citius aeri ſe expoſuerunt vel artus delaſſarunt, recidivas experiebantur. Plurimos etiam infantes Epilepſia è medio ſuſtulit, quæ ex limphæ acido-viſcidæ in cerebro ſtagnatione, præſertim dentitione difficili accedente, ortum traxiſſe viſa eſt. Iſtæ autem lymphæ craſſioris collectiones non minus in aliis frequentes admodum fuerunt, ut non tantum crebriores Tuſſes, Coryzæ, Odontalgiæ exinde obortæ fuerint, ſed frequentiſſime aliis etiam morbis epidemice & ſporadice graſſantibus, Tuſſis ſe adſociaverit.

Cum Junio Zephyrus Euro ſucceſſit, pluviarum multarum ferax, paucis diebus ſerenis intermixtis; qui in Julio quidem per primum triduum cum calore non mediocri continuabant, aſt mox aëre in fulgura & tonitrua deſpumante, in pluvioſos juxta & frigidiuſculos, ac poſtea temperatos mutabantur, usque dum poſt Canis exortum Eurus, ſæpe ad meridionalem plagam inclinans ſerenitatem non ſine calore reduceret. Magna dehinc ventorum varietas fuit notata, (niſi quod poſt autumnale Æquinoctium à d. 24. Septembr. usq; ad d. 5. Octobr. Zephyrus impetuoſe admodum dominaretur, à frigido & non minus per triduum vehementi Euro tandem quaſi in fugam conjectus,) quæ diverſam quoque aëris temperiem, potiſſimum tamen calidam & ſerenam in Auguſto effecit. Aſt in Novembri multa hyemis præludia, imo præmaturus adventus ejusdem, crebro, & quandoque intenſo frigore, niveque repetita, quam benignior aura & interpolatæ pluviæ denuo liquabant, moleſtus exſtitit. Quæ ipſa mutabilis conſtitutio, tum ningendo, tum præſertim pluendo, frigore modò aucto, modò remiſſo, Zephyro reliquis ventis præ-

prævalente, & circa, nec non poſt Solſtitium hyemale, usque ad finem anni, multum ſæviente, nubibus autem continuò ferè Solem obducentibus, integrum præſertim Decembrem faſtidioſum admodum reddidit. Morbi interea longiores inducias dederunt, tales tamen, quibus aliqualis epidemicæ labis præſentia non prorſus excluderetur; uti præſertim in Febribus quotidianis ſupra memoratis paſſim per Junium & ſubſeq. menſes usque in Novembrem obſervari poterat; quæ tandem in non paucis, cum autumnus adventaret, hecticæ metum injecerunt, quibus tamen juxta cum aliis coagulum lymphæ acidum deſtruentibus, ſpecificum inprimis antihecticum Poterii, lapilli gammarorum &c. ſalutarem opem præſtiterunt. Circa Solſtitium hyemale Varioiæ benignæ in pueris ſe exſeruerunt, cum magno quidem calore ingruentes, à pulvere tamen rubeo Pannonico, antimonio diaphoretico, unicornu marino &c. quinimo quandoque etiam ſine medicamentis celeriter periodum ſuam abſolventes, & cum fine anni jam iterum omnino diſparentes. Quod tandem de ægritudinibus aliis, quibus ſemper fere tuſſis ſe ſociaverat, dictum, in hiſce quoque deprehenſum fuit.

Quæ Annorum ſequentium, videl. 1703. 1704. *&* 1705. *conſtitutio fuerit, in Appendice Dec. tertiæ Anni noni & decimi Miſcellaneorum noſtrorum curioſ. legi poteſt; cui nempe typothetæ negligentia antecedentem præfigere intermiſit.*

Anno 1706. hyemale frigus, ob auſtrinam aeris temperiem, qualis Anni prægreſſi in fine obſervata fuerat, & usque dum Sol Aquarii ſignum attingeret, continuaverat, hactenus utplurimum tolerabile, nunc magis ſe exſeruit, præſertim cum orientalis ventus in Februario conſtanter, interdum ad meridionalem plagam inclinans, ſpiraret, ac continuæ fere nebulæ usque ad Solis in Piſces ingreſſum, ubi ſerenus aer frigus augebat, nos cingerent. Cum interea Hecticæ febris inſultui (Coryzas & Tuſſes humidas, tanquam indivulſos quaſi hyemis comites, nec non Odontalgias ut taceam,) denuo plures exponerentur, ſed facile etiam medicamentis acredinem temperantibus abigerentur.

Circa

Circa vernale Æquinoctium Zephyrus potiſſimum dominio potitus, atque, à reliquis tamen ventis nonnunquam interruptus; multum invaleſcens, diverſam etiam temperiem, auſtrinam præcipuè excitavit, ac vernali amœnitati ſubinde obſtitit. Sub qua conſtitutione Febres quotidianæ, & plures tertianæ ingruerunt, magno cum impetu, in quibusdam etiam cum deliriis, ſine tamen cephalalgia utplurimum, & quæ poſt ſumtum cholagogum, vel emeticum, abſorbentibus non difficulter, promte etiam chinchinatis ceſſerunt. Plures inſuper circa Solis in Gemellos tranſitum nephriticis doloribus, non admodum refractariis, obnoxii fuerunt.

Poſtea ſub mutabili valde ventorum viciſſitudine, ante & poſt Solſtitium æſtivum, plures ſerenos calidosque dies experti fuimus; qui etiam diu continuarunt, multamque ideò terræ ſiccitatem, præſertim à ventis adjuti, attulerunt; cum interea Febres prædictas, ſenſim declinantes, neque tamen per reliquum poſtea annum prorſus ſilentes, crebræ Odontalgiæ, (quæ etiam per totum hunc annum fuerunt obſervatæ,) Tuſſes, interdum convulſivi quid habentes, & Coryzæ, adultos æque ac juniores adfligerent, & cum negligentior diæta accederet, diu durarent. Quas moleſtias magnæ illi & totali ſolari eclipſi, quæ d. 12. Maji contigit, adſcribere multis placuit. Et quamvis ſubita illa aëris calidi, interceptos ob Solis radios, in frigidum, hisque non minus celeriter redditis, in calidum rurſus mutatio, juxta cum animorum, ex inſperata illa & nulli unquam viſa caligine, conſternatione, aliquid contribuiſſe videri poſſet, cum tamen jam ante eclipſin iſtæ lymphæ ſtaſes contigerint, vix locum illa opinio inveniet; negari tamen nequit, frequentiores poſt illam Solis obſcurationem, & circa Solſtitium æſtivum illas occurriſſe; ideoque non prorſus improbabile eſt, ſpiritus à phænomeno iſto terrifico labefactatos, (qui ſane terror in nonnullis tantus fuit, ut lipothymiam ipſis induxerit,) lymphamque ſimul craſſiorem redditam, quin & à frigore illo inſolito magis condenſatam, ad catarrhales has ſtagnationes diſpoſuiſſe.

Menſis Julius quamvis pariter multa ſerenitate gauderet, nonnunquam tamen pluviis ſitientem terram refocillavit; poſt Caniculæ vero exortum calores admodum invaluerunt, & usque ad occaſum ejusdem perſeverarunt; quin licet temperatior ob pluvias, parciores equidem, aura per paucos dies ſuccederet; ad priſtinum tamen genium mox reverſa eſt, usque dum d. 7. Septembr. cum Luna inchoante Zephyrus pluvias ſæpius adduceret. Quo tempore Dyſenteriæ graſſari cœperunt, & infantibus non levem ſtragem intulerunt, adultis verò nec tam frequenter, nec etiam letaliter eâ decumbentibus. Ubi quidem hiſce fructuum hornorum intemperantiori ab eſu, vel liberaliori ob caniculares æſtus potu, præſertim cereviſiæ, nobis albæ dictæ, propter tenuitatem ſuam & imperfectam à parca fermentatione depurationem, in acorem pronæ, illam obtigiſſe veriſimile eſt; illis autem, quorum major pars ob tenellam ætatem nihil horum deguſtaverat, cur adeò fatalis fuerit, difficulter determinari poteſt. Utrum in lacte vaccino aliquid adverſi delituerit, quo cum nempe pulmenta in eorum cibum coqui ſolent, adfirmare nequeo; eum tamen alia cauſa non ſuppetat, in vaccarum ſanguine, ob aëris fervorem, pratorum ſiccitatem, & pabuli inde ortam penuriam, temperatas balſamicas particulas multum fuiſſe immutatas, acrioresque redditas, haud incredibile videtur, quæ lacti communicatæ vim ſuam in tenerrimis infantum corpuſculis exſerere, eorumque deſtructioni, quin & epilepſiæ, aliis quibusdam tum temporis funeſtæ, anſam dare valuerunt; & cum muliebris imperita induſtria puſionum curæ ſe ſufficere utplurimum perſuaſa ſit, aut ſaltem Medicum deſperato jam morbo advocet, funerum multiplicatio facile contingere potuit; præſertim ubi difficilior fortaſſe prægreſſus partus fœtui debilitatem aliquam antea impreſſerat, cum, incertum qua de cauſa, hoc anno de Dyſtokia & præmaturo partu non levibus querelis Urbs perſtrepuerit.

Reliquum anni, una cum ventorum continua mutabilitate, nebulas inter & pluvias frequentiores, aërem temperatiorem

quoad

quoad activam ejus qualitatem, (nisi quod paulo ante Solstitium hybernum Eurus eundem nivibus asperiorem per triduum reddiderit,) expertum fuit, multasque nobis inducias concessit, si rheumaticas post Solstitium dictum, musculis caput attollentibus fastidiosas, lymphæ stases exceperis, quæ solo tamen tum hypocausti calore, tum suffituum mastichinorum &c. ope haud difficulter resolvi potuerunt.

Plurimas inter nebulas temperatioremque auram non saltem Annum 1707. inchoavimus, sed porrò etiam clementem, & Sole in Aquario versante, humidam aëris temperiem experti fuimus, rarò, nec diu durabili frigore, ac multo rarius nive comparente; neque etiam multi, humidas nempe & nocivas alias in aere particulas frequenti ventorum variorum agitatione dispellente, morbi populares aderant, nisi quod Rheumatismi præfati, nec non Febres intermittentes, quamvis pauciores, atque post sumtum lene laxans, essentia corticis Peruviani facile abigendæ, continuarent; quosdam verò Pleuritides veræ, in suppurationem utplurimum terminatæ, nec tamen admodum acutæ, & antimonio diaphoretico, pulveri pleuritico Aug. promte cedentes, puerilem autem ætatem sparsim Variolæ, nulla malignitate suspectæ, ac per totum postea anni decursum observatæ; alios denique Icteri non adeò contumaces, præsertim sub crebriori essentiæ Mart. D. Lud. usu, invaderent.

Licet autem circa Martii initium frigus intensum ingruerit, mox tamen post quatriduum temperatiorem in statum denuò fuit mutatum, ut Veris præludia multa comparerent; cujus verò amœnitatem ventorum diversorum, Euri inprimis austeritas, cui nebulæ crebræ jungebantur, multum retardavit, aeremque frigore horridiusculum reddidit; quo ipso insensibilis transpiratio admodum sufflaminata, serum in corpore auxisse, atque creberrimas ad stagnationes disposuisse visa est, ut majot incolarum pars catarrhosis ægritudinibus, pectus, vel nares, aures, faucesve occupantibus adfligeretur; in quibusdam fluxu celerrime, vehementerque gravi cum cephalalgia & febrili incalescen-

tia invadente. Quo tempore etiam Febres, tum quotidianæ, tum tertianæ, ex eadem dubio procul causa, multiplicabantur, atque non rarò graviores in principio, magna utpote cum cephalalgia, virium debilitate, & calore, ut continuæ quasi typum referrent, oriebantur, postea verò medicamentis oppugnatæ, promte etiam recedebant; facile tamen ab aeris frigidi admissione, vel cereviſiæ potu recidivam passæ; quæ etiam Febres in autumnum usque continuarunt; qui humidus admodum & graviori Zephyri vehementia fastidiosus exstitit. Postquam æstas, Sole Cancri signum occupante, magno æstu, rarius à ventis pluviisque temperato, primò sat gravis, ab ingressu autem Solis in Leonem, crebriores propter pluvias, Zephyrique impetus frigidulus utplurimum fuerat; & sic (ut crebriores Catarrhos dentibus præcipue infestos taceam,) non saltem in nonnullis quartanæ, longiori horrore & calore multum molestæ, eoque contumaciores, quo minus ii, qui eadem adflicti ex plebe meam opem implorarunt, in diæta convenienti medicamentorumque usu morigeros se præbuerunt, sed etiam Arthritidis vagæ, pulveribus ex coraliis, spodio foss. lap. gammar. cinnabari, aliisque antimoniatis fixis, opii tantillo addito, præter interpolatum laxantium usum, haud difficulter cedentis, generationi ansam dederunt. Hyemis præsentiam in Decembris initio præmaturum frigus & nives copiosæ ab Aquilone adductæ, indicarunt; quæ tamen post decendium è pluviis eliquatæ, quas Zephyrus ante Solstitium hyemale vehementissimus concitaverat; cui cum Caurus, & postea Euronotus successissent, aere nubiloso & nebuloso, ac moderate frigido, morbis silentibus, reddito, anni exordium fecerunt.

Anno 1708. dissipatis nubibus, benignior Euronotus per duas primas hebdomadas serenitatem, aliqua tamen nebulosa caligine utplurimum se immiscente, produxit; quam postea humida ac pluviosa constitutio excepit, præsertim cum quatriduana circa Solis in signum Aquarii ingressum Zephyri vehementia ingruisset; cui sub ventorum mutabilitate prior serenitas circa finem

finem hujus menſis primi, & principium ſecundi ſucceſſit, atque temperatam adeò brumam, uti paſſim alibi locorum, experti fuimus, ut multa Veris indicia oſtenderet; donec Euronotus d. 10. Febr. cum nivibus frigus adduceret, humida verò paucos poſt dies, cum intermixto quandoque frigore, intemperies à Zephyro reducereturr. Quamvis autem hac ſub inſolita aëris clementia multi graves eſſe oborituros morbos vererentur, nihil tamen epidemici, (ut Febres quotidianas & tertianas ſparſim & rarius adhuc occurrentes taceam,) præter Variolas, usque dum Sol Tauri ſignum accederet, continuantes, & conſueta hoc tempore catarrhalia incommoda, Tuſſes præſertim humidas, & ab eadem ſeri ſtagnatione capitis Eryſipelas in ſexu muliebri, produxit, quod ex negligentiori fortaſſe partis iſtius cuſtodia, prævíis in collo tenſivis doloribus, cum febrili incaleſcentia invaſit, & moderato hecti calore, præſertim diaphoreticorum terreorum uſu accedente, non difficulter discuſſum fuit.

Humidus autem hic aëris ſtatus ante & poſt Æquinoctium vernale continuabat, ut pauci ſereni dies nobis obtingerent, & licet Solis quandoque radii refocillarent, nebuloſæ tamen exhalationes eosdem ſæpiſſimè deturparunt; usque dum auſterior Eurus d. 27. April. aërem ſerenaret, atque ab eo, & alternante Cauro moleſtum frigus terræque ſiccitas producerentur, quæ in adultum usque Majum, in quo diverſæ ventorum ex omni plaga mutationes notatæ, continuabant, donec d. 15. poſt fulmina & tonitrua in crebras pluvias mutarentur; quæ dein humida facies, Zephyro & Borea alternantibus, usque ad principium Auguſti perdurabat; ubi Zephyro potiſſimum dominante, calores magni & multa ſerenitas, ſæpe tamen matutinis nebuloſis evaporationibus gravata, usque ad Caniculæ occaſum ingruebant, pluvioſo ac frigidiusculo aëre ſuccedente; qui etiam, rara intercurrente ſerenitate, usque ad Æquinoctium autumnale continuabat. Interea frequentes Febres hecticis ſimiles, tuſſi præſertim & caloribus lentis inordinatis ſtipatæ, atque continuato abſorbentium fixorum uſui obtemperantes, notabantur. Variolas autem circa

Maji finem ceſſantes, Morbilli excipiebant, non tantum in infantibus, qui prius ſani fuerant, ſed etiam, qui paulo ante Variolis laboraverant, nec non in adultioribus, ut & non paucis morbum hunc jam olim expertis, absque tamen malignitatis nota, & ſub blandorum diaphoreticorum uſu paucos intra dies periodum ſuam abſolventes; qui tamen in menſe Julio iterum ceſſaverant; quo tempore poſtea Odontalgiæ, Ophthalmiæ, nec non dolores ſpasmodici uterini in feminis, Iſchiadicique præcipue in viris frequenter occurrebant, ex lymphæ, uti mihi videbatur, ab aëris inclementia viſcidioris atque ideò ad ſtagnationem proclivioris redditæ vitio generati, præſertim cum cereviſiæ aceſcentis, qua de plurimæ paſſim querelæ fiebant, potus accederet, & nervis ad coxas ac uterum tendentibus ſpicula ſua infigeret; ubi præter lenia eccoprotica, hyſtericis medicamenta caſtorina, cinnabarina &c. & iſchiadicis blandam per vices diaphoreſin promoventia, non neglecta utplurimum opiatorum ſucciſa miſcella, profuiſſe expertus ſum.

Circa Æquinoctium autumnale per 16. dies ſerenitas adfuit, raro nubibus aut pluviæ expoſita, nebulis tamen crebris matutinis ſtipata, quibus poſt multam ventorum varietatem, ſubſeqq. etiam diebus obſervatam, Boreas per 14. dies nubes adduxit, à Zephyro poſtea in pluvias reſolutas; quin & poſt Solis in ſignum Scorpionis ingreſſum, Euro flante, nix decidua præmaturum quaſi hyemale frigus efficiebat. Ineunte Novembri multa quidem usque ad Solis in Sagittarium ingreſſum ſerenitas, crebro tamen nebuloſa, præſertim matutina, caligine inquinata; ſuccedente usque ad d. 15. Decembris faſtidioſa, frigida, ob nives, nubila, nebulas intemperie; ubi quidem Sol nubibus diſcuſſis, ſerenitatem non ſine multo frigore, crebris etiam nebulis interruptam, reddidit. Interim, præter frequentes Odontalgias, Catarrhi inprimis, capiti & pectori infeſti, plurimos in M. Novembri infeſtarunt, tantumque incrementum ſumſerunt, ut in M. Decembri pauciſſimi in Urbe eſſent, quos moleſtia illa non tentaverat; multos etiam gravius tractaret, qui nempe

præ-

prægreſſo acri horrore, febriles efferveſcentias, intenſas cephalalgias, aut capitis ſtupores, virium proſtrationes, quandoque faucium ſpaſticas ſtrangulationes, vel dolores pleuræ ſpurios experti fuerunt. Cauſam continuæ quaſi nebuloſæ aëris tempeſtati potiſſimum adſcripſerim, quæ non ſolum particulas ſuas humidas, impuras, per inſpirationem corpori communicare, ſicque ſeroſam colluviem augere, & ſanguinem inquinare potuit, ſed etiam frigore & gravitate ſua poros conſtringendo, ac tranſpirationem excrementitiorum humorum impediendo, eosdem cumulare, incraſſare, atque in ſubtiliſſimis cerebri, narium, trocheæ glandulis ac tubulis ſtagnare fecit. Cui itaque præter moderatum aëris regimen, medicamentis reſolventibus, attenuantibus, abſorbentibus, demulcentibus &c. pro ſubjectorum & ſymptomatum diverſitate, ubi morbi gravitas id depoſcebat, ſuccurrendum fuit, eo cum ſucceſſu, ut nullus, qui Libitinæ cenſum ſubiiſſet, mihi innotuerit.

Principium Anni 1709. ſpirante Euronoto, nebuloſum fuerat, altero autem & ſubſequentibus diebus Zephyrus vehemens pluvias, & noctu, inter d. 5. & 6. Januarii plurimam nivem Eurus, verſus Aquilonem inclinans, cum intenſo frigore adduxerat; quod indies fere, inter matutinas præcipue nebulas, diesque & noctes ſerenas, creſcendo ea vehementia nos adflixit, qua de longe lateque querelas multiplicare Europæ contigit, donec d. 24. prægreſſa nivoſa, veſperi Auſter temperatiorem & pluvioſam auram induceret. Licet autem ineunte Februario frigus iterum, tolerabilius quidem, intenderetur, ac variis ſubventis aërisque mutationibus, nive quandoque rariore decidente, ad diem usque decimum continuaret, Zephyrus tamen temperatiorem tunc aërem reddidit, usque dum d. 16. orientalis ventus, ad Septentrionem nonnihil denuo deflectens, & præſertim biduo poſt acriter ſpirans, novo gelu adfligeret; quod incrementa ſubinde ſumens, eo rigore inhorruit, ut d. 27. Febr. intenſiſſimo frigori, d. 21. Januarii obſervato (teſtante id ſpiritu vini in meo thermometro, utrobique matutino tempore

ante

ante Solis ortum, ad gradum usque ſeptimum, veſpertino autem poſt Solis occaſum ad nonum gradum depreſſo,) parum ceſſerit; quod dein multas inter ventorum mutationes, variasque aeris, humidam inprimis, conſtitutiones, tolerabilius redditum, ſed d. 12. Martii, & inſequente triduo iterum auctum fuerat, ſpiritumque vini in thermometro ad gradum nonum cum dimidio, veſperi autem ad undecimum atque dimidium depreſſerat: tandem autem remittens, d. 16. dicti menſis ſpiritum ad gradum undecimum, & ſic ſenſim magis ſurſum extolli permiſerat, ut d. 17. Aprilis gradum decimum quintum mane attingeret. Interea non tantum ventorum mutabilitas, ſed aeris etiam, ob crebriores pluvias, humida ac frigidiuſcula, interveniente tamen ſubinde ſerenitate atque calore, ante & circa Solis in Tauri ſignum ingreſſum intenſiori, continuarunt, ut fæcunditati terræ non modice faverent, matutinæ quoque nebulæ tenuiores, ubi pluviæ aberant cœlumque ſerenum erat, tunc & per totum reliquum annum, ſemper obſervabantur. Et quamvis poſt reſeratos terræ ab inſolito frigore profunde conſtrictos meatus, indeque diu repreſſas exhalationes, vapores iſti liberiores facti multis gravium ſubſequendarum ægritudinum metum excitarent, contrarium tamen per DEI gratiam evenit, conglatiata iſta terræ cruſta ſenſim reſoluta, ſicque vaporibus non confertim erumpentibus, ſed paulatim exhalantibus, atque ventorum perpetua agitatione particulas iſtas humidas impuras diſſipante. Tot tamen aqueæ in athmoſphæra oberrantes particulæ non poterant non ſeri proventum nimium in corpore adcumulare; præſertim cum per totum reliquum anni decurſum mutabilis ſubinde, præſertim humida & frigidiuſcula temperies (niſi quod Syrius ante & circa ſui exortum finemque Zephyro, uti hîc, ita etiam reliquo tempore, potiſſimum prævalente, quandoque per pauculos dies acrius ureret) & hinc catarrhoſarum moleſtiarum, cum hectici caloris in quibusdam metu, in naribus, bronchiis, dentibus, artubus, per totum anni decurſum, & quæ omnibus fere aliis morbis ſeſe jungebant, frequen-

tiam

tiam excitare; præter quas etiam, in vere & æstate, Febres quotidianæ & tertianæ, interdum gravibus symptomatibus, præsertim in morbi principio, uti deliriis, cephalalgiis, spastico nuchæ dolore, narium hæmorrhagia, vomitu &c. stipatæ, ex transspiratione insensibili, ob temperiem aëris sæpius variantem, impedita obortæ, minus tamen refractariæ, non paucæ notabantur. Inter remedia, juxta cum eccoproticis, blanda diaphoretica & absorbentia potissimam curæ partem absolverant.

Constitutio Anni 1710. cum humida & moderatè frigida, sub ventorum, Zephyro tamen prævalente, alternatione, primo continuaret, adfectus etiam catarrhosi, inprimis Arthritides nondum desierunt, & mense Martio Febres tertianæ, cephalalgia, deliriis, vomituque in prima invasione sæpius molestæ, non paucos invaserunt; quibus tamen, post pulveris Cornachini, & ubi ventriculus viscido muco obrutus videbatur, lenioris emetici usum, cortex Peruvianus ad 3ß. ℈ij. &c. semel vel bis in die sumtus, præsentaneam opem ferebat, ut post secundum, aut quartum paroxysmum, sine recidivæ incommodo, utplurimum cessarent.

Postquam in Arietis signum Sol pervenit, cum serenitate, (ita tamen, ut hic quoque Annus, cœlo sereno, Soleque oriente, nebulosum nonnihil aërem semper experiretur,) triduanum quidem intensum calorem, Africo flante, excitaverat, quem tamen Zephyrus pluviosus creber iterum dissipaverat, qualem etiam sextiduanum calorem, antequam Sol in Tauri signum progressus esset, Euro spirante, sensimus, ab occidentali tamen pluvioso vento iterum temperatum. Et hæc aëris, modo humidi, modo sicci, calidi, frigidiusculi, sæpius nubiloši, ventorum etiam crebra permutatio in posterum usque ad finem Anni perseveravit, prævalente tamen semper humida constitutione; unde hæc vicissitudo primò terræ fœcunditati multum, postea etiam hyems ut longius abesset, simul tamen variæ catarrhosæ & rheumaticæ invasiones ut frequenter orirentur, effecit. Febres etiam tertianæ, quamvis non frequentes, nec non quotidianæ, hecticæ-

que per totum annum obſervabantur; menſe autem Majo & Junio Morbillis plures infantes, cum vehementi tuſſi, oculorum gravedine, hæmorrhagia ſæpe prævia, decumbebant; Variolæ quoque in multis, non quidem malignitate, ſed copia, & ſymptomatum conſuetorum vehementia, & puſtularum, rariori tamen, confluxu infeſtæ notabantur. In cura omnium horum morborum remediis, in præcedentibus hiſtoriis memoratis, non infeliciter uti datum fuit.

CONSTITUTIO EPIDEMICA BASILEENSIS

Anni 1700. & 1701.

Dn. D. JOHANNIS JACOBI HARDERI.

ÆStivus calor diebus Canicularibus Anno 1700. temperiem ſuam non exceſſit, quin ventis quandoque placidis perflaretur, neque corpori incommodum faceſſeret: Imò Auguſto menſe, pluviis præter votum quandoque infringebatur; September inſequens ſiccus & calidus illo magis fuit, nec tamen ſufficiens, qui uvas ad optatam maturitatem undique perduceret; neque etiam morborum ferax iſta anni conſtitutio fuit: October nebuloſa, ut ſolet, & ſæpiuscule pluvioſa tempeſtate, hyemalem brumam antevertit; hæc ipſa autem per Novembrem & Decembrem mitior extitit, & quamvis multâ nive montes & juga altiora integerentur, ingruente tamen pluvioſo & hoc quandoque udoſo aëre, ab eadem prompte liberata fuerunt; iſta autem aëris διάθεσις, non modo catarrhalibus febribus, ſed Pleuritidi ac Pleuropneumoniæ, etiam ſparſim anſam præbuit.

Anno 1701. Januarii initium Boreali vento magis perflabatur, aërisque ſerenitate animum refecit; imprimis verò ſub meridiem propius accedentes ſolares radii Brumæ matutinæ ſpicula ex voto pepulerunt, & continuatâ in Februarium usque ſua activitate fere inconcuſsâ, nives Boreamque in arvis campisque tantum non intempeſtive fugârunt, ſiquidem ſubſequente

Martio

Martio ac Aprili, quibus blandiorem Solis calorem, & hinc pluvias amicabili auſtro mitigatas ſperabamus, Brumæ rigorem majorem, nivalisque tempeſtatis, ac nivis copioſe delabentis ſpicula, frequenter experti ſumus.

Maji delitias, ſi quas matutinæ auræ fulgor interdum promiſit, mox nebularum craſſiorum cohors, nunc calor ſubſequens intenſior, mox irruentes grandinoſæ tempeſtates, omnimodo amarulentas reddiderunt. Ante Caniculæ autem exortum, & hac durante, Solis æſtus longe intenſior & tantum non exurens calor, animantibus brutis non minus, quàm homini, valde moleſtus fuit, febrium intermittentium ferax mater, & quem neque tempeſtates horrendæ, crebrius ingruentes, usque attemperare valuerunt.

Poſt Caniculam increbeſcens tantiſper pluvioſa & hinc temperatior aëris conſtitutio, placidiorem motum videbatur promittere, verum alcyonia hæc non diu durarunt, quin redeunte intenſiore aëris ſiccitate, ſereno cœlo, ſi nebulas Septembri menſe, minus tamen frequentes, manè excipias, in Octobris usque principium, calor inſuetus & immoderatior perſtitit, exareſcentiæ æque, ſi non magis, quàm majoris fructuum matureſcentiæ parens, & dyſenteriæ ſatis atrocis apud nos, aliisque in locis fœcundus genitor, cui, num pluviæ à diebus aliquot, arva præ ſiccitate hiſcentia blandè irrigantes, atque hominibus gratiſſimæ, obicem ſint poſituræ, horæ ſubſecuturæ docebunt.

CONSTITUTIO EPIDEMICA
BEROLINENSIS

Anni 1701.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP von der Müllen.

ANnum Seculi ſeptimi primum prima Januarii, turbido, ſed ſicco, cœlo inchoavit, & in veſperam pluvioſam deſiit. Sequens ſecunda pluviis nivem ad meridiem usque miſcuit, poſt

diſcuſſis nubibus ſerenior gelu moderatum adduxit. Quod ſequenti tertiâ continuans ac per quatriduum ingraveſcens, rurſusque in nives & pluvias procellæ junctas per triduum delicuit. Cui denuò undecimâ cum nive copioſa leve ſucceſſit gelu, atque octiduum pauciori quandoque, quandoque copioſiori nive aſperſum duravit. Vigeſima nebulâ densâ mutationis prænuntiâ, ſequentibus tribus, interſperſis quandoque pluviis, tandemque gelicidio degelavit. Vigeſima quarta Iris matutina turbidi atque pluvii ætheris nuntia apparuit, ſequente per triduum, gelu moderato ac parcis nonnunquam nivibus ſtipato, quod quatriduum rurſus nocturno ac matutino gelu, à meridie utplurimum degelante varium ad finem usque menſis excepit. Februarius nebula denſa cum gelu moderato, ſed mox in pluvias fatiſcente cepit, cui nubilum ſucceſſit cœlum, remittente gelu, & in imbrem circa veſperam deliqueſcente. Mox, tertiâ procellosâ, ſiccâ & clarâ, à nivoſa nocte, die verò, licet Boreâ flante remiſſo, ac egelido, nocte tamen rigidâ ſuccedente, ac die nivoſa, ſed temperata ſequente, à triduo gelido iterum excepta. Nona tempeſtuoſa cum ſucceſſore decimo gelu in nives deliqueſcentes reſolvit. Quas ſequentes duæ noctes in glaciem rurſus denſarunt, de die parumper degelantem. Decima tertia nimboſa rurſus nives parcas ſparſit, mox aëre temperato ſoluras. Decimam quartam cœlo ſereno gratam, gelidum excepit biduum, quod gelu nocturno & matutino temperato, pomeridianum adhuc mitius ſubſtituit. Huic aliud ſucceſſit biduum ventoſum, ab octiduo gelido & utplurimum ſereno comitatum, 25tâ quidem turbidâ & uvidâ interruptum, ſed triduo rurſus gelido & ex parte obſcuro redintegratum, & pluviis nonnullis interpolatum, 28. una cum menſe deſinens.

Martius vernâ temperie initiatus, vario cœlo, nunc placido, nunc turbulento, ventoſo, frigido, diverſimode alterato, ad nonum usque & decimum gelidos tranſiit. Tum remittens, octiduo temperato ac vernâ amœnitate grato, ad vigeſimum pluvium initio,

initio, tandem rurſus clareſcentem duravit, à quatriduo perinde variato exceptum, in noctes gelidas, ſexque dies ſerenos deſiit.

Morbos trimeſtre hoc, præter ſcorbutum endemium & illius aſſeclas & affines aluit febres diverſarum ſpecierum, malignas quasdam variolis notatas, alias ardentes, continuas ac intermittentes, catharrales, pleuriticas nonnullas, aliàs tuſſibus vehementibus ac diuturnis, Cephalæa, aſthmate affligentes, in phtiſes quandoque degenerantes; præterea Cardialgias, hypochondriacas & colicas paſſiones.

Aprilis, quo Martius tramite deſiit, rurſus incepit, niſi quod ſerenitatem præcedentem cum turbido ac ventoſo cœlo commutavit, & à ſexto per quatriduum, nives quandoque utut raras pluviolis nonnullis interſeruerit, tum gelu nocturno dies ſerenos, & haud inamœnos ad 14tum usque ſubſtituerit. Cui cum 15to pluviâ nivibus mixtâ nimboſis, quatriduum ſucceſſit ſerenum ac frigidum; huic verò biduum turbidum pluviis ſubinde & nonnunquam grandine interpolatum. 24to & 25. ſerenis ac vernâ gratiâ temperatis, reliqui ad trigeſimum usque ſucceſſerunt inconſtantes, pluvioſi & nimboſi.

Majus turbido, ſed mox ſereniori inchoavit biduo, ſubſequente triduo nubilo ac frigido ſparſis quoque nonnunquam pluviis ex parte uvido, ad ſeptimum totum pluvioſum & octavum varium, tandemque nonum ſerenum ac æſtivo calore gratum perrexit. Cui triduo quatriduum, intercalato decimo tertio pauca pluvia irrigato, addidit. Tum 6. dierum ſudo planè æſtivo ad 20. usque continuavit. Cui alii ſex non æquè ſereni, ſed varietate pluviolis nonnunquam temperata, adeoque non inamœnâ diſtincti ſucceſſerunt, tandemque reliqui ad finem usque menſis verno temperamento commendabiles.

Junius à principio ad 12mum usque in eâ temperie, pluviolis tamen quandoque interpolata perſeveravit. A 13tia verna temperies, in æſtum ſæpius ſatis grandem mutata, & præter nocturnas 16ti & 20mi pluvias ferè torridum, ad 22dum usque pluviâ nocturnâ ac tonitru matutino fractum, cui ad 26tum

pluviâ moderatâ madentem, quatriduum temperatum; huic verò 27mus paulo calidior, 28vus cum 29no pluviis modicis irrigui ſucceſſerunt, tandem 30mus ſereno & temperato cœlo amœnus menſem ſimulque trimeſtre finiit.

Morbi hujus trimeſtris præter prædictos endemios, maligni & epidemici, quantum mihi quidem innotuit, pauci fuerunt, ſporadici plures, febres pleuriticæ, ardentes, continuæ, aſthmate, nauſea, vomitu, cephalæis moleſtæ, intermittentes quædam, hemicraniâ, cardiogmo, cœliaca paſſione, diarrhœa, dyſenteria aliisque ſymptomatis exacerbatæ, lipiria quoque, ſed unica ſola.

Julius ſudo ac calore æſtivo, quo præcedens receſſit, denuò acceſſit, ac ad 13tium usque ſerenitate jugi ac æſtu indies ingraveſcente, ſi 5tum excipias temperatiorem reliquis, ac 6tum paucâ pluviâ irriguum, continuavit. Sequentes eteſiis nonnunquam & pluviolis alterati, unico 27mo à meridie ſpargente exemto, ad finem usque menſis ſerenitate ac temperie laudabili excelluerunt.

Auguſtus eodem ferè cœli, utut quandoque rorantis inchoans, mox variabilis fuit: Secundus enim fervidior & ſiccior. Tertius tonitru imbrem, totâ nocte durantem, addidit. Quartus manè frigidus ſudum diurnum cum æſtu ſubſtituit. Quintus manè pluvioſus, reliquo diei priore temperatior. Septimus ſudum nubibus interpolavit, cui cætera ſimilis octavus in tonitru horrendum veſperi & imbrem deſiit. Nonus ſudo antemeridiano pluvias à meridie copioſas; Decimus antemeridiano ſudo veſpertinas ſubmiſit. Undecimus paucis pluviis matutinis, ſudum pomeridianum, huic verò veſpertinum tonitru fragroſum cum fulgetris fere perpetuis, nimboque denſiſſimo. Duodecimus præcedenti, tonitru ſi demſeris & fulgura, compar. His hactenus variis ad vigeſimum usque octiduum æquabile, ſudo ac æſtu pauciſſimis pluviis temperato gratum, huicque aliud octiduum nebuloſum magis, ventis pluviisque ſubinde madens, illique biduum ſerenum quidem & ſiccum, ſed vento frigido flante haud adeò

gratum

gratum succeſſit. Tandemque 31mus ſudo ac temperato æthere menſem terminavit.

September triduo ſereno ac moderato ſex dies, pluviis ſerenitati variè interpolatæ mixtos inſeruit. Quibus poſt noctem procelloſam, quatriduum ſerenum & temperatum, quandoque tamen ventoſum & pluviis parce ſparſis roſcidum ſucceſſit, ſex diebus ſerenis aliis æſtu æſtivo ferè compari amœnis exceptum. Vigeſimus biduum reduxit paucarum pluviarum aſpergine, ut & nebulâ roridum, cui triduum ſerenum quidem, ſed algidum & ventoſum, illique rurſum aliud temperatius ſucceſſit, & menſem ſimul ac trimeſtre abſolvit.

Morbos præter ſcorbutum & ejus appendices, ut & ejus affinem ante hîc raram, nunc ab adventu Gallorum exulum, inter Germanos etiam, infantes præſertim, ferè endemiam Rachitidem, hoc trimeſtre tam ſporadicos, quàm Epidemicos plures tulit. Et hos inter febres malignas & contagioſas, haud paucis exitioſas, variis ut ſymptomatis, ſic exanthematis miliaribus, purpurâ, morbillis, variolis, petechiis quoque inſignitas & diſtinctas. Præterea ardentes etiam, continuas & intermittentes, catarrhales, eryſipelatodes, pleuriticas, erraticas etiam. Diarrhœas item ac Dyſenterias, Lienterias, Colicas, Cardialgias, Tuſſes ferinas ab æſtu præſertim humore colliquante oriundas, Hæmoptoes, Cephalæas, Hemicranias, Colicas & Hypochondriacas paſſiones cum obſtructionibus nonnunquam valde contumacibus, Icteros, Scabies & Pſoras.

October ſereniratem Septembris, præter pluvias ſecundi veſpertinas, quatriduo ſatis grato orſus ſexto & ſeptimo frigidulis & pluvia matutina madentibus, interpoſitis, quatriduum rurſus vernâ temperie gratum dedit. Cui 12mus matutina, 13tius veſpertinâ, 14tus nocturnâ pluviâ madidi ſucceſſerunt, illisque 15tus totus pluvius ac nimboſus. Quem rurſus 16tus cum quatriduo perinde procelloſo & ſubinde nimboſo ſecutus. Vigeſimus primus ſparſa circa decimam pluviolâ rorans, quatriduo ſicciori & amœniori locum fecit. Subſequens quatriduum, va-

rio-

rio, nubiloſo ac quandoque rorante cœlo frigidulum, 31mo turbido æthere, geluque moderato menſi finem impoſuit.

Decembris primus totus pluvius, ſecundus à meridie tantum pluvias ſparſit. His ſucceſſit triduum ſiccum, ſed nubilum & frigidum. Sextus mane nebuloſus parce pluit, à meridie ſiccus. Septimus undoſus, octavus ſerenior, procelloſus ſimul & frigidus. Nonus absque procellâ præcedenti ſimilis. Decimus nives addidit ac gelu, ſed hactenus moderatum, ab 11mo ad 23um rigidum, ſereno utplurimum cœlo, præter 12. mane ac veſperi, & 17mum veſperi tantum nebuloſum. 24to remittens atque circa veſperam pulviolas ſpargens, noctu gelicidium, 26to ſubſequente nebulâ liqueſcens, à meridie cum ſerenitate frigus, ſed temperatum per biduum ſtabile reddens, 28vo nives ſuperaddens, 29no ingraveſcens, 30mo nivoſum, 31. absque nive perdurans, ſicque cum menſe trimeſtri ipſique anno colophonem imponens.

Morbi hoc ultimo trimeſtri occurrentes, præter endemios ſcorbuticos, arthritides præſertim & aſthmata ſcorbuto originem debentia, & venereos, Epidemici fuerunt catarrhales præcipuè febres, gravedine moleſtâ, & tuſſi gravi & diuturnâ infeſtantes, ardentes præterea tam continuæ, quàm intermittentes variæ, malignæ quoque variolis, ſæpius confluentibus ac petechiis infames, pleuritides graves & quandoque funeſtæ, Cephalalgiæ, Diarrhœæ & Dyſenteriæ pertinaces, Nephriticæ, Colicæ & hyſtericæ paſſiones.

CONSTITUTIO EPIDEMICA AERIS BEROLINENSIS

Anni 1703.

JAnuarius primo mane cœpit gelu, cœlo ſuccedente ſereno, poſt obſcuro, tandemque pluvioſo. Secundus ſiccus ventoſus & frigidus cum gelu moderato, ſucceſſores habuit tertium circa veſperam pluviolam ſpargentem, reliquos ad octavum usque ſiccos; hunc verò totum nivoſum æthere temperato. Nonus

miti

miti cœlo pluviolis ſubinde uvidus. Decimus imbroſus. Undecimus parum gelaſcens, cœtera ſiccus. Duodecimus cum decimo tertio cœlo turbido gelidiores. Decimus quartus vernâ ſerenitate ac tepore gratus, veſperi nebuloſus. Decimus quintus & Decimus ſextus Vernæ ferè amœnitatis æmuli. Decimus ſeptimus nebuloſus, tandemque imbroſus. Decimus octavus viciſſim ſiccus & ſerenus. Decimus nonus cum ſequentibus ad vigeſimum ſextum usque ſatis rigidè gelidi. Vigeſimus ſextus parum nivis addidit. Vigeſimus ſeptimus noctu pluſculum ejus ſparſit æthere temperato. Vigeſimus octavus ſereno cœlo valide gelidus, ut & vigeſimus nonus. Trigeſimus nubilus pauloque mitior. Tandem trigeſimus primus mitiori, ſicco tamen cœlo menſem hunc primum clauſit.

Februarius temperato gelu, ſed turbido ſiccoque cœlo orſus. Secundus gelu ſatis rigido ſereno cœlo, nonnunquam tamen parum remittente ad ſeptimum usque cum gelicidio grandinem ſubmittentem, poſtque degelantem continuavit. Octavus regelaſcens cum nono ac decimo parum ſereno & amœno cœlo gelidis. Undecimus gelu paullo intenſius cœlo obſcuro induxit, ac ad decimum quartum cum ſequentibus ad vigeſimum usque paulò cum ſequenti biduo mitiorem porrexit. Vigeſimus tertius densâ nebulâ antemeridianâ remiſſior. Vigeſimus quartus mane turbidus, poſtea ſerenus. Vigeſimus quintus nebuloſus ac ventoſus parum nivis ſparſit. Viceſimus ſextus intenſe gelidus ut & vigeſimus ſeptimus, ſimulque cum vento nivoſi. Vigeſimus octavus nive copioſa menſi coronidem impoſuit.

Martius biduano gelu intenſo cœpit. Tertius noctu gelidus, â meridie remiſſior, circa veſperam pluvioſus ac ventoſus. Quartus eodem tenore totâ die continuavit. Quintus gelidus ac nivoſus, tandem pluvioſus. Sextus totus pluvioſus ac ventoſus. Septimus manè ſparsâ copiosâ nive mox poſtea in pluviam delicuit. Octavus perinde continuavit. Nonus ſatis intenſe gelavit, parumque nivis ſparſit. Decimus copioſe noctu ninxit, poſtea remiſſe cum parcâ nive gelavit. Sic & undecimus,

decimo quarto nebulâ matutina diverſo, ad decimum quintum usque ſereno cœlo continuavit. Hic manè nivis pauxillum ſparſit, poſt leniter degelavit. Decimus ſextus totus fere pluvioſus. Decimus ſeptimus noctu gelidus, poſt ſparsâ nive mitior, ut & Decimus octavus cum paucâ nive gelaſcens. Decimus nonus poſt pluviam gelidus ac nivoſus, poſt ſerenior. Vigeſimus quoque gelu cum parcâ nive miſcuit, in pluviam tandem deliqueſcens. Viceſimus primus totâ die undoſus. Viceſimus ſecundus manè & circa veſperam pluvius. Vigeſimus tertius manè parum pluviæ, poſt vernam temperiem ſubmiſit. Viceſimo quarto manè parum nebuloſo æther ſerenum ſucceſſit ac ſiccum. Vigeſimus quintus ventoſus æthere ſereno nivium aſpergine ſubinde variato. Vigeſimus ſextus perinde ventoſus nivem cum pluviâ ac ſereno ſæpius cambiit. Viceſimus ſeptimus matutino tempore ſerenus poſt turbidus ac ventoſus. Vigeſimus octavus mane nivoſus, à meridie pluvioſus. Vigeſimus nonus nubiloſus, temperatus tamen. Triduo ſequente ſereno, temperato ac verna amœnitate & tepore grato menſem ſimul ac trimeſtre primum finiit.

Morbi præter ſcorbutum, Proteum illum plurimorum ſymptomatum ſyndrome variatum ac hic loci endemium, frequentiores fuerunt febres variæ, continuæ & intermittentes benignæ & malignæ, catarrhales & cauſodes, purpureæ, pleuritide ac arthritide quandoque comitatæ, cephalalgiæ, vertigines, paſſiones hyſtericæ, aſthmata, cachexiæ & cacochymiæ.

Aprilis primus dies vernæ ſerenitatis ac temperiei particeps, circa veſperam pluviola madidus fuit. Secundus manè obſcurus, à meridie ſerenus ac frigidulus. Tertius, quartus & quintus primo ex aſſe ſimiles, niſi quod poſtremus paulo frigidior. Sextus manè turbidus cum aſpergine pluviolæ, poſtea ſerenus. Septimus ſerenus, ſed frigidulus. Octavus ad decimum tertium usque ſudo ac temperie, præter decimum paulo calidiorem, amœni. Decimus tertius turbidus ac ventoſus manè, poſt ſerenitatem pluviolis miſcuit. Decimus quartus frigidulus ac ventoſus cum aſpergine pluviarum. Decimus quintus totus pluvioſus, ut & deci-

decimus ſextus, ſubinde tamen paulò ſerenior. Decimus ſeptimus manè pluvias ſparſit pauco grandine mixtas, â meridie ſerenus. Decimus octavus ſerenus, temperatus & amœnus, nec non decimus nonus exceptâ pruinâ nocturnâ talis. Vigeſimus cum vigeſimo primo & ſecundo vernâ amœnitate grati, niſi quod poſtremus unâ cum biduo ſequenti pluviolarum aſpergine ſub veſperam roridi. Viceſimus quintus obſcurus ac nubiloſus, raroque intercedente ſudo ſiccus. Vigeſimus ſextus vernâ temperie ac pluviolæ ſubinde aſpergine, cum ſequenti biduo ſiccus. Vigeſimus nonus variato identidem æthere pluvias ſudo miſcuit. Trigeſimus poſt pluviam matutinam ſiccus menſem hunc abſolvit.

Maji primus temperato cœlo ad ſecundum mane pluviolæ aſpergine uvidum poſt ſerenum proceſſit. Secutus tertius manè frigidulus, poſt ſerenus & amœnus, cui compar ferè quartus aſpergine pluviolæ roridus, cui biduum ſerenum, ſiccum & calidum ſucceſſit, â meridie tamen ſexti pluviolam aſpergens. Septimus manè ſerenus, â meridie nubilus. Octavus ad decimum tertium usque ſereni ac vernâ varietate accepti, rarâ pluviarum aſpergine temperati, præter duodecimum cum vento tonitru adducentem. Decimus quartus â meridie modicè, decimus quintus valide tonuit, quos biduum decimo & ſeptimo excepit ſudo ac calore verno gratum. Decimus octavus manè nubilus ac vento, pluviolis quoque ſubinde ſparſis turbidus. Decimus nonus ſimilis, absque tamen pluvia ſiccus, ac tandem ſerenus, â vigeſimo ſereno ac amœno exceptus temperatus ad vigeſimum ſecundum & ſequentes calidiores, vigeſimum ſextum æſtu gravem, & vigeſimum nonum vernâ temperie & amœnitate gratum tranſiit. Reliquum triduum manè ſerenum, veſperi pluvioſis uvidum, trigeſimo primo modico fulgurum additamento menſem hunc circumſcripſit.

Junii primus nocturno imbre, diurno ſudo & æſtu orſus, ſecundum ſerenum & veſperi pluviolæ aſpergine udum comitem habuit. Tertius manè ad meridiem usque pluvius, poſt tem-

peratus ac ſiccus, quartum manè ſubinde pluentem alias amœnum ac temperatum præceſſit, ſequente biduo ſereno ac temperato. Septimus pluvius, poſt ventis flantibus ſiccus. Octavus ſerenâ temperie amœnus. Nonus pluviolis ſerenitatem ſubinde variavit. Decimus manè ad meridiem usque imbroſus. Decimus ſemel â meridie imbre moleſtus, alias ſerenus. Duodecimus pluviolarum aſpergine quandoque varius. Decimus tertius ſerenus ac ſiccus, ventoſus tamen ſimul ac frigidus, compares habuit decimum quartum, quintum & ſextum, hunc æſtuoſum ſimul valde ac procelloſum. Decimus ſeptimus nubilus ac ventoſus cum aſpergine pluviolarum nonnunquam mixtus. Decimus octavus amœnâ temperie gratus. Decimus nonus nubilus ac frigidulus pluviolis ſubinde rorans, cui vigeſimus poſt noctem pluvioſam æqualis, temperatâ amœnitate ventis placidis velut Eteſiis interpolatus. Vigeſimus primus denuò ſerenus ac calidus. Vigeſimus ſecundus æſtu paulò gravior. Viceſimus tertius ſudo ſimul & æſtu moleſtus. Viceſimus quartus æſtu ventis paulò temperatiori. Vigeſimus quintus pluviola moderatus. Viceſimus ſextus totus ferè cum tonitru pluvioſus. Vigeſimus ſeptimus manè & veſperi parum pluvius. Vigeſimus octavus manè nubilus, poſtea clareſcens. Vigeſimus nonus manè ſerenus, à meridiè pluvioſus. Triceſimus manè ad meridiem usque ſerenus, à meridie quandoque pluvius, menſem ſimul & trimeſtre ſecundum finiit.

Morbi hoc ſecundo trimeſtri infenſiores fuêre Cacochymiæ & Cachexiæ ſcorbuticæ variique alii affectus ejusdem farinæ, febres variæ continuæ & intermittentes, tertianæ, catarrhales, ardentes benignæ ac malignæ, variolis quandoque comitatæ & morbillis, pleuritides veræ utplurimum nonnunquam ſpuriæ, hypochondriacæ affectiones & paſſiones hyſtericæ, tuſſes inveteratæ & graves, phtiſeos & hecticæ comites. Icteri, colicæ paſſiones, choleræ, diarrhœæ.

Auguſti primus nubilus ac pluvioſus. Secundus obſcurus & ventoſus ſubinde pluviolas ſpargens. Tertius manè nubilus

ac

ac parcè pluvius, â meridie ſerenus, triduano ſudo ac calido exceptus. Septimus poſt manè aſpergine varium, â meridie tonitru terruit. Octavus manè ſerenus, â meridie modice pluvius. Nonus ſudum, Decimus idem eteſiis temperatum, Undecimus ſudum, æſtuoſum, æſtivum, ut & duodecimus eteſiis mixtum induxerunt, reliqui, exceptis decimotertio his deſtituto, decimo octavo manè ſemel pluvio, vigeſimo quarto veſperi cum imbre tonitru inducente, vigeſimo quinto manè nubilo, ac ventis turbido, omnes ad finem usque menſis æſtivo æſtu perſeverarunt, præter trigeſimum primum, menſem hunc cœlo turbido veſperi claudentem.

Septembris primum biduum ſudo & eteſiis gratum. Tertius nubilus & procelloſus. Quartus manè frigidus & ſerenus, â meridie nubilus ac turbidus, triduo pluvioſo, frigido, ac ventoſo exceptus. Octavus cum nono paulo temperatiores ac calidiores. Decimus ſerenus ac temperie amœnus. Undecimus ſæpius pluvioſus ac tandem imbroſus. Duodecimus, decimus tertius & quartus cum ſequentibus ad vigeſimum primum usque præter morem æſtivo calore & amœnitate grati ſerenitate pluvias vicerunt. Vigeſimus ſecundus ad meridiem usque manè pluvioſus, poſt ſerenus, ut & vigeſimus tertius & quartus æſtivo calore commendabiles. Biduo intercedente pluvioſo rurſus ad vigeſimum octavum usque nubilum, ſereno tepore laudabiles. Vigeſimus nonus aſpergine veſpertinâ pluviolarum, trigeſimus nubilo cœlo â prioribus diverſi tandem ſerenitate reduce menſem hunc ac ſimul trimeſtre coronide ornarunt.

Morbi hujus trimeſtris fuêre præter ſcorbuticas ac hypochondriacas affectiones, colicæ, diarrhœæ ac dyſenteriæ, Febres variæ intermittentes & continuæ ardentes, etiam malignæ variolis, morbillis ac purpurâ nonnunquam ſuſpectæ, pleuritides utriusque generis, arthritides vagæ ſcorbuticæ, paralyſes & apoplexiæ, aſthmata, dyſpnœæ, tuſſes graves ac diuturnæ, cachexiæ.

Octobris primus nubilus ac ventoſus, ſudo tamen ſubinde mixtus. Secundus manè ſerenus â meridie nubilus. Tertius

mane ſerenus, â meridie turbidus ac pluvioſus. Quartus & quintus manè nubili, cum aſpergine pluviarum. Sextus vice verſa manè ſerenus, â meridie pluvius. Septimus poſt nebulam ſerenus & amœnus. Octavus manè pluviâ parum roridus, alias amœnus, nono quoque ac decimo ſicque ad undecimum nubilum ac ſubinde pluvium tranſiit. Duodecimus nubilus & ſubſequenter imbroſus. Decimus tertius procelloſus ac ſæpius nimboſus. Decimus quartus frigidulus ac ventoſus manè, â meridie ſerenus, ſemel tamen imbre madens. Decimus quintus ſerenus manè ac frigidus, â meridie parum pluviæ ſpargens. Decimus ſextus manè nebuloſus, poſt nubilus ac frigidus. Decimus ſeptimus frigidus & pluviis mixtus. Decimus octavus frigido cœlo ſerenus. Decimus nonus primam nivem ſparſit ſerenante poſtea cœlo. Viceſimo & viceſimo primo totâ die cum nive pluviæ. Vigeſimo ſecundo cum ſudo frigus ac gelu moderatum. Viceſimus tertius poſt manè gelidum pluvias dedit degelaſcentes. Vigeſimus quartus manè turbidus, poſtea clareſcens. Vigeſimus quintus manè pluvius, â meridiè nubilus cum pluviolarum aſpergine. Vigeſimus ſextus manè pluvioſus, poſtea ſerenitatis parum ſubinde miſcens. Vigeſimus ſeptimus ſiccus, ſed nubilus, ſolis ſplendore pauco interdum interlucente. Vigeſimus octavus ad meridiem usque pluviolarum aſpergine madens, â meridie nubilus ac ſiccus. Vigeſimus nonus manè nubilus, poſtea ſerenus, ſed frigidulus. Trigeſimus frigidus & pruinoſus. Trigeſimus primus temperie autumnali gratâ menſem finiit.

Novembris primus ac ſecundus frigidi ſparſa parumper nive, poſtque pluviolâ. Tertius & quartus temperati & amœni, ut & quintus niſi ſparsâ ſub finem pluviolâ turbidus. Sextus manè nebuloſus, poſt vento frigido moleſtus. Septimus nubilo mitior. Octavus nubilus ac frigidus. Nono ſucceſſit ſimile biduum cum ſudo frigidulum. Duodecimus nubilus ac ſubfrigidus. Decimus tertius ſatis temperatus. Decimus quartus manè ad meridiem usque nubilus, à meridie pluvioſus. Decimus

mus quintus manè pluvius, poſt turbidus ac humidus. Decimus ſextus nubilus, frigidus ac ſiccus. Decimus ſeptimus idem, paucis interſperſis nivium micis. Decimus octavus perinde ſed ſine nive gelidus. Decimo nono ut & vigeſimo ſudum ſubſequente noctu rigido gelu. Vigeſimus primus nubilus, ut & vigeſimus ſecundus tandem pluviolæ aſpergine miteſcens. Vigeſimus tertius manè nubilus, aſpergine pluviolarum modicà ſub veſperâ rorans. Vigeſimus quartus totus nubilus ac frigidus, ut & vigeſimus quintus veſperi pluvius. Vigeſimus ſextus cum ſeptimo temperati & amœni. Vigeſimus octavus nubiloſus ac frigidus, ſiccus tamen. Vigeſimus nonus, manè nubilus, poſt ſerenus ac temperatus. Trigeſimus poſt modicam pruinam manè ſerenus ac temperatus, circà veſperam pluvia menſem terminavit.

Decembris primus poſt nebulam matutinam ut & ſecundus ſereni ac temperati, nec non tertius unica pluviolæ aſpergine roridus. Quartus poſt nebulam matutinam ſerenus. Quintus ſudo frigidus. Sextus quarto ſimilis. Septimus totâ die ſerenus, circa veſperam maduit. Octavus ſereno cœlo procelloſus nono quoque continuante procellâ, & pluviâ à meridie interſperſa. Decimus manè ad meridiem pluvius, poſt ſerenus ac ſedatâ procellâ placidus. Undecimus manè ſerenus, à meridie parum pluvius. Duodecimus totus pluvioſus. Decimus tertius manè ſerenus, à meridie pluviolæ aſpergine udus. Decimus quartus totâ ferè die pluvioſus & imbroſus, ut & decimus quintus totus nimboſus & ſub veſpera procelloſus. Decimus ſextus manè gelidus, poſt totâ die ſerenus ac frigidus. Decimus ſeptimus manè nubilus ac mitis tandem in pluviæ aſperginem deſinens. Decimus octavus manè nebuloſus, poſt pluvioſus. Decimus nonus gelidus manè ac ſerenus. Viceſimus aëre obſcuro gelidus. Vigeſimus primus cum ſudo gelaſcens. Vigeſimus ſecundus rigidè gelans. Vigeſimus tertius noctu nivem ſparſit, poſt degelaſcens pluviolas. Vigeſimus quartus nubilus ac humidus. Vigeſimus quintus cœlo ſereno gelaſcens. Vigeſimus

sextus noctu nivosus, post nubilus, mox tandem serenus ac gelidus, ut & vigesimus octavus à meridie serenus. Vigesimus nonus cœlo sereno rigidè gelans. Trigesimus ut & trigesimus primus ex parte, ningentes mensem hunc simul & trimestre quartum ut & annum 1703. absolverunt.

Morbi huic trimestri familiares, præter endemios sæpius indigitatos, fuerunt febres omnis generis ferè, ardentes, malignæ, variolis suspectæ, intermittentes tertianæ, quartanæ, ephemeræ, catarrhales, hecticæ phthises, tusses ferinæ & inveteratæ, Colicæ passiones, scorbuticæ etiam, diarrhœæ, Arthritides scorbuticæ, vagæ & fixæ, paralyses, Cephalææ contumaces, hemicraniæ, passiones hypochondriacæ & hystericæ &c.

CONSTITUTIO EPIDEMICA BEROLINENSIS

Anni 1704.

JAnuarii primus paucis nivium flocculis gelu orsus, paululum mox rursus remisit. Successit huic triduum cœlo sereno gelidum. Quintus cum sexto noctu totoque sequenti die nives sparsit, quorum postremus cessante nive turbidus ac frigidus. Septimus cum biduo sequenti cœlo quandoque sereno gelidus. Decimus paucâ interspersa nive circa vesperam remissior. Undecimus cum sequenti duodecimo ventosi ac procellosi. Decimus tertius rigido gelu horridus. Decimus quartus paululum remissior. Decimus quintus rigidum decimi tertii gelu redintegravit. Decimus sextus manè remissior, à meridie robur prioris resumsit, cum sequenti decimo septimo paucos nivium flocculos aspergente. Decimus octavus noctu nives parumper auxit. Decimus nonus gelu pauculos denuo nivium flocculos miscuit, noctu auctiores cum gelu satis rigido. Vigesimo nox cum nive copiosa procellosa inter vigesimum primum & vigesimum secundum sine nive gelidum successit, ut & sequens vigesimus tertius paucâ nive præmissâ serenus. Vigesimus quartus satis rigi-

rigidè gelidus circa veſperam nivoſus ac ventoſus. Vigeſimus ſextus noctu cum pluviâ regelans, tandem ſerenus ac temperatus. Vigeſimus ſeptimus eà temperie ſine pluvia ac nive continuavit. Ut & vigeſimus octavus circa veſperam cum ſequenti vigeſimo nono procelloſus ac parum pluvius. Trigeſimus poſt gelu modicum à meridie ſerenus, tandem cum nive ventoſus. Trigeſimus primus menſis poſtremus procelloſus admodum ac ſubinde pluvioſus.

Februarii primi nox tempeſtuoſa, ſuccedens dies pluvioſus, grandinoſus ac procelloſus. Secundus illi ex parte ſimilis modicè gelaſcens, manè parum ac veſperi ningens. Tertius vento cum pluviis & pluviolis mixto varius. Quartus noctu gelidus, poſtea ſerenus, ac vernâ quaſi temperie amœnus. Quintus manè parum gelaſcens, cætera turbidus, ſiccus, tandemque temperatus. Sextus absque omni gelu priori ſimilis. Septimus turbidus ac ventoſus, à meridie cum nive nimboſus. Cui triduum ſucceſſit temperatum, ſiccum ac tranquillum. Undecimus remiſſior, ſparſis quandoque pluviis udus ac ventoſus. Duodecimus demtâ pluviâ priori æqualis. Decimus tertius turbidus, ſparſis quandoque pluviis ac pluviolis cum ſequenti decimo quarto à priori diverſus. Decimus quintus cum decimo ſexto noctu gelidi, de die cum ſerenitate procelloſi. Triduum ſequens noctu gelidum manè nivoſum, tandemque pluviolis aſperſis uvidum. Vigeſimus noctu gelidus ac nivoſus, poſt paulò ſerenior. Vigeſimus primus cœlo ſereno gelidus, pauco grandine niveo interſerto. Vigeſimus ſecundus & vigeſimus tertius manè cœlo ſereno ſatis gelidi, à meridie remisſiores. Triduum ſubſequens rigidè gelans. Biduum ſequens nive admiſtâ paulò remiſſius. Vigeſimus nonus nive vacuus menſem abſolvit hunc intercalarem.

Martii primus manè gelidus, cœtera ſerenus ac remiſſior, unâ cum ſequenti quatriduo vernâ temperie ac amœnitate commendabili. Sextus ſatis gelidus, turbidus ac procelloſus, ut & ſeptimus, tandem ſerenior. Octavus paucâ nive tur-

bidus ac aliquantò remiſſior, ut & nonus ac decimus totâ die tales, prætereaque turbidi ac ventoſi. Undecimus ſerenus vernaque temperie gratus, cum biduo ſequenti, cujus tamen poſtremus decimus tertius paulò obſcurior ac noctu gelidior. Decimus quartus cum undecimo vernâ ſerenitate certans. Decimus quintus manè pluvia cum tepore fœcundâ vernâ amœnitate commendabilis. Decimus ſextus turbidus ac ventoſus, pluviola quandoque riguus. Decimus ſeptimus manè ſparſis ſubinde pluviolis turbidior, ſerenitate poſtmodum gratâ amœnus. Decimus octavus toto mane turbidus â meridiè pluvioſus. Decimus nonus cum ſequenti triduo manè pluvius, poſt frigidulus, aſt ſiccus. Vigeſimus tertius manè gelidus, paulo poſt ſerenus, frigidulus ac parum ventoſus. Sequens quatriduum temperate frigidum, ventoſum ac obſcurum. 28vus mane paulo obſcurior, poſtea ſudo ac ſerenâ temperie acceptus, ut & ſequens 29nus, vento frigidiore ſolùm diverſus. 30mus nubiloſus, frigidulus ſubindeque pluvius. Poſtremus 31mus vento auſtrino frigido ſerenitati aſpirante temperatus trimeſtre primum terminavit.

Morbi hac anni quadrâ præter ſcorbutum endemium & ſuem fere epidemicam, febres fuêre variæ, cum tertianâ, duplicatæ, continuæ & ardentes, benignæ, & malignæ, catarrhales & acutæ variis ſymptomatis ſtipatæ, cum & ſine tuſſi, hecticæ, in phthiſin declives, pleuritides, aſthmata, diſpnœæ, arthritides ſtatæ, & vagæ ſcorbuticæ, icteri, cardialgiæ, hæmorrhagiæ uteri.

Aprilis 1mus nubiloſus, pluviolis ſubinde aſperſis frigidus. 2dus manè pluvius poſt aliquantò ſerenior. 3tius ſerenus ac temperatus veſperi pluvioſus. Cui congener 4tus ſubinde pluviolas ſpargens. 5tus noctu tonuit, à meridie pluit, cætera ſerenus ac calidus. 6tus vernâ ſerenitate ac tepore gratus cum biduo ſequenti, 7mus tamen paulò frigidior ac ventoſus. 9nus manè turbidus ac frigidulus, tandem poſt pluviam fœcundam ſerenus. 10mus æthere fœcundâ ſerenitate, pluviolis interdum interpolatâ, laudabilis. 11mus cum ſequentibus duobus verna temperie ac ſerenitate commendabiles, ut & 13mus circa veſperam

ram paulum pluviæ aſpergens. 14tus ſudum cum nubilo ac pluviis quibusdam miſcuit. 15tus cum ſequente fœcundo cœlo frigidulo parumper temperati. 17mus exiguum matutinum gelu ſudo temperans, ſequentibus ad 23tium usque, 19no ac 20mo præſertim æſtivo fere calore amœnis, 23io paululum pluviæ addidit. Sequens triduum temperatâ ſerenitate ad veſperam usque poſtremi paulò obſcuriorem continuavit. 27mus manè pluvius, poſt frigidulus & nubiloſus, perinde ut & 28vus absque tamen pluviâ. 29us temperatus cum 30. menſis poſtremo, paulò tamen frigidiore & ventoſo.

Majus eodem tenore cepit pluviolas interdum miſcens. 2dus ſerenior paulo & ſiccior. 3tius ut & ſequentes ad 7timum usque ſparſis quandoq; pluviolis udi & ſubfrigidi, poſtremus 7timus noctu cum pruinâ grandinoſus, manè ſerenus. 8vus manè frigidus ac ventoſus à meridie ſerenus ac calidus. 9nus vernâ temperie amœnus, ut & 10mus circa veſperam parumper pluvius. 11mus ſerenus ac calidus. 12mus adhuc calidior ſubſequente ſero pluvio. 13ius absque pluviâ ſimilis. 14tus manè ad meridiem usque nubilus ac ſubfrigidus, poſtea ſerenus. 15tus & ſequentes vernâ ſerenitate ac ſpirantibus quandoque eteſiis quaſi æſtiva temperie commendabiles, ad 20mum usque obſcurum, pluviâ moderatâ ſubinde interpolatum, 21mus cum ſequente triduo ſerenus, calidus & amœnus, parum ventoſus ad 24tum usque poſt tonitru moderatum à vento impetuoſo frigidiorem. Quatriduum ſequens obſcurum quandoque cum, alias ſine pluviâ, ad 29num usque perinde turbidum ſæpiusque pluvium. 30mus cum 31mo, menſis hujus poſtremo, ſine pluviâ nubiloſi.

Junii primus temperatâ ſerenitate ad veſperam usque parumper pluviam amœnus. 2dus turbidior ac frigidior manè, à meridie ſerenitatem aliqualem ſubinde pluviis miſcuit. Sequentes ſudo temperati, calidi ac ſicci ad 9num usque veſperi parum pluentem. 10mus cum 11mo frigidi ac ventoſi. 12mus cum ſequentibus ſereni, calidi ac placidi præter 13um paulò obſcurio-

rem, ad 17mum totâ die pluvium. 18vus frigidulus & obſcurus, ſerenitate nonnunquam interpolatus, veſperi pluvioſus. 19nus ventoſus & à meridiè imbroſus. 20mus temperatus, ut & 21mus ſero parum pluens. 22dus obſcurior paulò, ſiccus tamen & temperatus. 23ius ſerenior præcedenti. 24tus cum triduo ſequenti ſerenitatem pluviis intercalavit, ad 28vum usque & 29num ſerenos, temperatos, ſiccos & amœnos, 30mus paucis pluviis quandoque intermixtis obſcurus menſem ſimul cum hoc anni quadrante clauſit.

Morbi hoc trimeſtri priori ferè fuerunt analogi, præter nimirum geminos illos endemios, febres rurſus varii generis, intermittentes, tertianæ ſimplices ac duplices, quartanæ, & continuæ ardentes, benignæ & malignæ, variis ſymptomatis comitatæ, cum & ſine exanthematis, catarrhales, pleuriticæ, in hecticam & phthiſin pronæ, variolæ, morbilli, diarrhœæ, colicæ paſſiones, choleræ, Melancholiæ, hypochondriacæ paſſiones, Cephalææ, Hemicraniæ, paralyſes, Epilepſiæ, Aſthmata cum & ſine hydrope, Rachitides.

Julii primus ſerenus atque ſiccus. 2dus ſudo pluvias miſcuit. 3tius ſerenus ac temperatus veſperi pluviolas ſparſit. 4tus priori ferè ſimilis, niſi quod procellæ ſemel pluviolam aſperſit. 5tus ſudo absque pluviis, ventum impetuoſum intercalavit. 6tus nubilo cœlo ſerenum absque pluviâ induxit æther. 7mus ſerenus. 8vus ſudo æſtivus. 9no manè pluvio, ſerenitas calorem intenſum addidit. 10mus pluvias cum ſudo alternavit, perinde & 11mus cum nubilo cœlo ſudum. 12mus temperatus ac ſiccus. 13ius, ſerenus & æſtuoſus. 14tus cum biduo ſequenti, manè ac veſperi pluvii, cætera ſereni. 17mus toto ferè die pluvius. 18vus manè ad meridiem usque pluvioſus & ventoſus. 19nus manè ſerenus à meridie bis pluit. 20mus pluviam cum ſudo campſit. frigidulus & ventoſus. 21mus manè obſcurus pluviolas poſt quandoque ſparſit. 22dus manè quidem ſerenus, ſubfrigidus tamen, à meridie pluviolas diſperſit. 23tius temperatus, ſerenus partim, partim pluvius. 24tus amœnus, calidus ac ſiccus, cum quatriduo

triduo ſequenti æſtuoſo. 29nus poſt pluviam matutinam nubiloſus, frigidulus ac ventoſus. 30mus temperatus & amœnus. 31mus poſt matutinam pluviam ſerenitate menſem finiit.

Auguſti primus ad meridiem usque ſerenus, à meridie parumper pluvius. 2dus manè nubilus, poſtea ſerenus & amœnus. 3tius mane parum pluens, poſtea ſiccus & obſcurus. 4tus totâ die ſine pluviâ nubilus. 5tus manè turbidus, poſt ſerenus. 6tus ſerenus, calidus & amœnus. 7timus nubilus ac calidus pluviolas ſubinde ſpargens. 8vus ſine pluviâ ſerenus ac calidus. 9nus ſerenus & temperatus in æſtum vergens. 10mus huic præcedenti analogus, veſperi tonuit. 11mus nubilum cum ſudo alternans vento ſubinde pluviolas aſperſit. Cui 12mus ſimilis ſemel pluviolâ maduit. 13ius manè nubilus ac frigidulus absque pluviâ. 14tus pluvias nonnunquam addidit. 15tus procellam impetuoſam, 16to parum remittentem. 17mus manè nubilus circa veſperam ſerenus ac calidus. 18vus ſerenus & ob calorem temperatum amœnus. 19nus æſtuoſior paulò. 20mus remiſſior manè ac modicâ pluvia fœcundus. 21mus ſerenus, calidus ac ſiccus, præter 23um valdè æſtuoſum, ad 26tum nubilum mane ac ſubfrigidum. 27mus cum 28vo pluviolarum quandoque aſpergine ventoſi. Biduum ſequens ſerenum ac calidum. 31mus menſis poſtremus ereſiis æſtum præcedentem temperavit.

Septembris primus nubilus manè poſt ob ventum frigidulus. 2dus paulo temperatior, 3tius primo ferè ſimilis, ſubinde pluvius. Triduum ſequens manè pluvioſum, à meridie ſerenum. 7mus nubilus, frigidus & ſiccus, ad usque veſperam pluviolam ſpargentem. 8vus perinde frigidus, ſed ſæpius pluviolis madens. 9nus manè ad meridiem usque 7mo compar, à meridie pluit, tandem ſerenior. 10mus temperatus ac ſerenus totus, ut & triduum ſequens ad meridiem usque 13ii, à meridie quandoque pluentis. Pariter & 14tus circa meridiem ſemel pluens. 15tus ventoſus ſubinde ac pluvioſus. 16tus cum 17mo ſicci, temperati & amœni. 18vo ſudum utplurimum pluviis ſparſim mixtum. 19mus temperatus, ſerenus & amœnus. 20mus manè & à meridie

quandoq; pluvius, cætera temperatus, ſerenus & amœnus. 21mus circa primam pomeridianam parum pluit, reliquo temperatus & ſerenus. Biduum ſequens turbidum, frigidum & ventoſum, ſubinde pluens. 24tus nimboſus ac procelloſus. 25tus ut & 26tus nonnunquam pluvias fundens. 27mus toto ferè die pluvioſus. 28vus poſt pluviam matutinam ſubfrigidus & ſerenus. 29nus temperatus, ſerenus & amœnus. 30mus æſtiva ſerenitate & calore menſem hunc ſimulque trimeſte anni tertium abſolvit.

Morbi hujus trimeſtris haud multum abludunt à prioribus, gemini nempe illorum Choragi cum aſſeclis ſuis in hâc quoque tragœdiâ perſonas ſuas egerunt, præterque illos Febres omnis ferè generis Ephemeræ, hemitritææ, tertianæſimplices & duplices, erraticæ & exquiſitæ, cotidianæ, intermittentes & continuæ, putridæ, ut olim audierunt, & cauſodes, quartanæ quoque, benignæ pariter & malignæ exanthematis ſe prodentes variolæ & morbilli, pleuriticæ, Eryſipelatodes, hecticæ & phthiſicæ, Catarrhales tandem, Cephalææ pertinaces & enormes, paralyſes, Epilepſiæ, tuſſes contumaces, aſthmata ſubinde convulſiva, inflammationes gutturis, anginæ, hæmoptoës, ſtranguriæ, hydropes, Hypochondriaci affectus, Hyſtericæ paſſiones, Choleræ, diarrhœæ & dyſenteriæ, Rheumatiſmi, Chloroſes, Hæmorrhoides cæcæ & cruentæ.

Octobris primus ſerenus ac temperatus. 2dus manè obſcurus, poſt ſerenior. 3tius manè nebuloſus, mox ſerenus. 4tus manè pluvius, veſperi ſerenus & frigidulus. 5tus procellâ pluviis mixta tempeſtuoſus. 6tus de die frigidus & ſiccus, veſperi pluvioſus. 7timus cum pluviâ modicâ procelloſus. 8vus ſerenior, quandoque tamen pluvius. 9nus cum 10mo temperate ſereni. 11mus tempeſtuoſus, frigidus ac pluvioſus. 12mus ſerenus & ſubfrigidus. 13tius manè ſerenus, poſtea impetuoſus ac frigidus. 14tus ad 23tium mane pluvioſum usque ſereni, ſicci ac temperati, præter 16tum, 19num & 22dum manè paulò obſcuriores. 24tus manè turbidus ac frigidus, poſtea ſerenus. 25tus pruinoſus & glacialis, cætera ſerenus. 26tus valide gelaus. 27mus paulò

lò remiſſior. 28vus cum 29no rigidè gelidi. 30mus cum 31mo poſtremo hujus menſis manè pluvii, poſt ſereni.

Novembris primus & ſecundus mane nubili, poſt ſubinde pluvii. 3tius ſerenus & temperatus. 4tus mane gelidus, poſtea ſerenus. 5tus cum modicâ nebulâ gelidus. 6tus & 7mus manè gelidi, veſperi remiſſiores. 8vus cœlo ſereno remiſſus. 9nus noctu remiſſe gelaſcens, aliàs cum ſerenitate amœne temperatus, cui compar fere 10mus, obſcurior tamen paulò, ſparſis nonnunquam modice pluviolis. 11mus huic ſimilis veſperi pluvius, 12mus ſatis alias ſerenus, ſemel parum pluviolæ ſparſit. 13tius totâ fere die pluvioſus. 14tus ſiccus ac frigidus. 15tus mane pluvioſus cum ſiccitate poſtea alternavit. 16tus cum 17mo pluvioſus. 18vus vento ſatis forti aſpirante ſerenior, pluviolam raram ferò ſpargens. 19nus frigidus ſæpiusque pluvioſus. 20mus procelloſus inſuper. 21mus cum 22do grandinoſus quoque, 23tius cum 24to perinde, quandoque tamen ſereni. 25tus ſudum cum nubilo, ſicco ſufflante vento campſit. 26tus toto fere die imbroſus. 27mus ſerenus ac ſubgelidus. 28vus manè gelidus, poſt nebuloſus. 29nus nebuloſus ac frigidus. 30mus menſis poſtremus ſpirante Aquilone turbidus, humidus ac frigidus.

Decembris primus poſtremo Novembris ex aſſe ſimilis, turbidus, humidus ac frigidus, ut & ſecundus, ſed ſiccior paulo. 3tius ſereno cœlo gelidus. 4tus poſt matutinum gelicidium, cum 5to continuè pluens. 6tus quandoque tantum pluviolas ſparſit. 7mus nubilus, ſiccus tamen. 8vus noctu gelavit, de die ſerenus. 9nus noctu ninxit, de die ſereno cœlo gelavit. 10mus ſatis rigide gelans, 11mus regelavit, 12mus remiſſe gelidus manè absque pluviâ. 13ius & 14tus, ut & 15tus cum ſequenti triduo cum pluviâ remiſſiores. 18vus manè etiam imbre maduit, à meridie ſole eluctante parum inclaruit. 19nus gelidus ac nivoſus. 20mus ad 23ium usque ſine nive gelidus cœlo ſereno. 23ius remiſſior nubilus & nebuloſus. 24tus cum 25to poſt nebulam matutinam imbroſi, triduum ſequens ventoſum regelans ac pluvioſum. 29nus parum gelaſcens atque ningens. 30mus & 31mus rigido gelu

menſi

menſi huic & trimeſtri, ſimulque anno 1704. colophonem impoſuit.

Morbi, ſi ſcorbutum ejusque comites, & ſub illius larvâ ſæpius latitantem infamem illam luem, cum appendicibus illorum exceperis, morbi hoc trimeſtri non adeò frequentes fuêre ac præcedentibus. Febres nonnullæ ardentes & malignæ, quæ morbillis aut variolis utplurimum ſtipatæ, catarrhales, pleuriticæ in tuſſes & Phthiſin declinantes, vagæ quandoque, catarrhis ſuffocativis ſociatæ, melancholiæ hypochondriacæ, & paſſiones hyſtericæ, cephalææ & cachexiæ, tuſſes contumaces admodum &c.

CONSTITUTIO EPIDEMICA HOLSATICA

Anni 1706.

Dn. D. GüNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

HIc jam morbi penitus ſilent, toto autem hoc anno variolæ confluentes ſæviſſime ſunt graſſati, multaque propemodum dixerim millia infantum maximè tum & juvenum & adultorum rapuere per Holſatiam & Hamburgi. Prorſus autem tales ſe exhibuere, qualesSydenhamius deſcribit. In principio mites, mox 2. vel 3. die erumpentes, optime ſibi conſtantes, neque gravioribus ſymptomatibus ſtipatæ, præterquam quod deliria ſtatim ab initio usque ad finem, levia tamen, adeſſent. Ubi verò ad ſtatum perveniebant, & ſuppurabantur, nihil remittebat calor, pulſus ſemper frequens & celer, æqualis tamen nec admodum debilis erat, ſed die 9. 10. vel 11. ubi ad ſummum aſcendere oportebat, ſubito, & quaſi in momento foveam oſtendebant, confluebant, concidebant, pallebant, inſtar lepræ, in facie præſertim, & tum actum erat. Alexipharmacis & calidis exhibitis, iterum tumebant quidem, ſed mox redibant ad priſtinum. V. S. ubi adhiberi poterat initio, optime ceſſabat, etiam in infantibus. Nonnunquam petechiæ conjungebantur in principio.

pio. Ubi vero evadebant ægri, fœditate maxime faciei pulchritudo evertebatur, oculi contorti, imo cœcitas etiam, ingentes furunculi, aut fistulæ ossa etiam exedentes brevi sequebantur, & sphacelus.

CONSTITUTIO
Anni 1709.
Apud Labacenses in Carniolia notata
à
Dn. D. MARCO GERBEZIO.

POsteaquam præteriisset anni 1708. autumnus ferè in meris nivium cum pluviis, nebulisque vicissitudinibus, subingressus erat annus jamjam ad exitum properans 1709. cum eis nivibus, frigoribusque, quantorum ferè non recordamur unquam. Hippocrates 3. *Aph.* 17. quidem laudavit frigidas aëris constitutiones, dum dixit *aquilonias constitutiones cogere corpora, firma, agilia, beneque colorata, ac auditu valentiora reddere.* Quantam tamen vim eæ ferè universæ naturæ inferre valeant, si frigus suos limites transcendat, quemadmodum factum anno ad finem decurrente 1709. experta est cum maximâ suâ calamitate universa Europa: & propterea quoque nos Labacenses ipsi quibus planè terra ipsa fuerat à frigoris in Aprilem usque protensi, rarissimisque vicibus ab austris paulisper retusi inclementiâ adeò effœta, & infœcunda reddita, ut Colonis pro suis laboribus vix satorum semen, & illud ipsum effœtum, & ærugine corrugatum reddiderit. Arbores frugiferæ, è quibus persicæ ferè cunctæ syderaræ, aut nullum, aut parcissimum, & eum ferè verminosum, corrugatum, & certis nigris stigmatibus ab ærugine maculatum fructum portavêre: Vites similiter usque ad radices emortuæ omni botrorum opimitate destitutæ, & sic de aliis. Quin saxa ipsa observabantur alicubi præ frigore in arenas comminuta. Et parvi demum æstimari poterat istud, si hujusmodi strages non etiam animata, & inter ea quoque hominem ipsum contigisset:

verùm deploravimus, & deploramus etiamnum, quòd (ut reliqua animantia silentio prætéream, quorum tamen plurima fuêre frigore exanimata) ejus inclementiam quoque ex incolis nostris plurimi, & nonnulli singulariſſimi viri propriæ vitæ internecione luerint. Tot siquidem vix unquam vidimus apoplexiis repentè sublatos, tot vertiginosos, arthriticos, catarrhosos, pleuriticos, phtisicos &c. quot hoc ipso anno. Cui alteri autem imputari poterat strages isthæc, quàm rectà enarratæ immensi frigoris immanitati? Cujus, cùm juxta à nobis in Chronologia nostra medica Anni I. §. XXII. & alibi dicta vis sit refrigerare, condensare, incrassare, coagulare, adstringere, & sanguinem cum reliquis corporum succis ob inhærentes sibi magnâ quantitate nitrosas, vitriolicas, & alias salinas atomos acrem reddere; quî aliter fieri potuit, quàm, quòd intolerabilitate illâ frigoris occlusi cutis pori ingentem aliàs per insensibilem perspirationem excludendam noxiorum humorum saburram in corporibus retinuerint: quæ intùs coagulata facilè in cerebri meatibus substitit, desuperque aut repentinâ corporum in excalefactis hypocaustis incalescentiâ, aut aliâ quâcunque occasione attenuata, & dissoluta eatenus diffluxit, ut universos, vel saltem potissimos cerebri meatus, & nervorum inde in reliquum corpus protensorum origines inundârit, obstruxeritque, eoque ipso spiritibus animalibus suam circulationem, & consuetum in subjectas partes influxum præpedierit. Unde repentinæ illæ, de quibus suprà, apoplexiæ; vel siquà obstructiones tantæ non fuêre; tantæ tamen, ut præ iis spiritus animales cursum suum debito sibi tramite prosequi non potuerint, sed potiùs in gyrum acti fuerint; vertigines illæ, vel saltem certæ fluctuationes cerebri sæpe sæpius apoplexiarum, vel epilepsiarum prodromi; de quibus hoc anno plurimi non solùm fuêre lamentati, sed quipiam planè apoplectici successivè, vel epileptici facti. Quod si autem tales coagulationes, & subsistentiæ, seu stagnationes dictorum humorum simili modo in aliis corporis partibus quandoque accidêre, aliæ ibidem evenêre indispositiones: vel-

uti in pulmonibus vomicæ, ad quas poſtea conſecutæ ſunt primùm tuſſitationes inanes, ſucceſſivè humidæ, & ſæpe cruentæ, ultimatim planè purulentæ cum totius corporis contabeſcentia phthiſeos nomine veniente, & interitu ipſo: In collo ſcrophulæ, alibi alterius generis tumores. Quatenus tales humores autem copioſiùs ad nares deſtillabant, ad fauces, aut alias partes, evadebant gravedinum, raucedinum, tuſſium, & aliarum vulgò dictarum defluxionum cauſa, ſicut arthriticorum, & rheumaticorum dolorum, ſi ii à frigore juſtò acriores redditi, inque perioſtiis articulorum, vel etiam interiacentium partium depoſiti, ea ſuâ acredine rodebant, lancinabantque &c.

Sicut autem reliquus anni decurſus erat quoad aëris temperiem ordinatior, ita erat ſanitati humanæ conferentior: excepto, quòd vere Aprilis fuerit repentè à præter morem vigoroſis & conſtantibus Solis radiis adeò excalefactus, ut auræ temperie ferè æſtatem præ ſe ferret: Majus econtra ob prædominantem cum Euro Boream, pluviasque adeò rurſus perfrigeratus, ut præ ſe ferret autumnum, quod ominoſum Hippocrati 3. *aph.* 1. quod tempus propterea etiam notabiliter plurium erat ferax morborum. Æſtate econtra & autumno, utpote quoad auræ temperiem regulatioribus, tantò ſalubrius vivebatur, neque obſervabantur in eis facilè aliæ indiſpoſitiones (exceptis variolis toti anno communibus) præterquam ſporadicæ, & quæ potius erroribus circa victus rationem commiſſis videbantur eſſe imputandæ, quàm aëris vitiis: febres pura potiſſimum intermittentes, vomitiones, alvi fluxus, colici dolores &c. quamvis & ad hos poterat jam prius aliquod fundamentum jeciſſe prægreſſum adeò rigidum hyemale frigus ſaltem ſuâ acredine: ſicut pariter ad vertigines illas, & apoplexias, quæ quibusdam etiam æſtate ipſa, & autumno fuêre pernicioſæ. Probatum ſiquidem fuit à nobis in præcitatæ noſtræ *Chronologiæ Med. Ann. I.* §. XLIII. morbos, qui in temporibus accidunt, non tam ex præſentibus, quàm ex præteritis aëris morbidis conſtitutionibus eſſe dimetiendos.

Nunc, qui præterit December jam in alteram hebdoma-

dam conſtantibus zephyris perflatur cœlo nunc nubilo, nunc pluvioſo, jugiter autem vaporoſo, exiſtente. Metuo valde, ne cum tempore ſiniſtri quid parturiat! Curationes denique hactenus enarratorum, & aliorum brevitatis gratiâ præteritorum morborum quod concernit, eæ quidem nihil ſingulare præ ſe tulêre, utpote remediis nobis familiaribus, & in ſimilibus caſibus in *Chronologia noſtra Medica* hinc & inde notatis communiter feliciter inſtitutæ; ſicut tamen apoplexiæ communiter fuêre *fortes*, adeoque ex ſententia *Hipp.* 2. *aph.* 42. *incurabiles*, ita nullam recepêre curationem, uti neque confirmatæ phthiſes. Quæ apoplexiæ autem fuêre leviores, eæ quidem demum rurſus fuêre ſuperatæ; ſed valde lentè: quemadmodum in certo arcium præfecto; quamvis ego eum non tam pro apoplectico habuerim, quàm cui memoria adeò erat læſa, ut ſui idiomatis omnimode per aliquot hebdomadas oblitus fuerit. Reliqui ſiquidem ſenſus utcunque ſibi conſtabant, ille ſe etiam, quantum ex ſignis colligebatur, ſuper omnia reflectebat: ſolùm, (quod quid eſt planè ſingulare) nullam prorſus rem ſignificativæ aliquâ voce nominare poterat; verùm quæcunque ad ſe explicandum loquebatur, vel etiam ſcribebat, erant articulata quidem, ſed nihil ſignificativa, qui nunc demum tamen ad tot uſurpata eatenus ſe recollegit, ut ob defectum vocabulorum ſignificativorum intrà loquendum rarò tantiſper ſubſiſtat.

Coxæ dolores fuêre etiam plerumque adeò contumaces, ut etiamnum ſint, qui eis jam à Vere hoc acerrimè detinentur. Certus Juris Conſultus ex eis ſuppuratis planè interiit. In quo illud admirabar ego, quod priusquam morereţur ille, tuſſire, pectore dolere, & cruenta rejicere, purulentaque incœperit, antea nunquam pectore indiſpoſitus. Procul dubio pus à venis in ulcere abſorptum, & circulando ad pulmones delatum, eos adeò corroſerat, ut & illi ſuppurati ſucceſſivè in tabem abierint? Sed ſic fit, dum Empiricis, ſicut in hoc caſu, confiditur: ubi prætermiſſa methodo curandi artificiali bonus patiens ſe totum Empiricis concrediderat.

In

In Variolis denique, quarum curationes ſimiliter feliciter ſuccedebant remediis à nobis in Chronologia noſtra Medica deſcriptis (niſi eis acceſſerint vel petechiæ, vel alvi fluxus) mirabar ego, quòd quantumvis illæ fuerint ſatis aliàs malignæ, & propterea multis perniciosæ; nullas tamen poſt ſe relinquere ſolitæ ſint foveas. Uti &, quòd eas hactenus nondum conſecutæ ſint febres petechiales; quod tamen, quantum hactenus obſervavi, communiter accidere ſolet. Niſi id forte primò fiat. Earum ſiquidem nondum eſt factus finis.

Quia, quibus acceſſerant alvi fluxus, communiter obierant, lubet curam pro Coronide adjungere, quam ego cum felici ſucceſſu peregi in puellula novem annorum. Illa ſub principium invaſionis per ſuperna aliquoties vermes rejecerat, per decurſum autem dejiciebat frequentiſſimè cum torminibus cruenta, atque adeò verſabatur juxta dicta in manifeſto vitæ periculo: poſtquam tamen ſequentia ordine uſurpâſſet, convaluit feliciſſimè. Omnium autem primò ipſi injiciebatur talis clyſter abſtergens: ℞. Decoct. hordei cum rad. torment. ʒij. flor. roſ. rub. p. 1. facti ℔ β. mell. roſ. col. ʒβ. m. f. clyſter. Cui paulò poſt ſuccedebat talis adſtringens: ℞. Lact. vaccin. chalyb. in quo decoctæ fuêre rad. torment. ʒij. herb. polygon. flor. hyperic. & vet-baſc. ana p. 1. ʒv. Adde mell. roſ. col. ʒβ. ter. ſigil. pulv. ʒiβ. m. f. Clyſter. qui per decurſum etiam ſæpius repetebatur.

Secundò per os quotidie aſſumebatur talis bolus: ℞. Conſerv. menth. Elect. diaſcord. Frac. troch. de ter. ſigil. ana ϑβ. unicorn. foſſ. gr. v. lap. bezoard. or. gr. iij. M. cum Syr. coral. f. bolus. Cui ſemper ſuperbibebatur tantillum de vino cydoniorum.

Tertiò externè abdomini admovebantur calidè à poſt & anteſacculi herb. chamæm. abſynth. menth. polygon. & roſ. rub. referti, & in vino rubro decocti. Potus denique erat decoctum torment. gran. maſtic. & cruſtæ panis. Cibus oryza, panatellæ ex bis cocto. &c.

CONSTITUTIO
Anni 1710.

QUantum in conſervanda, vel lædenda humanorum corporum valetudine valeant ſalubres, vel inſalubres aëris conſtitutiones dedimus pluribus in *Chronologia noſtra Medica*, & docuit nos proximè valedicturus annus 1710, utpote qui ſicut hyeme fuit paucis nivibus perſperſus, & propterea toleranter frigidus, ita fuit pauciſſimis morbis, & eis potius ſporadicis, ac ab inordinata victûs ratione, quàm epidemicis, ac ab inſalubri aëris temperie dependentibus obnoxius: planè aliter, ac poſtremo præterlapſus annus 1709, quem utpote nivoſiſſimum, frigidiſſimumque ante annum recenſueramus, fuiſſe apoplexiis, epilepſiis, vertiginibus, gravedinibus, cephalæis, pleuritidibus, raucedinibus, tuſſibus, hæmoptoyſibus & omnis generis aliis defluxionibus quàm pleniſſimum. Eſt verum quidem neque hanc hyemem eis ipſis affectibus omnino caruiſſe: certum tamen æquè eſt, eis longiſſimè minus fuiſſe obnoxiam. Neque ſine ratione: quando enim tempora in ſibi connata temperie citra ſingulares, repentinas, & multùm ſenſibiles de calido in frigidum &c. mutationes (qualiter factum hâc hyeme toleranter boreali, & æqualiter frigida) decurrunt; ſicut in corporibus non accedunt ſingulares alterationes, ita neque ſingulares morbi. *Mutationes* ſiquidem *temporum* teſte Hipp. 3. aph. 1. *potiſſimùm pariunt morbos, & in ipſis temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris.* Quales proinde cùm non acciderint hâc hyeme, ea non potuit fuiſſe ſingulariter morboſa. Quod ea verò interea tamen morbis non caruerit; fecêre, uti dixi, potius ſubinde commiſſi in victûs ratione errores, quàm aëris morboſa conſtitutio.

Ver autem ſicut erat nonnihil inordinatius, & à ſeptima Aprilis usque ad undecimam ad prægreſſam mitiorem auram nivoſo-pluvioſum, & ex Borea ſenſibiliùs frigidum. In Junio etiam ſæpe ſæpius tempeſtuoſo-grandinoſum, conſequenter pari-

rer

ter ultra modum aſperum ; ita memoratis defluxionibus tantò magis dives. Cæterùm verò tamen ob prægreſſam, uti dictum, mitem, & nivibus ferè expertem hyemem adeò acceptum, ut jam ſub dimidio Aprilis omnia eſſent in virore, & flore : 21. Aprilis etiam præter ſolitum ſiligo actu ariſtas protruderet.

Quod nunc dictum eſt de Vere, idem planè accipiendum venit de æſtate, utpote ſimiliter variâ ſæpius pluvioſo-tonitruoſa, & ex potiſſimùm prædominante Boreâ ſæpe etiam ſub ipſis canicularibus potiùs frigidâ, quàm more ſibi debito æſtuoſa, & propterea etiam præterquam ſatis, vineisque nocivâ Catarrhorum, tuſſium, arthritidum, & morborum autumnalium, ſi quæ alia, ferace. *Per anni* ſiquidem *tempeſtates* teſte Hipp. 3. aph. 4. *quando eodem die modo calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.* Teſte Valleriolâ etiam de loc. com. lib. 2. cap. 4. *Si viciſſitudine quâdam aquilonius flatus auſtrinum ſequatur, fluxionum tum morbi ſequentur.*

Autumnus denique non fuit quidem adeò varius, ac communiter eſſe ſolet, eò quòd excepto fine Octobris, quo ex diutiùs protractis pluviis omnia aquis inundabantur, non fuerit admodum pluvioſus, neque conſueta ventorum alternatione multùm inæqualis : in eo tamen erat præ aliis hujus anni temporibus inſalubris, quòd ferè inceſſanter aut prædominarentur Auſtri, venti teſte Hipp. 3. aph. 5. inſaluberrimi, aut aura fuiſſet nebuloſa, craſſa, humida, vapida, & veluti ſtagnans diutiſſimè Solis radiis orbata, ac propterea maximè tetrica, & præſertim melancholicis adverſa, merarum obſtructionum fabricatrix. Hinc etiam ferè nunquam tot Conſilia medica circa affectiones hypochondriacas habita, quàm rectè hoc autumno. Quamvis præterea plurima paſſi fuerint etiam arthritici, quartanarii, & colicis doloribus torti cum non rarò deſuper conſecutis epilepticis convulſionibus, aut pareſibus. Taceo catarrhos, & omnis generis defluxiones, quorum utinam majores effectus non primò in futurum experiremur, vel etiam peſtiferæ luis, cùm de ejus ſævitiæ aliàs jam multùm ſpargatur, ulteriorem progreſſum! Nulla ſiqui-

ſiquidem aëris conſtitutio ſolet eſſe hujusmodi malignitatis adeò ferax, quam rectè talis. Quamvis, uti in *Vindiciis meis medicis auræ Labacenſis* §. XXIX. memini, apud nos non eò usque; ob vicinitatem maris Adriatici, ex quo in tranſitu flatibus auſtrinis multùm particularum ſalinarum volatilium admiſcetur, quibus putredinoſa illorum malignitas corrigitur. Plurimùm ſunt paſſæ etiam in uteris gerentes, propterea ſæpius vel ante deſtinatum tempus puerperæ factæ, vel morboſos fœtus enixæ ob acetabula uterorum mucore ex tantis aëris humiditatibus contracto referta.

Curabantur autem colicis doloribus torti feliciter lenibus laxativis per intervalla propinatis, anodynis, quale fuit præpri-mis ol. amygd. dulc. & carminativis, quale erat decoctum flo-rum chamomil. rom. cum additione ſucci ſtercoris equini ave-nâ paſti, & Syr. de althæ. Fern. quartanarii præmiſſis præmit-tendis tali ſpecifico: ℞. Cort. peru. alcohol. ℈ij. flor. Salis Armo-niaci, Antimonii diaphor. ana ℈ß. M. f. pulv. detur mane & veſpe-ri, ſed methodo tali, ut febris non ſolùm emaneat, quod plerum-que intra hebdomadam fit, verùm etiam nunquam ampliùs re-vertatur, quod etiam facilè præcavetur.

Arthritici denique ſuis ſpecificis, præſertim oſſ. microcoſ. phl. pp. Antimonio diaph. cinnab. nativ. mixturâ ſimplici, lum-br. ter. &c.

DISSERTATIO EPISTOLICA

De

Mulhuſini Territorii finitimorumque locorum Conſtitutione Epidemica

Anno 1700. *obſervata*

ad

DOMINUM LUC. SCHRöCKIUM,

Cæſareo-Leopoldinæ Nat. Cur. Academiæ Præſidem &c.

Auguſtam Vindelicorum transmiſſa

a

JOHANNE GEORGIO HOYERO,

Philoſopho Med. Doctore & Cæſareo Leopoldinæ Nat. Cur. Academiæ Collega Apollodoro dicto.

Licet

§. 1.

LIcet in historia morborum epidemicorum primus vetustissimorum scriptorum Hippocrates desudaverit & digito quasi filiis artis usus tanti laboris prorsus insignes monstraverit, nescio tamen, quo fato sequentium temporum scriptores negligentius ferme tractaverint Epidemica. Postquam autem postliminio exteri Medici, celeberrimus Sydenhamius de Constitutione Londinensi, atque splendidissimum Italiæ sidus excellentissimus Ramazzinus de Constitutione agri Mutinensis scripta divulgarunt, genus horum scriptorum non solum ab omnibus solide doctis semper fuit expectatum, sed & eorum vicit opinionem.

§. 2. Enim vero cum non minus Climata, sub quibus laudatissimi Viri suas observationes consignarunt, ut & vitæ genus seu rerum sex non naturalium usus aliaque à nostratibus diversissima sint, ipsique Germani, dum pati videntur idem quod Græci, Angli, vel Itali, idem profecto non sit, quis obsecro non commendet, quæ plures excellentissimi Viri de diversarum Germaniæ nostræ provinciarum Constitutionibus Epidemicis conscribere operæ pretium putarunt? Quibus eruditissimis, si parva magnis componere licet, Epidemicam Territorii patrii Mulhusini Constitutionem superaddere ac perillustri Tuo nomini inscribere non erubesco. Fateor enim, à singulari gratia Tua erga me, de quâ suavissime in literis tuis ad me datis scripsisti, magis me affectum fuisse, quam Herculem Xenophontium illum à Voluptate, ut ea adducar ad hoc suscipiendum amorique tuo pluscullum etiam, quam facultas & copia mea forsan concedit, largiar.

§. 3. Laudatum itaque liberæ hujus & Imperialis Civitatis territorium sub elevatione póli 51. grad. 20. minut. in Thuringiæ & Hassiæ confiniis situm ampla & amœna planitie conspicuum, soli polique singulari clementia beatum, quamvis præ finitimis locis saluberrimum quidem putatum, nihilominus tam ab aëris & tempestatum injuriis, quam ab epidemicis & contagiosis morbis minime fuit immune. Nam ut à fine lapsi præcedentis seculi potissimum exordiar (pluribus aliis, quæ duobus lustris, licet

Mo. Bot. Garden,
1902.

licet minus perfecte notavi, data occasione intermiscendis) hyemale tempus tam finiti 1699. quam auspicati 1700. anni nobis prorsus inconstans erat: nunc rigido Borea ab axe ruente, mox pluvioso nobis Libanoto (vento inter Austrum & Favonium medio) spirante; nunc maxima nivis copia defluente, mox nebulosa ac nubilosa, maximam verò partem pluviosa, rarius procellosa, intempestate varias subinde molestias creante.

§. 4. Durabat hæc tempestatis varietas ad æquinoctium usque vernum: & sicut his mensibus varius macrocosmi status, ita microcosmus etiam variis symptomatibus & ægritudinibus erat obnoxius. Tenellorum, qui nutricationis annos nondum excesserant, plures febribus catarrhalibus, nonnulli catarrhis suffocativis decumbebant, qui tamen omnes ferme post adhibita pectoralia balsamica diaphoreticis maritata, laxativis & emeticis pro re nata interpolatis ex voto convalescebant. Sub finem mensis Januarii, Morbillis affligi cœperunt, benignis quidem, adeò ut pluribus, medici caloris temperamento servato, sine medicamentorum usu morbilli copiosi erumperent ac tempore solito rursus evanescerent. Paucis atrocius afflictis bezoardica fixiora, aquæ destillatæ & papaveracea proderant, quorum nonnullis, qui medicamenta neglexerant prorsus, post exantlatos morbillos tussis cum febre hectica difficilius curanda eveniebat.

§. 5. Adultorum quidam doloribus Arthriticis tum vagabundis scorbuticis tum fixioribus (quales morbi nobis endemii quasi sunt) menses hyemales fere durantibus discruciabantur, qui tandem per medicamenta specifica, sudorifera interna, nervina & spirituosa externa, Venæsectiones & scarificationes iteratas &c. unguinosis & emplasticis (nodos & affectus chronicos imo prorsus incurabiles causantibus) vitatis, feliciter sopiebantur. Alii febribus ardentibus & malignis, periculosis phænomenis, pleuritide, deliriis, convulsionibus &c. stipatis corripiebantur, non tamen ut annis præcedentibus æque lethiferis, nisi forsan unus & alter vel ab empirica manu vel negligentius tractatus ad plures abierit.

§. 6. Im-

§. 6. Imminente tempore vernali anni 1700. humidiorem tempeſtatem ſtatus aëris temperatior & ſiccior excipiebat, qui per hos menſes Euro ſubinde ſpirante continuabatur: Adeo ut pluviæ vernales fertilitatem præſagientes rariores, ipſaque tellus pulverulenta quaſi notaretur, & hinc frugum æſtivarum ſpes agricolis dubia redderetur. Id quod eventus ipſe pluribus in agris tardius ſatis comprobabat. Neque enim hordei, avenæ, legumi-num, pluriumve æſtivorum opimam æque quam hybernorum frumentorum ſiliginis & tritici meſſem vidimus.

§. 7. Jam Morbillos excipiebant Variolæ apud alios interſtinctæ, apud alios confluentes: quamvis tam vernalibus hiſce quam menſibus æſtivis, paucis exceptis, qui diætæ limites exceſſerant liberius, minus funeſtæ. Neque febres more malignarum decurrentes jam ceſſabant, nonnullis medicamenta prorſus inſuper habentibus in noſtro territorio lethales. Vicinorum autem locorum, imprimis ſeptentrionem verſus ſitorum, Liberæ Imperialis Northuſæ & aliorum finitimorum oppidorum & pagorum incolis & Herciniæ Sylvæ accolis tam præterito brumali quam hoc vernali tempore magis infenſæ & pluribus exitioſæ.

§. 8. His ita contingentibus non potui non ruminari prognoſticon, quod anno ſuperiori 1699. grana illa nigricantia majora in ſiligine copioſiſſime reperta & per magnum Thuringiæ tractum ab Herciniâ ad Semanam usque ſylvam obſervata (vernaculâ linguâ Mutterkorn appellata) curioſis ſubminiſtrabant: videlicet ab uſu monſtroſorum ejusmodi granorum inevitabili, non ſane farina laudabili & altrice, ſed inutili, depravata & inſalubri protinus materia ipſis etiam brutis nauſeam movente refertorum, variis morbis, febribus, variolis, morbillis, aliis afflictum iri genus humanum.

§. 9. Cui præſagio eum jam reſponderet eventus, illorum ſententiam confirmare videbatur, qui morbos epidemicos non præſentium, ſed præcedentium effectus eſſe perſuaſum ſibi habent. Quamvis à mente mea impetrare nondum potuerim, ut hoc aſſertum κατὰ παντός affirmari poſſe credam. Certiſſimum quidem

quidem eſt, prava & depravata alimenta ab annis præcedentibus nobis ſuppeditata multo uſu continuata epidemicos affectus ſæpe producere: Qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus talis ſanguis, qualis ſanguis talis valetudinis noſtræ ſtatus. Enim vero conſtitutiones præſentes non ſolum plures epidemicos morbos, alimentis etiam ſanis exiſtentibus, parere, ſed illos etiam, quos vitioſis cibis debemus, quaſi modificare ſeu intendere & remittere cum magno Hippocrate rerum magiſtra quotidiana experientia teſtatur. Ecquis enim dubitabit frigidum, humidum, & cœnoſum atmosphæræ ſtatum (qualis ſupra citata noſtra hyemalis erat) ἀδιαπνευσίαν (quæ illuſtri *Wedelio* teſte *Theorem. Med. part. IV. Sect. 2. th. 3. infinitorum morborum & febrium mater eſt*) peperiſſe? De quo pluribus *ingenioſiſſimus Sanctorius in Medicina Statica Sect. 2. aphoriſm. VI. & VIII. &c.* videndus.

Ecquis negabit aëris noſtri verni & mox dicendi æſtivi ſtatum ſereniorem epidemicos hos affectus benigniores nobis reddidiſſe? Ut jam ea, quæ ſuperioribus annis de periculoſioribus affectibus epidemicis â præſenti conſtitutione unice quaſi derivandis notavi, nunc mittam, neque de contagio, de nebulis, de roribus vitioſis & aliis mille malis, (queis atmoſphæra noſtra in dies & horas obnoxia) machinæ humanæ mediante reſpiratione dictum factum exitioſis hic quicquam memorem.

§. 10. Ampliſſimus hic aperiretur campus de nebulis, de roribus, imprimis autem de cauſa dictorum corruptorum ſiligineorum granorum, rore puta vitioſo, mellei ſaporis & conſiſtentiæ, (noſtratibus Honigthau nuncupato) differendi: ſed ne juſto prolixior ſim, ea, quæ hic inferere potuiſſem, ad obſervationes anno futuro, DEO volente, Ephemeridibus Germanorum communicandas reſervo.

§. 11. Poſt Solſtitium tempus æſtivum calidius & ſiccius usque ad æquinoctium autumnale permanebat: Pluviis enim non, niſi expectatiſſimis, evenientibus cœli ſerenitas conſtantiſſima ridebat, lætamque meſſem & optatam, flantibus ſuaviter

Ete-

Eteſiis, nobis reddebat. Exoptatiſſimus omnibus erat hujus temporis ſtatus: Poſtquam enim caritas annonæ mortalium myriadas partim fame emaciaverat, partim ad incitas redegerat, jam jam ſub auſpicium ſeculi velut è cornu copiæ omnium rerum pro vita ſuſtentanda neceſſariarum Divina Munificentia largiebatur opimam meſſem. Horrea frumentorum ad laxiorem annonam redeuntium abundantiam vix capiebant: Conclavia, cellæ, pavimenta larga rerum copia & opibus Cerealibus quaſi ſcatebant: Neque vini ultra duo luſtra deſiderati ſpes concepta aubant: Neque vini ultra duo luſtra deſiderati ſpes concepta autumno ſequente decollabat. Tantæ felicitatis non ultimam ſane cauſam laudatiſſimum calorem æſtivum putandum eſſe jamdudum præſagivit Virgilianum veriloquium Georgic. I. *Magnaque cum magno veniet tritura calore.* Cujus veritatem ſicut præcedentium quorundam annorum ſterilitas, ita ſane præſentis fertilitas per univerſam Europam ſatis confirmabat.

§. 12. Interea temporis non ceſſabant affectus epidemici, videlicet variolæ continuatæ benigniorum more ſua tempora decurrebant, neque malignitas earum jam creſcebat. Præter haſce quotidianæ, tertianæ tam continuæ quam intermittentes & quartanæ febres, minus tamen rebelles & rariores obſervatæ & poſt adhibita probata remedia brevi fugatæ. Febres ardentes autem ſuo contagio eo latius ſerpebant, quo intenſior his diebus ſentiebatur æſtus. Mirum profecto febres haſce ſymptomatibus malignis horrendas, minime tamen lethales, hoc potiſſimum tempore, quod ſaluberrimum videbatur, invaluiſſe. Nec inanem locabo operam ſi plenius paulo tam phænomenorum quam curationis hiſtoriam breviſſimis hic tradam.

§. 13. Corripiebantur hac febre non ſolum juvenes, ſed mediæ ætatis utriusque ſexus homines, quin etiam ſenes. In plurimis horrorem prævium calor totius ſummè efferatus ſubſequebatur: Hinc ſitis, vigiliæ & atroces dolores capitis & aliorum membrorum circa articulos præſertim ſe exerentes notabantur. Arthriticis hiſce doloribus vexati paralyticorum more decumbebant, adeo ut neque pedes neque manus ſuis fungi poſſent mu-

niis. Nonnullis alvus & urina vel invitis per aliquot dies effluebat. Deliria leviora paucis saltim aderant: Vires autem omnibus pene valde prostratæ. Aliis vomitus bilioſi, aliis diarrhææ satis moleſtæ. Quibusdam fluxus hæmorrhoidum nimius, ab imperitis pro fluxu dyſenterico habitus: Plurimis hæmorrhagiæ narium largiſſimæ imo prorſus enormes eveniebant. Cumprimis vero quosdam Cardialgiæ ſumme dolorificæ tantopere diſcruciabant, ut de ſalute corporis deſperantes ſacram Euchariſtiam moribundi, velut ultimam ad conſequendam æternam ſalutem medicinam, unice expeterent, quin imo à Syncopticis & moribundis diſcerni vix poſſent.

§. 14. Neque contagii expers erat hoc malum, dum unico decumbente plerumque reliqui, quotquot aderant, domeſtici vel unà vel aliquandiu poſt eadem febre corripiebantur. Ut enim reliquos tam in civitate & ſuburbiis quam in pagis decumbentes ſilentio prætream, exempli loco adducam milites à Centurionibus ſive Capitaneis quibusdam nutu potentiſſimi Daniæ atque Norwegiæ Monarchæ noviter hic conſcriptos, quorum unus & alter hoc febris genere cum forte vexatus fuiſſet, brevi poſt eôdem malo plures afficiebantur, adeo ut intra duorum vel trium menſium ſpacium plures quinquaginta curationi meæ traderentur.

§. 15. Ex phænomenis citatis velut ex ungue leonem cauſam febris hujus proximam particulas alcalinas maſſæ ſanguineæ craſin ſeu mixtionem nimis rarefaciendo turbantes, facile dijudicare poteram. Ex quo fundamento curationis methodum formare non adeò difficile erat. Scilicet calor æſtivus intenſior, ætatis vigor, potus cereviſiæ noſtratis ſatis lupulatæ calidior & copioſior, enormes hæmorrhagiæ, omnia & ſingula phlebotomiam præprimis poſtulare videbantur, quam plerisque ſemel, quibusdam pro indicationis modulo bis adminiſtrare ſuadebam. Sanguine vix evacuato, ſingulari ſtrategemate ſudorem, quem quidem Celeberrimus *Bagli-vus Medicus Romanus* Prax. med. lib. I. poſt ſanguinis miſſionem cum levamine patientis ſtatim apparere ſcribit, medicamentis procurabam. Quo fine pulveres ex bezoardicis fixio-

fixioribus C. C. phil. præparat. oc. cancr. antimon. diaphoret. rad. contrajerv. corall. rubr. terra ſigillata, nitr. anodyn. vel pulv. bez. Wed. addito camphoræ tantillo loco ſudoriferi nonnullis eximio cum ſucceſſu propinabam, atque febrem in prima quaſi herba citius ac felicius quam Emeticis vel Purgantibus ſine ſingulari ſucceſſu quibusdam datis, ſuffocabam. Morbo nihilominus ingraveſcente dolorum capitis mitigandorum & delirii præcavendi cauſa Veſicatoria optato cum levamine nuchæ applicare ſuadebam. Morbo durante balſamica & bezoardica media ex Tinctur. prophylact. m. d. eſſ. myrrh. ſimpl. & balſam. Scordii, Mixtur. ſimpl. Elix. p. p. &c. præſcribebam. Ad reſtingvendam ſitim loco potus ordinarii vel infuſum veronicæ vel cereviſia ſecundaria tenuis valde, cui vel Tinct. roſar. vel papav. errat. vel violar. vel ipſe ſpiritus vitrioli ſedulò inſtillatus commendabatur.

§. 16. Interim vero ſymptomatibus reliquis vel ex maligna morbi natura vel errore diætæ individuo contingentibus, aptis remediis obviam ire non negligebam. Nam ut verum fatear, majorem curam talia ἐπιγενόμενα poſtulare videbantur, quam ipſe febrilis affectus. Sic urgentiſſimum ſymptoma Cardialgia, quod nonnullos tantopere diſcruciabat, ut ab agonizantibus diſcerni vix poſſent, ſpirituoſis aromaticis carminativis vel imprimis pulvere abſorbente *Wedelii* plerumque curabatur. Dolores Arthritici contumaciores ſpiritu volatili urinoſo bezoardico, eſſ. anod. nec non pulveribus bezoardicis diaphoreticis cinnabarinis tardius quidem, feliciter tamen mitigabantur, additis præſertim anodynis. Opiata enim, quæ febre Arthritica epidemica anno 1699. graſſante inſtar ſalivæ viperinæ vitanda jam velut anchora ſacra nobis erant. Vomitus ſpontanei vel bilioſi vel aſſumtorum, ut & alvi profluvia, quando diutius durabant, Mixturis ex eſſ. theriacal. tinct. terræ catechu & tinct. opii cum ſucco cydoniorum per fermentationem parata, nec non pilulis ſtypticis m. d. pulveribus ex terra ſigill. bol. armen. C. C. Uſt. rad. biſtort. pulv. bez. Wed. &c. compeſcebantur. Hæmorrhagiæ narium aliis quarto, aliis ſeptimo, aliis nono, vel undecimo die contingentes, quæ mul-

multum negotii facessere solebant, ultra euphoriam & ad lipothymiam usque durantes præter interna refrigerantia & incrassantia externo probatissimo styptico Anglicano sive in forma sicca sive spissa cum aceto & gossypio, applicato: Hæmorrhoides nimis fluentes præter pulveres è stypticis & bezoardicis conflatos essent. theriac. traumat. *Wed. à Beato Hagendornio in tr. de terrâ Catechu* descripta sistebantur. Taceo pleuritidem tam veram quam spuriam, anginam, alvum per multos dies adstrictam, alia remediis aptis aliis curata. Adeò singula phænomena quamvis periculosa putata facili negotio tollebantur, & quæ à Practicis infidæ crises passim notatæ, jam fidæ, perfectæ & salutares erant. Hoc apparatu perexiguo tum laudatus gregarius miles, cum plures vilioris conditionis homines, DEO benedicente, ex voto curabantur. Delicatioribus nonnullis præter dicta potiones cordiales confortantes & pulveres bezoardici pretiosiores proderant.

§. 17. Quod vero admiratione maxime dignum, ne unicum satis periculose licet decumbentium, mensibus quidem æstivis vivere desiisse memini. Neque Lunæ phases notabilem his febribus alterationem attulisse vidi, qualem tamen, cum præcedentibus annis 1698. & 99. febris epidemica, quæ nonnullis petechialis erat, hîc loci grassaretur, multoties mecum plures curiosi præsertim mensibus hyemalibus & autummalibus observabant. Mensibus enim his singulis omnibus fere, Luna decrescente vel silente nonnulli febricitantes, tam illi, qui ab experientissimis Medicis summâ industriâ probatis medicamentis curabantur, quam qui naturæ, morborum medicatricis, ope freti, sine ullo remedii genere decumbebant, celerius opinione Libitinæ tradebantur: convalescentibus plerisque, qui post Novilunium adcrescentem usque Lunam manebant superstites.

§. 19. Vix attentius hæc mentis lance trutinassem, nisi laudatissimum *Ramazzinum*, febre petechiali in civitate & agro Mutinensi grassante, idem illud observasse, dissertationis ejus *decuriæ quartæ Ephemeridum Germanorum anno quarto insertæ paragraphus XVI.* testaretur, aliosque, ut lunæ phases in morbis

bis epidemicis animadverterent, hortaretur. Quam ob rem non desii causam rimari, cur febres continuæ malignæ, non tamen æque omnes pro mutationibus lunæ, adeo subitaneis alterationibus, mortem ipsam portendentibus, sint obnoxiæ? Cujus phænomeni causa quo dilucidius explicetur, suppono

I. Juxta tritum:

Ad lunæ cursum variant animalia corpus, lunarem influxum (reliquis tam superstitiosis quam sanioribus astrologorum opinionibus juxta recentiorum quorundam hypotheses jam semotis) esse extra ullum dubium statuendum, imprimis in morbida animalium corpora, de quo cum laudatus *Wedelius in theorem. med. part.* 3. *sect.* 6. tum præprimis philosophorum recentiorum Celeberrimus & accuratissimus *Sturmius in Philosophia Eclectica disp. de siderum influxu p. m.* 632. *seqq.* legi merentur.

II. Influentias hasce lunares, quas vel alia sublunaria vel ipsa præprimis ægrotantium corpora sentiunt, vix aliunde quam à lumine lunæ dependere, & sicut tempore interlunii nullum lumen, ita neque influentias habere lunam; videatur *Sturmius loco citato.*

III. Influentias tales esse subtilissimas & quasi spirituales, ideoque subtilissimum succum nervosum, quem spirituum animalium nomine indigitant, potissimum concernere, id quod exempla Epilepticorum &c. toto die manifestum faciunt.

IV. Dari febres, quæ succum nervosum subtilissimum seu spiritus animales magis afficiunt & quasi depauperant quam massam sanguineam. De quibus Celeberrimi *Wirdigii Medicina spirituum* pluribus consulenda. Ut jam non laudem quotidianam experientiam, quando Medici clinicam praxin exercentes ingeminant: *Urina bona, pulsus bonus, æger moritur:* præsente puta malignitate non æquè vitales quam spiritus animales pessundante. Ex his colligere licet, utique ab influxu, lunari tempore lunæ decrescentis & interlunii debiliori existente, dependere lethiferas ejusmodi alterationes, in febribus præsertim nervosum genus seu spiritus animales potius quam massam sanguineam afficientibus.

Nimirum ſpiritus animales ab inimico miaſmate febrili depauperati, tantiſper refocillantur ſubinde per influentias lunares lunæ creſcentis & plenilunii tempore fortiores, hiſce verò tanquam aliquali fomento luna decreſcente vel ſilente deficientibus, ſpiritus ipſi magis magisque deficiunt, deficientibus ſpiritibus vita deficit & ægrotus vivere deſinit. Vix opus eſt disquirere prolixius, num febres petechiales agro Mutinenſi & malignæ territorio Mulhuſino annis 1698. & 1699. citatis moleſtæ nervoſum genus magis affecerint quàm maſſam ſanguineam? cum ipſæ ſpirituum & ſenſuum læſiones variæ, Syncope, lipothymiæ, convulſiones epilepticæ, deliria phrenitica & alia ſymptomata, quæ febribus illis frequentia fuerunt, id ſatis evincant. E contrario, cujus occaſione hæc dicta ſunt, æſtivam noſtram in maſſa ſanguinea radicatam, & hinc pro phaſibus lunæ tantis alterationibus minus obnoxiam fuiſſe, per ſupra memorata clariſſimum eſt.

§. 19. Sed ut è diverticulo redeam in viam, ex illis ſane, quæ de morbis æſtivis ſuperius allata, luce meridiana clarius eluceſcit veritas eorum, quæ divinus præceptor *Hippocrates de Conſtitutione temporum* paſſim in operibus ſuis commentatus: quicquid alii in contrarium afferre ſuſtinent. Ita ſane velut è tripode Apollinis dicta, quæ *libro de aeribus, aquis & locis §. III p. m.* 330. recte divinat: *Siquidem æſtas ſicca fuerit, citius ſedantur morbi: Si vero pluvioſa, diuturni fiunt.* & 3. *aphoriſm.* 15. *Inter anni ſtatus omnino ſiccitates imbribus aſſiduis ſunt ſalubriores, minusque funeſtæ.*

§. 20. Quæ quam conſentanea vero ſint, ipſe equidem, qui ſequebatur Autumnus ſatis pluvioſus etiam contrario exemplo confirmabat. Quippe poſt Æquinoctium autumnale circa Michaëlis feſtivitatem mira cœli clementia huc usque continuata pluviis aſſiduis permutabatur, intercurrentibus nonnunquam ventorum injuriis; Quibus ad finem menſis Octobris perdurantibus, Sole ad ſcorpium accedente, circa vindemiam nebulæ pluribus diebus conſtantes cum frigore ſatis acri in ſcenam prodibant. Menſis ſequentis Novembris auſpicium auſtrinum erat

cum

cum pluviis copioſiſſimis. Hiſce poſt novilunium, aliquandiu ceſſantibus frigora nocturna Sole interdiu ſplendente, ventoque inter Zephyrum & aquilonium medio ſpirante vix diutius durantia notabantur. Mox nivem primam vidimus, ſed pluviis ſubſequentibus ad finem menſis durantibus alternantem. Sole medios Sagittarii gradus perambulante furere cœpit Aquilonius nive & frigore comitatus, phœbo dies quosdam ſerenante: Sed brevi poſt Carbas rediit pluvioſiſſimus. Frigore tandem brumali leniori ad ſolſtitium usque perdurante, tempus autumnale finiente.

§. 21. Intempeſtas itaque pluvioſiſſima per maximam autumni partem notata non ſolum deteriorem reddebat recenſitum hactenus affectum epidemicum Variolarum, ſed novum inſuper morbum, Tuſſim puta contumaciſſimam, tenellis itidem magis quam adultis exitioſam, chronicam ferme difficulter curandam & hinc tam medentibus quam ægrotantibus moleſtiſſimam, præprimis circa vindemiæ tempus; poſt nebulam illam dies aliquot durantem, in ſcenam producebat. Ab hâc tuſſe afflicti materiam quaſi purulentam veluti phthiſici conſummati copioſiſſimam nonnulli ob tuſſis vehementiam ſanguinolentam (ruptis à motus vehementiâ & materiæ acrimonia venis pulmonaribus) exſcreabant. His pectoralia, reſolventia, balſamica, diaphoretica, nervina, anodyna, diluentia decocta levamen quidem afferebant, quibus vero laxativa ſubinde ſuperaddita non niſi poſt hebdomadum plurium decurſum curam tandem ſigillabant.

§. 22. Delineata interim febris epidemica poſtquam depontanis quibusdam ſenibus finem vitæ fecerat, contagio ſuo plures haud afficiebat, ſed cum calore æſtivo ferme ceſſabat. Variolæ vero, quas per menſes vernales & æſtivos benignas deprædicavimus, cum mutabili tempeſtate ſuum quoque mutaſſe genium videbantur, ex benignis & diſtinctis malignæ, confluentes & quaſi ἐπιδημικώτατας factæ. Exiſtimarem profecto cœli & tempeſtatis ſingularem clementiam, qua tum verno tum æſti-

vo tempore graviſi eramus, variolas huc usque nobis conſervaſſe benignas, niſi annus præteriti ſeculi 1689. contrarium me edocuiſſet. Licet enim annus citatus pari ſi non majori cœli clemencia rideret, nihilominus Variolæ Brunſuigæ & Hafniæ eôdem tempore æſtivo graſſantes genii malignioris erant, ipſisque Hafnienſibus imprimis adeo infenſæ, ut plus mille hominibus, atque inter eos pluribus primariis & ipſis juventutis Principibus, epicedia pararent: Autumnalibus vero menſibus anni cirtati, præſertim menſe Octobri brumali frigore ingruente prorſus evaneſcerent: Ut hinc in aprico ſit, neque à temporis & atmoſphæræ ſtatu Epidemicam conſtitutionem unice derivandam, ſed alas circumſtantias, de quibus ſupra diximus, ſemper ſimul & quaſi conjunctim conſiderandas eſſe.

§. 23. Noſtrarum itaque Variolarum genium graphice quaſi delineatum laudatiſſimus *Dn. Sydenhamius in Obſerv. Med. Sect. III. cap. 1.* exhibet, quando ſcribit: *Appetente æquinoctio verno, Variolæ caput cœperunt attollere jamque indies latius graſſantes ſub autumno* ἐπιδημικώτεραι *factæ ſunt.* Cujus quidem phænomeni cauſam, quam ſilentii peplo involvit, capite ſubſequente ſecundo paucis innuere voluiſſe videtur, quando, *Variolæ*, inquit, *quibus annis epidemice graſſantur, ſi regulares etiam ſint atque mitiores, circa æquinoctium vernum ingrediuntur: Quibus vero annis non tantum graſſantur epidemice, ſed & irregulares atque periculoſioris ſunt generis, maturius nonnunquam menſe puta januario invadunt.* Quaſi dicere voluiſſet: pro varietate cauſæ nunc maturius & maligniores, nunc tardius & benigniores contingunt variolæ, Videlicet Maſſa ſanguinea particulis recrementitiis ſeroſis ſulphureis ſalinis volatilibus & fermentificis copioſioribus inquinata, Variolæ progenerantur maturius & malignæ: iisdem vero in minori quantitate præſentibus tardius & benignæ fiunt. Peregrinas vero ac morbificas ejusmodi particulas maſſam ſanguineam inquinantes, noſtrarum Variolarum cauſas, partim ob vitioſæ ſiliginis uſum, partim ob fructuum Cerealium eſum in tenerioribus imprimis comite ἀδδηφαγίᾳ extitiſſe facile

facile colligere licet. Quamvis interim non negem, esum carnium ex laudatissimi *Wedelii* sententia in *Doctrina manuscripta de febribus cap.* 18. videnda, in locis mediterraneis, sicuti piscium in maritimis hunc morbum non parum vulgare.

§. 24. Inde verò manifestissimum fieri censeo, nodum in scirpo quærere, qui Variolas à sanguine menstruo materno veluti causa accersere laborant. Vellem sane ac possem falsam ejusmodi hypothesin ab Arabibus, imprimis maximo Arabicæ scholæ Magistro *Ebusina seu Avicenna lib. IV. Fen. I. tract. IV. c.* 11. *pag.* 434. effictam & adhuc hodie in scholis receptam & ad ravim usque defensam, pluribus rationibus, phænomenis, observationibus tam à priori quam à posteriori refellere, nisi Celeberrimus *D. Behrens*, Practicus Hildesiensis, in peculiari *Epistola de Variolis epidemicis ad* Perillustrem *Dn. Frankum de Frankenau*, S. R. I. Equidem Archiatrum Danicum &c. data, *Ephemeridibus Germanorum Dec. III. ann.* 3. *insertâ*, idem satis abunde feciset.

§. 25. Id saltim nostra ætate vetustæ illius sententiæ Patroni explicent mihi velim, cur ex eâdem parente prognatorum unus variolis laboret, reliquis sine exanthematibus vel febricitantibus vel etiam belle valentibus? Cur vice versa plures decumbant Variolis, uno vel febricitante vel bene valente? aut quod magis mirandum foret, cur gemellorum unus variolis laboret, altero salvo permanente? Dicant mihi quæso ex fictitia hypothesi, cur unus vel una plus una secunda scilicet & tertia vice, quod multoties observavi, Variolis affligi possit. Dicant denique quomodo nonnulli, qui per totum vitæ decursum à Variolarum contagio liberi permanserunt, in extrema demum senecta, quod nuper vidi, corripiantur iisdem? In quibus quæso ductibus, tubulis, meatibus vel venarum & vasorum anfractibus veluti latibulis delituisse putandum fermentum illud in utero susceptum, & per tantam annorum seriem à nullis febribus vel alio morbo, à nulla tempestate, à nullis cibis, à nullis medicamentis etiam fortissimis & volatilibus, per circulationis leges, angustissimos machinæ humanæ ductus & poros permeantibus extricandum vel eliminandum?

§. 26. Ex cauſis itaque citatis per menſes vernos & æſtivos variolæ benignæ cum ſymptomatibus conſuetis & benignis eveniebant, niſi fortaſſis error individuus diætæ uni vel alteri maligniores redderet. Quo pacto puella quædam ſatis bella & ſana, dum cereviſiam recentem non ſatis defecatam largius biberet, variolis malignis & confluentibus correpta & convulſa moriebatur, convaleſcentibus reliquis omnibus, quotquot eodem tempore decumbebant: adaucta ſcilicet causâ morbifica à fecibus cereviſiæ recenti permixtis.

§. 27. Autumnalibus vero menſibus intempeſtate tepida & humida diutius continuata, accedente frugum Cerealium (quarum equidem maximam abundantiam ex hortis ſuburbanis, queis hæc urbs veluti denſâ & ampla quadam ſylvâ cingitur, annis fertilioribus colligere ſolemus] uſu abundantiori & iterato plurimis periculoſiores nec paucis lethales eveniebant.

§. 28. Jam præter ſymptomata ab aliis recenſita Diarrhæam, Salivationem, phrenitidem & alia, frequenter notabantur pandiculationes, ſternutationes, ſtridor dentium, angina, vellicationes labiorum & narium. Ex his ſtridor dentium moribus convulſivis accenſendus, periculoſus non tamen omnibus æque lethalis erat. Sed periculoſior angina, ipſi etiam *Avicennæ* loco citato dudum ſuſpecta, à variolis fauces & pectora obſidentibus, tam deglutitionem quam reſpirationem ipſam inhibentibus, ſæpe ſæpius omnimodam quaſi ſuffocationem inferentibus. Ut hinc recte *Lommius*, *in obſervationibus Medicinalibus* pag. m. 295. *Quisquis huic malo ſuccumbit ferè, tanquam ex anginâ præfocatus moritur.* Ingenue fateor me huic malo, poſtquam radices egerat, hactenus nondum mederi potuiſſe, quanquam à phrenitide, diarrhæâ pluribusque phænomenis [à ſcriptoribus, pro pernicioſis habitis] vexatos, feliciter cum DEO liberaverim. Id tamen ſilentio non prætereundum, me certo habere perſuaſum, poſſe tale ſymptoma potu calido præcaveri: Cum neminem decocta vel alium potum calidum nec non juſcula avenacea &c. abſorbentem, licet linguam & fauces copioſæ variolæ obſiderent,

rent, angina correptum vel mortuum fuiſſe meminerim. Neque aſſiduæ vellicationes labiorum, & narium, ab ἀῤῥωςίᾳ διανοίας, perinde ut floccorum compilatio in adultis, febribus malignis lethaliter decumbentibus deducendæ, periculo vacabant.

§. 29. Revaleſcentibus præter moderatum caloris regimen & victum tenuem, pulveres bezoardicos Sennerti, Wedelii, epilepticum Marchionis, vel ex antimonio diaphoretico, Corn. Cerv. philoſophice calcinato, unicornu vero philoſophico, perlis, coralliis, conchiis præparatis, nitro anodyno pulv. anod. cordiali, camphorâ, lapide bezoar orientali, occidentali, conflatos, magis quam volatilia ſpirituoſa &c. proficua fuiſſe vidi. Præprimis à ſolo dicti lapidis Bezoar Orientalis uſu plurimos ſine præſentia Medici ex voto à Variolis liberatos fuiſſe multoties obſervavi. Incredibile profecto dictu, quam cito & quam bene ab uſu lapidis hujus omnia ſymptomata, convulſiones, anxietates & alii eruptionis prodromi conquieverint, ipſis variolis egregio ægrotantium cum levamine erumpentibus. Hinc non poſſum non mirari eos, qui pretioſum hunc lapidem, quem factitium putant, infra dignitatem nativorum verbi gratia lapidum cancrorum, concharum vel aliorum dejicere fruſtra laborant. Refragantibus quotidianis experimentis & Medicorum principum teſtimoniis. Quorum plures ut jam non laudem, ipſum equidem Perilluſtrem atque Magnificum Dominum *Illmerum de & in Wartenberg*, Conſiliarium & Archiatrum Cæſareum & Regium &c. lapidem bezoar orientalem magni æſtimare atque agonizantibus & alterum pedem velut in tumulo habentibus, tanquam ultimum remedium non absque pereximio ſucceſſu cum aliis exhibendum ſuadere *ex Decuriæ III. Ann. I. Obſervat. LXVIII. Ephemerid. German.* pluribus eluceſcit. Præterea decoctum euporiſton ex Corn. Cerv. raſpat. glycyrrhiza, ſcorzoner. paſſulis min. hordeo, lentibus nec non Emulſiones & potiones bezoardicas cordiales vel expellentibus vel temperantibus pro re nata variatas, inſtillatis tenui potui Mixturis ex Tinct. papav. rhead. non acidulata, clyſſo antimon. ſulphurat. ſpiritu nitri dulci &c. multum profuiſſe notavi. Ne-

que

que balſamica & bezoardica media, verbi cauſa Tinctura prophylactica m. d. (quam præſervandi fine tam in Hafnienſibus anno 1689. quam noſtratibus utilem deprehendi) eſſ. myrrh. balſam. Mixt. Simpl. ſucceſſu carebant.

§. 30. Nonnulli denique, poſtquam à malignitate Variolarum prorſus liberati quidem videbantur, vel à materia morbificâ non penitus eliminata, vel ab aëris injuriis, vel diætâ neglecta, vel alia cauſa procatarctica neſcio qua leviſſima, periculoſis imo lethalibus affectibus aliis denuo corripiebantur. Quod licet nonnullis prædicebatur; tantum tamen aberat, ut haberetur fides, donec propriis exemplis confirmarent *Hippocratis lib.* 2. *apborifm.* 12. *Morborum reliquias, quæ â criſi ſuperſunt, recidivos morbos parere.* Plurimos hoc pacto tuſis contumaciſſima vomitu quandoque comitata vexabat, febre lenta ſimul afflictos, qui multis pectoralibus, diluentibus, humectantibus, nervinis, balſamicis & laxativis curari vix poterant. Aliis abdomen intumeſcebat, facie inflata, infra caput macie conſpicua, quaſi rachitide laborantibus. Taceo tumorem pedum, ſcabiem tam ſiccam quam humidam, tineam variaque ulcera, quibus affligebantur alii. Quorum quidem plurimis ſiquidem vires mediocres ſuppetebant, Laxativa iterata, ex reſinâ gialappæ cum ſpiritu appropriato decenter ſolutâ, cinnabari nativa, antimonio diaphoretico, confect. alkermes ſyrup. roſar. vel violar. ſolutiv. &c. & Balnea ex herbis ſiderit. conyz. tobac. ſaponar. origan. ſerpill. flor. chamæm. ocul. popul. &c. inſtar anchoræ ſacræ ſubveniebant. Reliquos tabes ſenſim conſumebat.

§. 31. Cæterum nec tempore hyemali imminente ceſſantem Variolarum luem, ſed ſatis licenter vagantem, ne limites epiſtolaris Diſſertationis digrediar, alia occaſione plenius delineandam reſervo.

§. 32. Has vero Obſervationes ad Te deferre perſuaſit, tam non obſcura tua in me benevolentia, quam peracre Tuum in his judicium. Demonſtraſti enim te tritas habere manus notandis ejusmodi obſervationibus & conſuetudine legendi. Singularem

vero

vero tuam benevolentiam nisi exoscularer, ferreus essem, dum tot Illustribus atque Excellentissimis Viris in Cæsareo-Leopoldina Naturæ Curiosorum Academia me quoque Collegam forte indignum adscribere non dedignatus. Stabat quidem sententia Cydoniologiam ad normam & formam Academiæ nostræ tractatam publicæ luci nunc exponere; Enim vero postquam Excellentissimum *D. D. Georg. Sebast. Jungium, Aulæ Cæsareæ Medicum*, Tractatum de Cydoniis Viennæ impressum (nuspiam à me visum) conscripsisse, honoratissimæ Tuæ literæ d. 9. Decembris anni proxime finiti ad me datæ pluribus dixere, mentem mutavi, ipsasque schedulas, in quibus hujus pomi Virtutes & usus sane insignes rudi quasi penicillo delineaveram, abjeci, ne fortassis Iliada post Homerum scribere putarer. Interim observantiæ ergo, quam Tuo nomini debeo, hoc qualecunque Praxeos clinicæ specimen gratique animi mei symbolum exhibere volui debui, quod ut æqui bonique accipere velis est, quod summopere contendo.

Apollodorus.

Scribebam Mulhusæ Imperialis d. 25. Januarii, Anno Christi 1701.

CONSTITUTIO EPIDEMICA TUBINGENSIS *Anni* 1701.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

QUanquam de raris & epidemiis verum fortè sit illud Galeni, se observandi morbos occasionem præ Hippocrate habuisse commodiorem, cùm unus Romæ vicus plures habuerit incolas, quàm integra urbs Græciæ, atque adeò ex tantis urbibus, uti & è castris, historia hujus anni epidemia plurimum sibi promittat, non tamen parva negligenda putem, sed & ex talium particularium collectione formandum aliquid universale, imò juvat nosse, quibus fatis diversa loca ex diversis causis in pace aut in bello fuerint exercita, ut pateat, quid universale anni vel

particulare loci fuerit. Decimus per Dei gratiam completur annus, à quo Tubingam liberam reliquit dyſenteria, quæ cùm per tres annos prioris ſeculi octuageſimum nonum, nonageſimum, nonageſimum primum, belli injuriis aliàs graves, ab æſtate in autumnum epidemiè fuiſſet graſſata, tum more etiam epidemio requievit, ut cùm interim fama publicaret ipecacoannam novum antidyſentericum, eo hactenus opus nobis non fuerit, nec experimentis ejus laudes comprobatæ; quibus tamen multum derogat, ſi verum, quod in novellis legi, pro gallorum exercitu aliud novum remedium antidyſentericum in Italiam fuiſſe mittendum. Noſtram pacem ſive illas inducias rupit nupera æſtas, & alvi fluxus noviter urbi intulit. Quam prior illa æſtas, quæ ante decennium finem dyſenteriæ tulit, ſicco calore prævaluit duas præcedaneas, tam ultima hæc nupera omnes hactenus intermedias; quanquam illa nonageſimi tertii æſtas, dyſenteriæ apud nos non ferax, æſtuoſæ ſiccitatis teſtimonium habuerit in bonitate ſui vini & frumenti. Recordor quoque anni nonageſimi noni, quòd menſe Junio, ſatis etiam calido & ſicco, diarrhœas quasdam concitarit, & metum mali gravius invalituri jam tum incuſſerit, ſed in herbâ velut ſuffocatum malum brevi evanuit, quanquam & illa æſtas tulerit vinum & frumentum bonum, caſidæ temperiei fructus. Quæ itaque & qualis fuerit labentis hujus anni æſtas, notoria quidem, determinanda tamen: Primò enim frigida veris conſtitutio, diu nimis durans, & ad finem usque Aprilis ſe extendens, nec majum ſivit incaleſcere, ſub inconſtante adhuc aëre, niſi verſus finem; abhinc autem invaluit æſtuoſa temperies, an potius intemperies, audiebantur paſſim triſtes novellæ de calamitatibus graviſſimarum tempeſtatum, quæ per DEI gratiam ſuper capita noſtra tranſierunt ferè innoxiæ; raræ parcæque pluviæ ſiccitatem contemperare non valebant, usque dum finis Auguſti aliquale frigus ferret, novam autem denuò ſubſequam æſtatem terminaret pruinoſus ſub finem September, prævalente hactenus ſiccitate. Aſtra qui volet, his applicabit & determinabit ex ephemeridibus. Reſpondit iſtis, poſt tardam utique germina-

minationem, contra ſpem bona & meſſis & vindemia; etenim uvas ab immaturâ putredine, quam minabantur plurium acinorum hoſpites vermiculi, quò minus latius ſerperet, cohibuit illa ſiccitas: Poma autem & pyra verminoſa pleraque præcociter ceciderant, nec diu aſſervari potuerunt, in putredinem nimis proclivia, ne de fagorum foliis gallarum extraordinariâ copiâ obſitis, de braſſicâ ab erucis depaſtâ, &c. dicam. Prius verò & ex vicino quodam vaccarum grege (ſalvo noſtro) hydrops pectoris multas abſtulerat, & anſerum juniorum ſtrages aliquibus locis tanta fuerat, ut præ fœtore ſepeliri debuerint. Hæc igitur æſtas iterum inter nos alvum fluere fecit; primi qui laborare cœperunt, erant infantes, menſe ſtatim Junio, plures ſequenti Julio, quo etiam adultos (non tamen ex illis diætæ erroribus famoſos) invaſit diarrhœa quædam torminoſa, acuta, imò cum vomitibus ſpasmoque ſurarum cholera. Tandem rari in urbe dyſenteriæ, non ita malignæ, caſus, frequentiores ex pagis aliisque locis audiebantur, nec tamen ullus illorum fluxuum, uti quidem minitari videbantur, nimis apud nos invaluit, nec ſtragem edidit; non deſideratis niſi paucis infantibus: Inſuper autumno in totum ſat cito hîc loci omnis lues requievit. Meæ tum curæ concreditis ſuccurri, præter uſum pulverum pannonici, antimonii diaphoretici, gelatinæ cornu cervi ſiccæ, ſeminis plantaginis in congruis vehiculis, methodo inprimis Mortonianâ, ſucceſſum ſecundante Deo, jungens corticem peruvianum cum electuario diaſcordio per ſyrupos in bolos, vel ejus extractum cum noſtro bezoardico aut theriacâ cœleſti in pilulas formando. Ultra illos alvi fluxus nil epidemii tulit æſtas, niſi quòd eodem tempore puerorum genæ communiter intumuerint, auditi quoque fuerint catarrhi æſtivi, ſive tuſſes plerunque ſiccæ, quibus addi poſſunt tres ſtudioſi unius collegii, quorum unus hæmorrhagiâ narium enormi, alter hæmoptoe largâ, tertius vomitu cruento ſub idem tempus laborarunt. Hæc eſt noſtra æſtivi fluxûs hiſtoria, quam propterea notare volui, ut conferri poſſit cum aliis, utpote ſpe fretus, fore vel tandem clariorem cauſam, cur non omnibus ſed certis annis fiant talium epidemiorum recurſus?

Ejusdem Schediasma ad Hiſtoriam Epidemiam Anni 1702.

QUandoquidem adhuc ſuper nos manet DEI benignitas, quam prioribus annis deprædicavi, quod priſtinam epidemiorum morborum malitiam Tubingæ gravem repreſſerit, nec ſinat hucusque iterum invaleſcere, idcircò hiſtoriæ illorum pro hoc anno per modum appendicis tria ſolum breviter ſubjungam, quæ notari poterant.

Ante omnia inconſtantiæ & anomaliæ, quæ per ultimam hyemem, uti & per duas priores fuit, non ſatis videntur reſpondere morboſi effectus; Major illa fuit, & omninò talis, ut ſub eâ ſanitatem mortalium adeò benè ſibi potuiſſe conſtare, ſæpè admirationem moverit, dum pauci utique per urbem illo tempore ægrotarent, & malignorum epidemia planè exularet, eorum autem morborum, qui quadranti anni ſunt congrui, nec magnus numerus, nec extraordinaria eſſet ferocia: Hoc eſt paradoxum, quod vexare poſſit & ſoleat practicos, ſævire luem eandem ſub diverſo aere, & ſilere ipſam ſub tali, quem morbiferum accuſaveras.

Quia verò morboſi effectus non ſtatim ipſo menſe vel quadrante erumpere, ſed ſequenti demum ſuccedere perhibentur, huc proin referri poterit, quod ſecundò notari meretur, ſcilicet utut interdum propriè epidemium in urbe nihil ſit, ſed ſporadicè multi ægrotent, certo tamen tempore plures ægros abripi, quàm alio, per morbos diverſos & diſperſos: Tale fuit tempus vernum hujus anni ſub finem Aprilis & principium Maji, quo perſonæ diu infirmæ, ſenes, viduæ, infantes, plures quam aliàs fuerunt abreptæ. Quomodò ſingulorum ita fata concurrant, vel in quantum debilitas eorum non ferendo conveniat, facilius eſt determinatu in theſi, quàm hypotheſi.

Tertiò, quæ de fluxibus alvi mediocritatem adhuc ſervantibus per æſtatem ad annum præteritum notavi, huc repeti poſſunt pro hoc anno; nam pariter cum æſtate redeuntes non invaluerunt ultra gradum priſtinum. Illud modò addam, aliundè

ad

ad nos advectum fuisse quid mali gravioris. Inter reduces ex castris ad Landavium, qui febre tertianâ & diarrhœâ laborarunt, unus ex civibus sub finem obsidionis ibi & Philipsburgi non nisi per diem unum & alterum commoratus vix domum attigerat, post medium Septembris, cum dysenteriâ dejiceretur atroci. Hæc uti per contagium hausta fuisse videtur, quia non tam errores in diætâ commissos novit, quàm conceptum inter infectos horrorem ipse accusat, ita domi etiam se diffudit ad plures, observans quidem fatalem illum morem, quo certæ solùm personæ solent corripi, salvis aliis: Nam conjux omnium sordium injuriis exposita mansit intacta, conjúgis autem soror ipso die septimo à decubitu viri complero dejecta fuit, & die sequente filiolus trimulus sedes torminosè cruentas frequentare cœpit; evasit tamen illa triga feliciter, & perstitit hanc intra domum lues. Multo autem gravior fuit hujus viri dysenteria peregrè allata, quàm ulla per urbem spontè oborta, non solùm durationе in tertiam septimanam & dejectionum nimis citatâ frequentiâ, sed & excreti diu sinceri cruoris, dein non muci verum flavo-viridis liquaminis, copiâ perquàm magnâ, stipata etiam symptomatum molestissimâ vehementiâ, præter oppressionem præcordialem, tormina, tenesmum, inprimis dysuriâ & tantum non jugi singultu, de quibus ultra decem dies & præ reliquis majores audiebantur ægri querelæ. Cum die sexto, quo demum post tentata domi varia consuli cœptum, ut & diebus sequentibus nullæ distingui possent remissionum & exacerbationum vicissitudines, & urina omnis rubedinis expers, flaua & clara, sed turbata admodùm facilis, offerretur, paucis, cùm non tam febris (nec aphthæ unquam nec deliria supervenerunt) quàm fluxus & vires urgere viderentur, æger item à meridie per vesperam sumtas ana duas corticis peruviani & electuarii diascordii drachmas, ut ingratam sibi formulam, porrò nausearet, inde purioris cruoris copiam citari prætendens; Itaque pro nocte primùm modicam narcotici dosin extractis corticis, tormentillæ & bezoardico addere consultum videbatur, & ob bonum effectum continuare alternatim tales pilulas & emul-

siones ex semine papaveris albi, plantaginis, amygdalorum, in congruo vehiculo, edulcoratas cum absorbentibus & pulvere anodyno, semper ita dosi nocturnæ reservando vim opiati: Per dies verò suis horis dabantur quater scrupuli pulveris ex unicornu fossili, coralliis, semine plantaginis, priapo cervi, dente hippopotami, pannonico, itidem in consimili vehiculo; Quibus tandem accesserunt datæ subin guttæ balsami peruviani cum cochleari syruporum papaveris erratici, rosarum rubrarum, symphyti, & electuarium temperatum cordiale stomachicum, cordiale. Dubia movit potus, cùm ab aquâ cieri alvum, à vino æstum prætenderet æger; Videbatur ergò medium tenendum, concesso modico vino vetere pro pastu, etiam ob languorem & anorexiam perparco, extra id tempus præscripto decocto ex rasurâ cornu cervi, mastiche, & cinamomo: Serum lactis commendatum nescio cur citò nauseavit æger, multum autem gelatinæ cornu cervi hausit solutæ in vario vehiculo calido. Externa scrobiculo cordis, sedi, membro, roboris & linimenti ergò admota, & cætera, prolixius recensere opus non fuerit. Illud addendum, dysenteriam fœminæ cum cruore multo, magnis torminibus, ad usque deliquia, non impediisse tamen, quò minus die quarto, stato utique tempore, venirent menses, & durarent aliquandiu, citius tamen finiti, quibus etiam id dandum videbatur, ut interim parcius insisteretur usui ischæmorum.

* * *

Quam in Ephemeridibus Meteorologicis Tubingensibus olim exhibui Tabulam motuum mercurialium per triennium, eam ulterius ad præsens tempus continuatam, perque annos adeò plusquàm octodecim extensam, quia brevis est, publicè hîc propono, dum ephemerides ipsæ tot annorum domi latent prolixiores. Observationes quidem circa Experimentum Torricellianum fuerunt inscriptæ alicubi difficiles Nugæ; habuerunt tamen fuos vindices. Transeat, aut maneat liberum, quorumcunque judicium: Meam ego tabulam illis modò destinavi, qui nihil temerè prætermittentes etiam Perpetuo tali Mobili delectantur, utuntur. Horum non modò Curiositas cum propriis conferre alienas

alienas amabit obſervationes, verùm etiam ſagacitas per earum ſylvam venabitur prædam aut ſcrutabitur vias, quas in Meteorologiâ non minus ac in Epidemiâ occulit Natura. Ne aſymbolos ipſe ſim, excerpam unum alterumque caſum, cui applicari poſſint, quæ in tabulâ exhibentur ſtationes: Si prius monuero, ſermonem adhuc eſſe de uno eodemque Barometro illo ſimplici, cui ſcalam admotam fuiſſe olim monui minutorum decem, qualium palmo romano dat P. Lana; Illam hâc vice ſubdiviſi in gradus viginti, ut evitarem numerorum fractiones. Sic omnium ſuprema ſtatio & altitudo mercurii deſignatur per ſemiminuta 20. medium ſcalæ habet 10. imum 0.

Horum ſive decem palmi minutorum ſive viginti ſcalæ graduum varietate abſolvuntur motus mercurii intra tubum, quibus extrà reſpondent motus aeris tanti & tales, ac per hos annos contigiſſe meminimus magnâ copiâ & differentiâ. Variant anni, interdum nec ad ſummum nec ad imum ſcalæ deducunt mercurium; variant menſes, interdum diu quaſi in eodem tenent ipſum, ſub exiguâ motuum differentiâ; aliàs intra paucos dies fit lapſus à ſummo ad imum, aut aſcenſus ab hoc ad illud. Itaque ſi cui libuerit comparare annos annorumque partes inter ſe, habebit, in quo ſe exerceat: occurret autem ipſi communius hyeme gradus ſupremus, interdum quoque autumno, rarius primo vere, nunquam æſtate. Quibus autem menſibus ſupremus, iisdem quoque infimus: ſic æſtivis neuter. Adeoque differentia illa motuum maxima decem, novem minutorum eſt hyberna: autumnalis nunquam minor quinque minutis, ſæpè fuit major: His æſtiva nunquam major, ſæpè minor. Dantur autem menſes omnium anni partium, quibus non niſi trium min. eſt differentia: uti dantur interdum dies, quibus quaſi ſuorum motuum dememineriſſe videtur mercurius, hærens diu in eodem.

Sed ad ea, quæ promiſi, ſpecialia. *Diluvium tempeſtuoſum* a. 1702. d. 13. Jul. de quo in ENC. 3.7.137. non fuit cum illâ menſis ſtatione humili, quam exhibet tabula, ſed cum medio ſcalæ: Præceſſerat deſcenſus non niſi per gradum unum; planè non pro-

ratio-

ratione talis ac tantæ exonerationis, tam venientis quàm fientis & factæ. Belli fluctus, quorum omen illud tunc metuebatur, irruerunt utique nimis heu graves, transierunt tamen DEI gratiâ; quæ vel tandem plenè ipsos compescat! Nondum quippe cessant. Nam nupero demum Augusto hujus anni 1710. noviter fuit præceps vallium nostrarum inundatio; iterum non cum humilitate, quanta solet esse cum talibus exonerationibus aeris hybernis, sed cum gradu modò scalæ sexto.

Ominosum quoque inter alia nimis multa tristia signa videbatur *fulmen extraordinarium*, cùm nocte præcise mediâ inter ultimum Decembris An. 1702. & primum Januarii An. 1703. ad sonum ferè duodecimæ graviter detonaret vetus, aut intonaret novus annus: Utique tristis recordationis. Tulerat serus & ultimus vesper lapsum ad imum illud scalæ, quod in tabulâ, sub austrino, laxo & humido aere. Mansit diu tunc humilis mercurius, imò quod non aliàs factum, descendit adhuc infra illud scalæ imum: Ut non nisi illâ vice differentia motuum fieret major decem minutis. Citò enim, ejusdem quippe Januarii sub finem, conspicuus iterum fuit in altiore gradu illo, quem tabula exhibet. Nescio, num ad causas vel signa fatorum talium spectet, quod singulare tunc videbatur spectaculum: Mars accedens ad vicinos Saturnum & Jovem; hoc subinnuisse modò sufficiat.

Anno 1705. ad gradum scalæ, quem tabula offert, sextum cecidit Majo mense *intempesti-va nix*; nobis quidem pluvia, vicinis autem alpibus utique nix copiosa. Scribebatur tunc ex provinciis germaniæ septentrionalioribus, gravem pati arbores calamitatem, præ nivis mole avulsos vel grandes tiliarum ramos: Ad alpes nostras multâ nive tectæ & prestæ segetes & vinearum frondes, manserunt tamen in salvo, post paucos dies resurgebant & lætè virebant; retardata modò, non uti aliàs à pruinis, læsa fuit germinatio. Succesit brevi, sc. nivi diei 25. aliud die 29. meteorum, cùm jam supremam mensis stationem occupasset mercurius, sub aëre nondum quieto, dejiciebat enim granedulæ copiam, apriliformis.

Ex

Ex An. 1706. *Eclipsis Solis* memorabilis fuit neq; cum supremâ neq; cum infima Maji mensis statione, sed cum mediâ: Et quod sub Eclipsi solari partiali, magnâ tamen, An. 1699. in E N C. 3. 7. 88. annotavi, de barometri nullâ prorsus factâ mutatione, per omne illud obscurationis tempus, idem sub Totali nobis & Annulari pariter omninò se habuit. Stetit mercurius obscuro illo tempore, quasi crepusculo, fixus, planè invariatus, ne pili latitudine vel demissus vel elevatus, utut thermometri fide aër benè refrigeraretur. Vesperi autem comparuit per quartam minuti partem humilior: Tunc nubes pomeridianas quidem diffiarat eurus, sequens mane tamen tulit pluviam; & serus vesper signum gratiæ, Iridem, cùm altior jam ac ante eclipsin esset mercurius.

Annorum 1707. & 1708. *hyemes austrinæ* non tulerunt consuetam altitudinem. Januarius 1708. vernus potius, quàm hybernus; quo in pratis colchicum, mezereon in silvis floruerunt. Et insolita tamen illius temporis lenitas & temperies docente thermometro fuisset nobis per æstatem summa rigiditas. Nunquam illo mense altus mercurius, vix semel, nec diu, venit ac stetit ultra scalæ medium, plerunque multùm infra ipsum. Cùm in imo hæreret per decimum & sequentes dies, mirum non fuit cum aere turbulento, sed satis quieto, grato, apud nos, post nebulam aut flavedinem vel rubedinem matutinam, tunc frequentem, non pluviosus, sed vel serenus vel nubibus Solisque radiis alternans. Alibi forsan se exoneravit. Die illius Januarii 20. & seqq. cùm perturbaret aerem ventorum vis, & ferret fulgura, irides, pluvias, mercurius quidem descenderat, sed non eo usque. Interim passim quoque scribitur aliundè, visa meteora varia, facta diluvia, delapsos ignes, &c. Communiter autem, ex Septentrione, esse potius ver, quàm hyemem. Prægressus December 1707. fuerat non minus & aeris & mercurii motu apriliformis; differentiam suam quatuor minutorum absolvens vel viginti quatuor horarum spatio, à nive ad ejus solutionem: Nec ad imum nec ad summum scalæ, ut alias hyeme solet, unquam pertigit.

Anno 1709. Januarii *hyems sine pari*, sive gelu extraordinarie

rie longum & magnum, non obſtitit, quò minus caderet mercurius, ſcilicet ad venturam oportunè nivem, tegmentum ſegeti. Certè per diem duodecimum & tres ſequentes benè humilis, etiam poſt nivem adhuc, ſub aere ſereno, conſtanter gelido: Atqui mediâ æſtate communiter illa ſtatio ſolet eſſe tempeſtuoſa. Non niſi uno minuto humilior ſtetit die quinto, ante gelu illud, qui tamen fuerat toto cœlo diverſus, ſcilicet auſtrinus, laxus, pluvius, quem rigor venti nocturnus ſtrinxit & mutavit in planè alium; tunc enim nix & gelu hyemis illius acerrimæ principium. Hinc decimo ſexto motus per ſcalam ſurſum, nondum tamen ad ſummum: quò pertigit demùm die decimo nono ſerenato poſt nebulas conſtanter aere. Tales tunc dies quatuor, inter quos unus ex frigidiſſimis totius menſis, & per quos tamen deſcenſus duorum minutorum. Cùm verò intra breve tempus per tria minuta fieret ulterior lapſus ad ſcalæ medium, tunc alia venit nix, & comparuit ad veſperam pruina murorum; Hinc molenſtiſſimi rigoris vel tandem aliqua relaxatio. Fuit, ſiquidem Aſtrologos audire lubet, prævia laxitas auſtrina ſub oppoſitione Martis & Solis. Superveniens oppoſitio Saturni & Mercurii dedit principium hyemis per ſtringentem euroboream. Finem fecit oppoſitio Saturni & Veneris cum PL. & aliis ad diem Pauli. Supremam interim menſis ſtationem & inclementiam fuiſſe non ſub iſtis, ſed ſub quadrato Jovis & Solis, mirum fortè cuipiam videri poſſet.

Sic utique viſum quondam fuit *M. Slutero*, occupato in dextrâ applicatione principiorum *W. Cockii* ad conſtitutionem meteorologicam anni 1695. ubi tractat inter benè multa notatu digna quæſtionem: cur calefaciens alias quadratum Jovis & Solis die ſexto Decembris forte gelu tulerit? Tranſeat hîc examen radicum, hoc ſolum addam: Ante ſeculum *Helis. Roeslinum* in d. navig. Septentr. (laudato Belgis libello) de hoc paradoxo jam monuiſſe Aſtrologos. Scilicet hybernum gelu à Saturni configuratione cum aliquo planeta fuiſſe mitigatum. Contrà, Solem, Jovem, Martem, Mercurium tunc configuratos frigus intendiſſe Exemplis annorum 1608. 1609. Quo ipſo ſimul innuitur alte-

alterum Sluteri dubium, quod ſcilicet conjunctio Saturni & Solis uno anno liquationem, altero gelu tuleric. Etenim d. 18. Dec. 94. ſub illâ intenſum frigus: anno 95. d. 8. Jan. ſub conjunctione Martis & Solis liquario, ad imum ſcalæ: d. 13. Jan. poſt conjunctionem Saturni & Mercurii gelu fuit, ad ſupremam menſis ſtationem; Et ad analogiam cum aſpectibus & meteoris Jan. anno 1709. Cæterùm, priores illæ hyemes auſtrinæ uti videbantur fovere Peſtem Polonicam, ita ſuccedens borealis eandem ſperabatur extinctura: Et erat utique ſilentium aliquandiu; verum enim verò triſtia porrò leguntur in novellis publicis. Opponam adhuc illi gelu *æſtum*, quem ſuſtinuimus per dies Julii anno 1707. quatuor, ſcilicet d. 19. 20. 21. 22. inſolitum; non tamen cum humili mercurio, nec cum magnâ motuum differentiâ, ſed â ſupremô hujus menſis, & communiter æſtatis gradu, à nebulâ per ſerenitatem extremè calidam ad tempeſtatem nocturnam, ſenſim facto deſcenſu non niſi per quatuor gradus, nec infra ſcalæ medium. Interim, qui primo die aſpirarat adhuc aer lenis, diſpellens nubeculas, (quæ quidem ſolet eſſe gratia *Eteſiarum*, ſive euroboreæ & euri, pomeridianum aerem temperantium) emanebat prorſus, ne auræ quidem appulſus ſentiebatur, urgebat autem calor, quantum thermometri teſtimonio ab illo tempore nullus annorum ſequentium tulit. Hæc, ut dixi ad tempeſtatem; cui cùm ſuccederent ulteriores binis diebus ſequentibus, & obtineret inſignis temperati jam, imò refrigerati, aeris inconſtantia, tunc quod ſiccus calor non potuit, procuravit laxa humiditas, ſcilicet deſcenſum ulteriorem, ut differentia tamen ſtationum ſub tam diverſo aere fieret octo tantum graduum. Si cui libeat recurrere ad Ephemerides illius temporis aſtrologicas, inveniet Jovem apud Martem, & aſpectus forſitan pro eteſiis quoque & ſubſequâ inconſtantiâ.

Cùm reviderem Tabulam, offendi, quod æſtate rarum, *ſcalæ imum* ipſo *Julio* anni 1703. Itaque recurrens ad Ephemerides, deprehendo lapſum per quatuor minuta factum intra 24. horas, & mox reaſcenſum intra horas non plures, per quinque minuta, die menſis ſexto, ſub aere non calido, cum pluviæ copiâ

ventique impetu: Flabat ille ex plagâ à meridie ad occasum, versus quam nobis situs est *Lacus Podamicus.* Atqui hic ipse tum dicebatur intumuisse ultra modum; An perturbatus appulsu hostis viciniæ graviter minacis?

Video etiam, quod vix aliàs factum, *Decembri non* stetisse *humilem mercurium*, sed tenuisse octavum scalæ gradum anno eodem 1703. Inspicienti autem ephemerides occurrit illa statio die Decembris octavo nubilo, inconstanti, ventoso. *Tempestas* horrenda cum fulg. ton. vi venti insolitâ, vix sine terræ motu fuisse credita, quæ in *Angliâ*, *Belgio*, & *ad mare Balticum* valdè sæviit, & ruinam multis intentavit vel intulit, scribebatur tunc nocte inter 7. & 8. Dec. incepisse ex SW. & durasse ad meridiem octavi; qui turbulentus, ut dictum, apud nos, non tamen tempestuosus, transiit de cætero sine damnis. Cur sub tali aere non humilior mercurius? An medius inter oppositiones & post conjunctiones trigonus id non permisit? (Illa verò videsis apud Astro-

no-

TABULA
Motuum Mercurialium,

	1691	1692	1693.	1694.	1695.	1696	1697	1698	1699
Januarius		20 2	20. 10	19. 6	16. 1	20 4	18 4	14 0	20 0
Februarius		14 1	19. 4	19. 10	18. 4	18 4	16 0	16 6	16 4
Martius		15 2	14. 2	15. 5	14. 4	14 0	18 0	16 8	17 0
Aprilis		14 2	12. 6	15. 6	10. 3	14 5	14 5	12 4	14 0
Majus		13 4	12. 4	12. 5	13. 4	16 7	14 8	14 6	14 5
Junius		12 5	13. 6	13. 8	16. 6	15 5	14 4	15 8	16 4
Julius	13 7	13 5	13. 8	14. 7	13. 8	14 6	14 7	14 8	14 6
Augustus	14 9	13 6	13. 6	12. 7	16. 6	16 8	16 7	14 6	15 8
September	16 8	16 6	15. 4	15. 4	12 4	17 1	14 4	14 6	16 6
October	16 9	15 6	17. 4	16. 0	19. 6	14 4	18 5	16 0	16 5
November	15 0	14 4	15. 4	14. 0	16.11	10 0	16 0	15 3	20 0
December	18 7	20 2	18. 0	19. 5	14. 2	18 4	14 8	18 2	20 0

nomos) Certè à NL tunc ecliptico properavit ad ſupremam, quæ in tabulâ ibi ſtationem intra triduum.

Denique finem his impoſituro ad manus venit *la connoiſſance des temps*, quam Gallica ſcientiarum Academia publicari facit, ubi de anno 1708. ſcribitur, ſupremam per ipſum elevationem mercurii fuiſſe obſervatam *d.* 17. *Novembr.* 28. poll. 1. lin. $\frac{5}{8}$: *Infimam d.* 10. *Januarii* 26. poll. 9. lin $\frac{1}{2}$. Hæc planè conveniunt cum obſervationibus meis: Etenim ſcalæ meæ gradus decimus octavus, qui in tabulâ ad annum 1708. Novembri reſpondet, etiam non fuit per hunc annum, niſi mane iſtius diei 17. quo longam nebulam excepit ſerenitas: Frigidum utique fuit illud mane, minus tamen, quàm ſequens, quod habuit mercurium tribus jam gradibus inferiorem. Alterum huic oppoſitum, ex Januario ejusdem anni, eſt illud ipſum ſcalæ imum, de quo ſupra, ad hyemem auſtrinam, quod mirabar fuiſſe ſine aeris turbulentiâ. In quo itaque ſubſiſto: Ad occaſionem quamcunque aliam reſervans plura!

ſive

Stationes Barometri ſupremæ & infimæ.

1700	1701	1702	1703	1704	1705	1706.	1707	1708	1709	1710
20 0	14 2	18 0	18 0	16 0	18 6	16.10	16 8	12 0	18 2	16 0
14 2	16 2	20 0	10 2	18 2	19 0	6 4	14 8	16 2	16 2	16 8
18 6	12 0	16 4	16 6	12 2	18 0	16 6	16 6	12 2	14 4	14 0
16 :	14 4		14 2	14 4	16 2	14 4	14 0	12 2	14 4	14 2
14 5	14 6		14 4	12 5	14 6	14 4	12 6	14 4	12 4	16 6
14 4	16 8	11 6	14 6	14 4	14 4	14 6	14 6	12 4	14 6	14 8
16 8	14 4	12 6	14 0	14 6	14 7	14 8	14 6	14 6	14 6	14 6
14 8	16 6	14 4	12 6	14 8	14 6	14 8	12 2	14 6	14 8	14 6
14 8	16. 12	14 4	14 2	13 2	16 2	16 4	14 4	14 4	16 6	16 6
14 5	18 6	16 0	14 2	18 6	14 4	14 6	14 0	14 4	16 2	
20 0	18 2	16 0	18 4	16 2	16 6	14 0	18 4	18 4	18 6	
19 6	16 6	16 0	19 8	18 2	14 0	18 0	12 4	14 2	18 0	

De

Frigore hyemali Anni MDCCIX.

FRigoris vehementia, quæ Anni 1709. principium memorabile reddidit, digna eſt habita, quæ Curioſorum conſideratione eruditam, ſubeat, quos inter præcipue Exc. D. Joh. Guilielmus Bajerus, in ill. Noricorum Univerſitate Altdorfina Profeſſor publicus in diſſertatione d. 15. Februarii edita cauſam ejus expoſuit; & celeberrimus D. Bernardinus Ramazzinus in Antenoreo Lyceo primarius practicæ Medicinæ Profeſſor in Oratione die 13. Maji anni prædicti publice habita, præter cauſas, in effectus etiam morbiferos algidiſſimæ hujus conſtitutionis inquirere voluit. Horum itaque propria verba Lectoris in gratiam, cum paucorum in manus Opuſcula devenerint, Hiſtoriæ noſtræ epidemicæ ſubjicere libuit.

Dn. JOHANNES GUILIELMUS BAIERUS.

§. 1. FRigoris illius poſt hominum memoriam maximi, quod menſe proximo per Europam ſæviit, rationes breviter evoluturi, merito præmittimus recenſionem quorundam phænomenorum tam antecedentium, quam durante ejus vi in aëre terraque noſtra obſervatorum, unde totius rei cognitio facile ducitur.

Phæn. I. §. 2. Erant jam tum Decembris dies plurimi gelidi ſatis ac nivoſi, terra frigore tam alte conſtricta, ut currus onuſtos ſuperficie ſua ferret; neque omnino ſolvebatur, tametſi per inter-
Phæn. II. valla tepidi venti aërem agitarent & poſt Calendas Januarias ad Nonas usque pluvia tempeſtas impenderet.

§. 3. Ipſo Nonarum die, cum aquis nivalibus pluviisque telluris facies undique maderet, (latente tamen adhuc ſubtus glacie,) circa veſperam demum quam maxime humidam, ven-
Phæn. III. tus orientalis ſpirare primum leniter, ſed provecta nocte vehementius, cœpit; poſt quem ſub auroram ſtatim terra omnis nive & pruina viſa eſt obriguiſſe.

Phæn. IV. §. 4. Ventum hunc, per ſequens biduum & ultra cum aſſiduo

ſiduo frigoris incremento, ſed diverſo impetu continuatum, paullo antea Mercurii in Barometro per plures gradus aſcenſio ſubita prænunciavit, cum prius ad veſperam usque diei V. Jan. multum infra mediocritatem lapſus eſſet. Phæn. V.

§. 5. Thermometrorum ex adverſo liquores ſubinde majores frigoris gradus notabant ad medium usque Januarium; quo cum ad tantam vehementiam gelu proceſſiſſet, quantam in noſtris regionibus vix attingere poſſe credebatur, circa diem XVIII. obſervatum eſt remiſiſſe paululum, ſed non diu neque conſtanter: quandoquidem & per brevia intervalla rurſus crevit decrevitque, & diei XXIII. tempore matutino majorem quem antea unquam vim in noſtris Thermoſcopiis oſtendit, poſt meridiem autem notabiliter defecit. Phæn. VI.

§. 6. Mercurius interim in Barometro alterno aſcenſu deſcenſuque ventorum potius, elaterem aeris variantium, viciſſitudines indicabat, quam frigoris incrementa & decrementa; nobis quidem haud mirantibus, qui pridem noveramus, & calorem & frigus, & ſerenitatem & perturbationem cœli cum diverſo elateris aerii ſtatu per accidens ſaltem conjungi: tametſi vulgo iſta qualitatum aeris temperatio Barometrorum ſcalis pro regula conſueverit adſcribi. Phæn. VII.

§. 7. Quemadmodum igitur iſtas Barometri mutationes, utpote parum ad hoc negotium conferentes, ſigillatim exponere ſuperſedemus; ita nec operæ pretium fore arbitramur gradus thermometrorum hic enumerare, qui diverſi ſine dubio ſunt non ſolum in diverſis machinarum generibus, (unde eōdem tempore v. g. Hamburgi liquor à gr. 60. ad 86. aſcendiſſe, Francofurti ad gr. 21. deſcendiſſe, in diariis publicis memoratur,) ſed diverſi quoque in ſingulis ſpeciebus, pro diverſitate ſcalarum, liquorum, variaque altitudine & amplitudine vitrorum. Quare facile conjicimus, nēminem ex hujusmodi recenſione animo percepturum quid res ſit, niſi qui vel thermometra noſtra oculis uſurparit, vel prolixam eorum legerit deſcriptionem. Phæn. VIII.

§. 8. Cetera licet eandem ob rationem, ex obſervatis Phæn. IX.

Bero-

Berolinenſium, Francofurtenſium, Dantiſcanorum, Hamburgenſium, Roſtochienſium, Stetinenſium, aliisque, quorum copiam diaria publica fecerunt, colligi ſatis tuto non poſſit, ubinam locorum maxime frigus dominatum fuerit, quique gradus di-
Phæn. X. verſis locis interceſſerint; tamen hæc certa & notatu digna ſunt, quod 1) eadem nocte univerſam Germaniam invaſerit gelu, 2.) eadem proportione ubivis creverit decreveritque, 3.) ad ſupremum ubique culmen, pro climatis ratione, & ultra quam putabatur, pervenerit, 4.) calidiores Europæ intractus, Galliam & Italiam, ſimili cum rigore penetrarit, quin etiam, incredibile dictu, ipſas Thermas Aquisgranenſes, congelarit.

Phæn. XI. §. 9. Nec præterire poſſum, quin memorem, frigus decreſcente Lunari lumine invaluiſſe, & biduo ante plenilunium maxime remiſiſſe, ſecus ac vulgo creditur fieri. Quin & ceterorum aſpectus Planetarum tanti non erant, ut exinde talem effectum ominarentur Aſtrologorum regulæ: niſi dicere velis, ♂ ♄ ☿, quæ die VII. Jan. contigit, biduo antequam fieret, iſtam mutationem aëri intuliſſe. Sed nec deſunt Calendariorum artifices, qui Jovem beneficum hiemis iſtius præſidem declararent, & hinc Januario menſi inſignem frigoris temperaturam promitterent.

§. 10. Jam vero ut ad cauſas eventus hujus inexpectati accedamus, è modo dictis patet facile, quam debile, imo nullum ſubſidium ab Aſtrologia ſit ſperandum: Quare miſſis ambagibus originem memorati frigoris ducimus à vento orientali præcedente (vid. *Phæn. III.*) hujus autem occaſionem ab impedito aëris noſtri, per priorum dierum turbulentam tempeſtatem, elatere, de quo *Phæn.* II. & V. loquuntur. Etenim cum venti tepidi humidique d. IV. & V. Jan. leniter ſpirantes tenuiorem feciſſent aërem regionum planarum illo, qui ſilvoſis montibus, nive & glacie rigentibus (Bohemicos intelligo Carpathiosque) imminebat, fieri non poterat, quin ſublato ſic aëris utriusque æquilibrio, hic in iſtum gravis irrueret, advectisque ſecum ſpiculis glacialibus totum impleret. Ita vero & illi vapores, qui prius atmo-

atmoſphæram noſtram confertim occuparant, excuſſo calore modico ſimul in pruinas abierunt, & aquam in ſuperficie telluris fluentem pariter ſuo attactu congelarunt. Namque ipſum terræ ſolum jam tunc priore à frigore jacuiſſe conſtrictum, *Phænom. I.* obſervavimus.

§. 11. Quid vero ſic cœlo ſoloque juxta gravi ad conſummatum frigus deerat? quidve poterat impedire, quo minus ille ventus Orientalis, æqualem per Germaniam ſtatum aëris offendens (quod relationes publicæ docebant) eadem nocte eam totam pervaſerit, & per aliquot dies continuatus, contiguo noſtris tractibus aeri ſimilem rigorem longe lateque induceret? quo facto, etiam venti auſtrales & occidentales, alias calorem humoremque nobis adſpirantes, jam non niſi vapores pruinoſos dàbant, & ſi quando aer ſuperior modico tepore tangeretur, ille tamen ſolvendis his inferioribus nimium algentibus haud ſufficiebat; usque dum ſol, quotidie nobis ſublimior factus, primo auſtraliorem terrarum infregit rigorem, & mox inde potentiores ventos calidos ad nos transmiſit.

§. 12. Equidem facile prævidemus, adductas in medium rationes non ſtatim omnibus ſatis facturas cogitantibus, quod intra ſeculum proximum haud dubie ſæpius venti orientales ſupervenerint hyemi liqueſcenti, (quam nos hoc anno occaſionem tali vento fuiſſe faſſi ſumus) nec tamen frigoris tantam ſævitiem aſportarint. Sed hæc objecta dimovere nos de ſententia non valebunt, niſi conſtiterit, omnes, quæ nuper ad effectum conſpirabant, cauſas & circumſtantias, etiam alio tempore & crebrius fuiſſe conjunctas: ut ventus flaverit è regione ſolido ac diuturno frigore horrente, ut inciderit in aerem tot vaporibus refertum terramque intus jam congelatam, ut contrariis ventis non impeditus per pluſculos dies regnaverit; & quæ huc pertinent alia. Neque vero vel noſtra memoria deſtituitur exemplo ſimili: quandoquidem anno 1697. circa II. poſt Epiphan. Dominic. & Januarium medium, tam ſubito & acri frigore tellus humida corripiebatur, eodem vento Orientali intercedente, ut pa-

um differret à ſtatu nupero, præterquam diuturnitate, quæ tunc minor, etiam minorem ſibi peperit famam.

§. 13. Quando ea inter portentoſo huic frigori è natura cauſas aſſignamus, haudquaquam excluſam volumus ſingularem quandam Numinis providentiam, quæ forte naturalium corporum actiones ſolito firmius in iſtum effectum direxit, eo quidem fini, ut homines, heu nimis cito Dei obliti ſuisque innixi viribus, novum impotentiæ ſuæ caperent documentum, utque armis hoſtilibus, per hyemem quoque non quieturis neceſſarias faceret inducias. Huic ergo Numini ſupremo omnis ſapientiæ, potentiæ, clementiæ laus & gloria ſempiterna tribuatur.

Dn. D. BERNARDINUS RAMAZZINUS.

LUbet in prægreſſæ hyemis algidam & nivoſam tempeſtatem, quæ frigoris vehementia atque aſperitate non ſolum Italiam, verum univerſam Europam tanta hominum, ut omnium cujusque generis viventium ſtrage male mulctavit, philoſophica & medica indagine inquirere; quòd ſi tam portentoſi frigoris veram & germanam cauſam in apricum eruere non dabitur, non abs re forſan neque ad ſanitatis cuſtodiam infrugiferum erit exquirere, quid mali hac proxima æſtate ex hac tam malè morata conſtitutione timeri poſſit.

Nolo autem hujus hyberni frigoris, quod annum hunc nefaſtum fecit, & ad multa Secula memorandum faciet, inclementiam non dicam, ſed inſolentiam longo verborum ambitu deſcribere; quotus enim quisque repertus eſt tam denſo corio, ac tàm forti à natura temperie donatus, qui non in cute ſolum ſed intus quoque & intra ipſa præcordia, ubi veſtalis ignis nativos lares, & focum habet, ab algidiſſimi aeris inſpiratu noxam aliquam non perſenſerit? Magna ſunt quæ vidimus, majora quæ audivimus; vidimus magna flumina tam arcto tam alto gelu adſtricta, ut armentis plauſtris onuſtis, & ipſis quoque exercitibus tranſvehendis ſufficerent. Vidimus ad binos & ampliùs menſes vim nivium immodicam è Cœlo non tacitè, ut ſolet, ad inſtar

velle-

velleris labentem, sed magno cum impetu in solum projectam, & quod magis mirere sub Æquinoctium ipsum, quod in hac Civitate prodigio par est. Vidimus in partibus Aedium interioribus, & in ipsis hypogæis fluida quæque congelari solidioribus vasis ex opere figlino disruptis, ac dum cibum capturi mensæ accumberemus non procul à luculento igne vidimus fumantes epulas temporis momento gelascere. At vulgaria sunt isthæc, & fidem invenient. Urbem vidimus Adriæ Reginam, cui nullum unquam nisi navigiis cum terra fuit commercium continenti junctam, marinis aquis in marmoream duritiem solidatis, ut ad septem passuum millia ultrò citroque longo agmine comearent Viatores, Veterinarii, & annonariæ gentes cum armentis, & gregibus, ut laboranti Civitati victuales auppetias ferrent. Quàm admiranda porrò imò quàm miserand sunt, quæ alibi facta accepimus, velut in Gallia, Anglia, Germania, ac tota Septentrionali plaga, non solùm magnis fluminibus marinum æstum pati solitis, sed Oceano ipso conglaciato, ut sublatis commerciis centenæ hominum chiliades in civitatibus, in agris inter frigoris rabiem, & famis morsus miserè perierint, ac ex iis, qui militiæ sacramento erant auctorati longè plures in castris hyemando, quàm in acie pugnando in Orci familiam transierint. Profecto si cujusque Regionis, Civitatis, atque Oppidi Necrologiam haberemus, in quibus eorum, qui è vita decesserint nomenclatura continetur, ac ratio iniri posset, quot hominum myriades duorum vel trium mensium spatio in Libitinæ censum deduxerit intolerando suo frigore funesta hæc hyems, nulla certè pestis ut ut truculenta & pernicialis, nec ea, quæ apud Historicos, & Poetas adeò pervulgata, quæ universam Græciam depopulata est, algidissimæ hujus constitutionis pestis, si ita fas loqui, ullo pacto esset conferenda.

Ast unde nam quæso tam violenti frigoris petenda est origo? Si ab Aquilone frigoris Promocondo malum hoc venit, cur hoc Anno tam violentum, tam diuturnum, ut quotquot in viventium numero adhuc extant provectioris ætatis homines, &

silicernio jam proximi tam enorme frigus nunquam se persensisse meminerint, nec scriptorum quisquam prodigium hujusmodi literis prodiderit. Scire optatis, quam proportionem habuerit hujus anni frigus ad præcedentium octo annorum, quos in hac Civitate observare mihi datum, summum frigus? Psicrometro teste proportionem habuit sesquialteram, hoc est ut ternarium ad binarium. Is fuit hyberni frigoris hoc anno supra ceteros excessus, qui in regnum quoque vegetabile desæviens, non solum plantas, quæ hortorum ornamenta sunt, sed quod dolendum Oleas & Vites ad internecionem usque absumpsit. Meherclè si in hujusmodi tempora incidisset Cardanus, eam, quam de frigoris natura opinionem mordicùs tenuit, dubio procul abiecisset; non esse frigus quid re vera subsistens, sed simplicem caloris privationem ventosque omnes plùs minùs calidos esse, inter suas subtilitates recensuit Vir ille, quem censoria virgula sugillans, severissimus ille Cardanomastyx hisce verbis sic eum interpellavit. *Abjice soleas, ac pileum, Cardane, quo tempore ex Alpibus rhæticis urit vos Boreas; frigidus enim, & siccus est.* Hic autem mihi haud quaquam mens est in frigoris naturam curiosiùs inquirere, neque quodnam primum sit frigidorùm, num Aqua, ut Aristoteles, an Terra, uti Parmenides, & num venti aërem comprimendo frigus efficiant aut illius Vectores sint, cujusmodi quæstiones Philosophos tum veteres, tum recentiores exercuere, & adhuc exercent, sed solùm in votis mihi esset causam perspectam habere, quæ hac hyeme tantum frigoris ac tam ex improviso exciverit. Jam præcedens brumale solstitium exegisse nos, & Annum cum satis placido aëris statu clausisse lætabamur, ut spes esset hyemis reliquum eodem tenore processurum. Ast tanto impetu nascenti anno Janus fores aperuit, ut nobis ferale bellum indicere visus fuerit; illicò enim, ex boreali plaga ventorum turbines biduo tanta vi efflarunt, ut omnibus horrori essent, illos acerrimo frigore comitante, & continuo nivium descensu subsequente. Grande igitur aliquid in hyperboreis contigisse credendum est, quod tam subitam in aereo mari

Scaliger Exerc. 18.

magno

magno tempeſtatem excitarit? Anne magnum aliquem terræ hiatum ex improviſo apertum fuiſſe putandum eſt, unde una cum ventis algidiſſimis tanta nitroſi ſpiritus copia eruperit, quæ totam atmoſphæram frigorificis particulis ad ſaturitatem usque opplerit. Quanta vi polleat nitrum ad ſenſum frigoris inducendum, ſatis commonſtrat experientia, dum nivi & glaciei commixtum illarum activitatem exacuit, ac in earum defectu nitri portionem in aqua diſſolvendo modum habemus, quo media æſtate vina & frigidas potiones nobis comparemus, non aliunde autem quâm è terræ ſinu tam horrendi frigoris cauſam deducendam arbitror; ad tam ſubitam enim & adeo turbulentam ventorum irruptionem locum aliquem in aerea regione intra polarem circulum fingere oporteret, in quo ſpiritus adeò furentes concluſi eſſent & effracto carcere ſubitò erumperent, quod tamen Poetæ, quibus quidlibet audendi data eſt poteſtas, auſi non ſunt, qui ventorum turbam in antris terræ obſcurioribus abditam eſſe voluerunt, ac inſuper Regem illi ſtatuere, qui imperio premeret, & laxas ſciret dare iuſſus habenas, Minùs porrò rationi congruum videtur cœleſtia illa corpora culpare velle, quæ ſuo lumine & afflatu in noſtram perniciem conſpirarint. Quid novi enim in Cœlo à ſyderalis ſcientiæ peritis antea fuerat obſervatum? Num ferales Cometæ viſi ſunt aut alia hujusmodi portenta? Num Planetæ in choreis ſuis agendis à præſcriptis ſibi legibus exorbitarunt, ut novis ſyzigiis & inſolitis motionibus Cœleſtem illam harmoniam perturbarint, ut poſtea propter illorum aberrationes nos plectendi eſſemus.

Sit quidem, ut ajunt, multum pollere lunare Sydus ad perfrigerandum, ac illius lumen ad nos reflexum, licet à Sole prodeat actu frigidum eſſe, ſeu ut alii putant vi magnetica calorem terræ & aeris ad ſe elicere ſicque frigefaciendi vim habere, at forſan Luna hoc anno propiùs ad nos acceſſit. Haud ſum neſcius ab Aſtronomis, à veteribus Agricolis, à Medicis quoque peritioribus, ut olim ab Hippocrate ad prænoſcendam futuræ hyemis

in 1. Epid. ſect. 2.

mis indolem obſervari ſolitum plejadum occaſum, & ortum Arcturi, atque ut monebat Virgilius *Georg. I.*

Frigida Saturni ſeſe quò Stella receptet?

At iſthæc ſingulis annis obſervantur & adventantis hyemis ſigna ſunt potiùs quàm cauſæ. E magnæ Parentis utero itaque monſtroſum hoc frigus prodiiſſe, à vero non prorsùs alienum videtur; Terra enim tota intus cavernoſa eſt, & non ſecùs ac animalium corpora ſuos habet ventres diſtinctos & magnas cavitates, in quibus non hoſpitantur tantummodò ſilentes umbræ & ſegnis aer; ſed varia & admiranda intercurrente ſpiritu exercentur opificia. Nusquam certe operoſior Natura eſt quàm in ſubterraneis officinis ad generationem intenta tot pretioſorum lapidum, foſſilium, mineralium, & metallorum, quæ ſi hominum avaritia potiùs quàm curioſitas & abditiora quæquæ inveſtigandi cupido ſurripiat effoſſis terræ viſceribus, non minùs natura ſollicita eſt in illis ſuo tempore reponendis, & damnò reſarciendo. Hinc innumeri penè fontes è terræ ſcatebris erumpunt non ſolum aquarum dulcium, ſed medicatarum quoque, quales ſunt ferratæ, æneæ, ſulphureæ, aluminoſæ, nitroſæ, aliæque omnigenæ. Cum autem borealis plaga in ſinu ſuo nitri multum recondat, quod ſatis norunt nitri Collectores pro tormentario pluvere conflando, qui è parietibus & locis boream reſpicientibus longè plus nitri obtinent quàm ab iis qui Auſtrum, cur ſuſpicari non liceat in regione illa inhoſpita, & Solis radiis ad plures menſes inacceſſa ex ſubito & præcipiti montis alicujus in magnas illas cavernas lapſu, ut in Apennino & Alpibus aliquandò contigiſſe legimus, portam ingentem algidiſſimis ventis & nitroſæ exhalationi apertam fuiſſe, unde tam horrida tempeſtas hac hyeme ortum duxerit? In Islandia magnam cavernam eſſe referunt, ex qua venti frigidiſſimi expirent, qui glaciei fragmina identidem in altum protrudant. In Hetruria penes lacum Vulſinenſium ad radicem cujusdam montis Boream verſus antrum extat, in cujus latere rima viſitur, ex qua, æſtate præcipuè, ventus efflat adeò frigidus, ut ſine noxa perferri nequeat, in quo ſpecu ſi vina reponantur, ad pau-

ca

ca temporis minuta penè gelaſcunt, & fructus pruinoſi educuntur, magnum utique blandimentum ad exhilaranda convivia, quæ ab Indigenis illis, cum Procyon furit, celebrari ſolent. In Peruvia duo Oppida Platam, & Potoſam deſcribit Acoſta, quæ non multum inter ſe diſtent, ac utraque in montanis locis poſita, quorum unum, Potoſa ſcilicet temperaturam hyemis habeat, Plata vero vernali ſimilem, cujus prodigii in calidiſſima regione cauſam in argenti fodinas referunt, & terræ ſpiracula, unde aura algidiſſima expiret. Quando igitur longè probabiliùs eſt frigus ab imis terræ viſceribus in aerem efferri, quàm ab ætherea regione in hæc inferiora deſcendere, tam grandis Phænomeni, quod hæc hyems præ ſe tulit, & cui aliud ſimile ulla ætas non vidit, nullam aliam cauſam comminiſci poſſum quàm magnam terræ ſciſſuram recens factam, paratum tamen me proteſtans ad expuendum ex animo meum hoc commentum, ſicubi aliqui feliciori ſorte meliora proferant. Si ergo forte ita evenit uti conjeci, tam horrendi frigoris, ac tantarum nivium deſcenſus cauſam tenere mihi viderer; Nitroſa enim emanatio illa unà cum ventis validiſſimis longè latèque diffuſa tam magnum algorem efficere, & vapores, aquei elementi ſobolem, in aere ſuſpenſos arripiens, iisque ſe conſocians nivem conformare potuit, atque illi ſuis capillamentis ſexangularem & ſtellatam figuram impertiri. Non adſpernandam nitri portionem nivibus ineſſe chymica enchiriſis oſtendit, qua nitrum in ſinu nivis deliteſcens educitur, & Medicus uſus comprobat, dum ex aqua nivis ratione nitri in illa contenti parantur remedia in æſtuoſiſſimis febribus exhiberi ſolita.

Verùm dictum illud è ſacris paginis mihi forſan obtrudet aliquis, *Nunquid ingreſſus es theſauros nivis*, tu, qui adeò fiden- Job. 38.
ter modum tradis, quo in aere conflentur nives? Ultrò fateor, non eſſe apud me ipſum tanti ponderis, quas produxi de nivis conformatione, & credito terræ hiatu conjecturas, ut veram & germanam tam inuſitati frigoris cauſam è Democriti puteo hauſiſſe me perſuaſum habeam; Conjectoris tamen non prorſus improbandi

bandi munus obiiſſe me arbitrabor, ſi in negotio tam abſtruſo ita fieri potuiſſe naturæ legibus non repugnet, nil enim ampliùs à rerum naturalium ſcrutatore in re obſcura exigebat Peripateticorum Princeps. Quid ergo in quæſtione tam ardua & impervia dicendum? Num ad effugium illud hiſtrioniam exercentibus adeò familiare recurrendum, qui ubi fabulæ negotium ita implexum & involutum eſt, ut nodo ſolvendo humani ingenii acies non ſit ſatis, pro more habent, Deum aliquem è machina in Scenam inducere? ita ſane. Ut ergo aliquid proferam, quod pro vero accipi poſſit, de hac tam horrida Conſtitutione dicam, quod magnus Hippocrates de morbis populariter graſſantibus, ubi Phænomena quædam apparerent, quorum ratio in abdiot eſſet, dicere conſueverat: ἅμα δὲ χὴ εἴ τι θεῖον ἔνεςιν ἐν τῆσι νέσοισι, *conſiderandum an ſit quid divinum in morbis*, illud itaque θεῖον apud Medicos tam in morbis quàm in remediis adeò celebre hic quoque vim habuiſſe cenſendum eſt, ab ipſo Deo nimirùm tam rigidam tempeſtatem fuiſſe excitatam, ut corruptos Seculi mores & vitia novo & inuſitato pœnæ genere expiaret. Neque enim in ſuis armamentariis juſtiſſimum illum criminum vindicem ſolum ignem & fulmina habere credendum eſt, quæ multorum metu & paucorum periculo jaculetur in terras; in iisdem enim habet, *Glaciem, & Nives, quæ faciunt verbum ejus.* Ille eſt qui, ut cecinit Regius Vates, de theſauris ſuis ventos educit, qui temporis momento aerem non minùs quàm maria, in magnas tempeſtates agant, & palam faciant, cui ſerviant, cui militent. Illud ſanè admirationi fuit, quod toto eo tempore, quo à ſexta Januarii usque ad Æquinoctium ferè pertinaciſſimum perſtitit frigus, nunquam hiſcere auſi fuerint auſtrales venti, quod in hiſce regionibus perrarum eſt, cum vel media hyeme rigidiori identidem caput efferre ſoleant ab ora meridionali calidiores flatus, adeò ut ex improviſo liqueſcant nives & regelent flumina, ſi quæ priùs glacie erant adſtricta, ut quandoque campos inundent, quaſi Deus borealium ventorum miniſterio plectere nos volens auſtrales flatus intra ſuos lares unde ortum habent concluſos

L. 1. Prænot.

Pſ. 134.

cluſos voluerit, ne blando ſuo tepore inflictæ pœnæ rigorem delinirent. Sic eleganter non minùs quàm ingeniosè Ovidius Jovem, qui totum mortale genus aquarum eluvione perdere ſtatuerat, finxit repoſuiſſe tela manibus fabricata Cyclopum, in antris autem æoliis Aquilonem aliosque ventos nebulas fugare ſolitos clauſiſſe, emiſiſſe autem Notos, Euronotos, atque Auſtrum pluviarum pincernam.

Utinam autem malorum hic finis fuerit, & hujuſce anni felicior ſit exitus, quàm fuit initium. Quàm infeſta, quàm pernicialis humano generi fuit hyemalis hæc conſtitutio, & quænam morborum genera invexerit, nemo eſt qui ignoret. Frequentiſſima fuere in hac Civitate, ut de aliis taceam, funera, ac nulla penè domus viſa eſt, quæ pullam veſtem non induerit. Primò quidem teneros infantes, decrepitos ſenes, & valetudinarios fere omnes, mox juvenes, & robuſtiores viros, nec ſolum minutam plebem, ſed non paucos quoque ex Procerum ordinibus hiberni frigoris, violentia in Libitinæ cenſum deduxit. Tuſſes, deſtillationes, pleuritides, peripneumoniæ, dyſpnœæ, & morbi id genus dominatum obtinuere. Rationi autem conſonum fuit, ut hujusmodi affectus populariter graſſarentur; ſicuti enim auſtrina tempeſtas capiti infenſa eſt, ita Aquilonaris ſpiritalibus organis eſt maximè infeſta. Poſſumus equidem adſcititiis comis, adverſus aeris injurias calvariam munire, ac bene chlamydati, & pallioati corporis extima à frigoris rabie & morſu poſſumus tutare; at quomodo viſceribus in pectoris cavea contentis ab aere rigidiori proſpici poteſt, ſi ab indefinenti & reciprocante aeris inſpiratu & expiratu vitam præcariam habemus? Non eſt ergo quod miremur, ſi hæc hyems, glaciali aura per oſtium patens thoracis penetralia ſubeunte, tam diram hominum & cujusque generis animantium cladem ediderit.

Verùm anne putandum hanc malè moratam conſtitutionem totam ſævitiem ſuam expleviſſe, ut in noſtris corporibus labem nullam reliquerit, quæ nova morborum genera hac æſtate non poſſit arceſſere? Si Coi Senis, cui futurorum mens divina-

trix divini nomen adscivit, oraculum adeamus, responsa referemus, quæ non multum nobis arrideant. *De temporibus*, ajebat
3. Aph. XI. ille, *si quidem hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluvio-sum & austrinum, necesse est æstate acutas febres fieri, lippitudines, & intestinorum difficultates.* Observatione profectò dignum est, quomodo Hippocrates, Vir in prædicendo alioquin cautissimus tam fidenter & absolutè pronunciarit, quòd si hyemem aquilonarem, Ver Austrinum & pluviosum exceperit, ex necessitate subsequi debeant æstate acutæ febres, & alui profluvia. Ast ratio sic fieri oportere satis evincit; etenim si hyems plus æquo algida & nivosa sit, parum perspirant humana corpora, ac ea præsertim, quæ debiliora sunt, unde serosam colluviem cumulari necesse est, eamque augescere si ver pluviosum successerit, qua postea per æstivum calorem diffusa & in motum concita, acutæ febres & alui fluxus oriantur necesse est. Nec quis putet Hippocratem nisi experientia priùs edoctum tam grande effatum pronunciasse; in libris enim Epidemiorum Constitutionem habet, in qua pars hyemis posterior, ut in nostra evenit, aquilonaris fuit cum magno frigore & nivibus, cui ver successit pluviosum, unde postea memorati affectus Æstate & Autumno apparuerint.

Ver equidem, quod modò excurrit & cujus medium jam tenemus, atque hyemi algidissimæ successit, sub initium visum est ad pluviosum propendere velle, non paucos tamen Aprilis mense dies habuimus siccos, sine ullis omninò imbribus, sed ita calentes, ut à canicularium dierum æstu parum differrent, sub finem tamen mensis tam magna ac subita facta est à calore ad frigus conversio, ut unica ferè die rariores syntheses & holosericа deponere necesse fuerit, ac è vestiario pannosas vestes reposcere, quam mutationem postea subsecutæ sunt ingentes pluviæ. Quo tenore veris pars altera processura sit, solus novit, qui fecit tempora, dies, & annos. Id tamen certum est hujusmodi temporum anomalias, & à sua temperie aberrationes ominosas esse, & morborum mali moris, quod Superi avertant, prænuncias.
3. Aph. 8. Nam ex eodem Hippocrate, *in legitimis temporibus & convenientem*

nientem ſervantibus temperaturam morbi legitimi & boni judicii fiunt; in intempeſtivis autem non legitimi & mali judicii.

Sed quid frugis ex hujusmodi apparatu datur colligere ad præcautionem & ſanitatis cuſtodiam? Paucis dicam quod ſentio. Adverſus temporum tam enormes intemperantias magnum erit præſidium Temperantia, neque ſolùm in victu ſed in omnibus, quæ res non naturales vocant Medici. Non inopportunum tamen erit purgationes inſtituere, & ſi opus fuerit ſanguinem mittere. *Quibuscunque convenit venæ ſectio vel purgatio hos Vere purgare, vel venam ſecare oportet*, ajebat idem Hippocrates: Magna certè animadverſione particula illa disjunctiva digna eſt; Practicorum enim non pauci magnum piaculum committere ſibi viderentur, ſi purgationem verno tempore inſtituentes venam ſimul non tunderent. Aſt quàm longè à divini Præceptoris veſtigiis aberrent, nemo non videt. Eſt ubi tantum ſanguinem mittere oporteat, eſt ubi ſolùm purgare liceat, eſt ubi utrumque remedium conveniat. Si verò aliquis ex memoratis affectibus hac æſtate populariter vagari incipiat, boni & periti Medici erit, non tam properè & inauſpicatò communibus remediis, ut in morbis ſporadicis, curationes aggredi, rectè propterea Celſus de peſtilenti febre verba faciens ajebat, *ſanguinem non facilè mittere, alvum non facilè ducere.* Suſpenſo pede igitur procedendum erit, atque attente obſervandum, qua methodo Natura morborum medicatrix in iis utatur, qui ſponte aut paucis remediis evadant; illa enim ſibi vias & egreſſiones invenit, quas prænoſcere & divinare non poſſumus; fateamur enim neceſſe eſt, quandocunque aliqua epidemica affectio ex improviſo ſe prodat, eſſe nos juvenes ac tyrones, licet medendo ætatem triverimus, ideóque oportere, ut Naturæ quam αὐτοδίδακτον & doctam ſine Magiſtro Hippocrates dixit nos erudiendos tradamus.

6. Aph. 47.

L. 3. c. 7.

5. in 6. Epid

Epiſtola

DN. BERNARDINI RAMAZZINI, in Patavino Lyceo Practicæ Medicinæ Professoris Primarii.

De

Cauſa adſcenſus ac deſcenſus Mercurii in fiſtula Torricelliana.

SYnopſis Epiſtolarum, circa cauſas adſcenſus & deſcenſus Mercurii in Torricelliana fiſtula, à biga Virorum Nobiliſſimorum, D. D. Schelhameri, & D. D. Ramazzini, editarum, cum in Ephemer. noſtr. Dec. 3. Ann. 7. & 8. fuerit producta, easdemque nuper Patavii recudi fecerit prælaudatus Ramazzinus, addita nova ad Præſidem noſtrum Epiſtola, cum ſolutione Problematis iſtius ex invento celeberrimi Domini Godofr. Guil. Leibnitii &c. eandem hic quoque proferre voluimus.

Miraberis forſan, Præſes Ampliſſime, quòd cum olim Clariſſimus Vir D. Guntherus Chriſtophorus Schelhamerus, Archiater Gottorpienſis, & in Kilonienſi Univerſitate Medicinæ Professor, litem mihi conteſtatus fuerit, circa veram & germanam cauſam aſcenſus, ac deſcenſus Mercurii in Torricelliana Fiſtula, pro vario aeris ſtatu, & illius modò ad pluviam, modò ad ſerenitatem converſione, ac tuo in Foro, Teque Judice per literas utrinque fuerit diſceptatum, variisque ultrò citròque editis ſcriptis, ac poſtremò Vir Clariſſimus pro ſua cauſa ſatis abundè ſcripſerit, in unum Opuſculum contractis iis, quæ inter nos fuerunt diſputata, cui ſubſidiariam Epiſtolam D. Rhejeri, in eadem Kilonienſi Univerſitate Mathematicæ Profeſſoris, tanquam ſuæ cauſæ allegationem adjecit, cumque poſtea mihi altum fuerit ſilentium, non ſecus ac ſi illius rationibus acquieviſſem, nec haberem ampliùs quid reponerem, miraberis inquam, quòd poſt decem annos novis ſcriptis à tuis occupationibus interpellare Te audeam. Poſſem equidem cauſari, ac præcipuè improſperam meam valetudinem in culpa fuiſſe, quæ me, poſtquam Patria relicta Patavi-

um

um veni ad profeſſorium munus in re Medica, per decem annos exercuit, & adhuc exercet, experientia edoctus, quam verum ſit illud, quòd Arbor vetus malè transfertur; ſed illud, quod à novis reſponſionibus & inſtantiis magis abducebat, erat quòd neque Vir Clariſſimus præjudicata illa ſua Problematis ſolutione, neque me conjecturis meis ad tam grande ſecretum eſſe perventuros cognoſcerem, neque Tu, Vir Sapientiſſime, ſententiam tuam hac in re ſi proferre voluiſſes, non niſi per aliam viam ad hujusmodi arcanum perveniri poſſe judicaturus fuiſſes; attamen quia perſuaderi nequeo, me propter tam diuturnum ſilentium tanquam in cauſa deſerta, non ampliùs audiendum, ac propterea, ut dici ſolet, è cauſa mea cecidiſſe, cum in re literaria non tam arctis legibus temporis præſcriptiones teneri exiſtimem, ut in forenſibus judiciis, denuò prodire auſus ſum; ſiquidem humanitatem tuam, Præſes doctiſſime, talem eſſe novi, ut quocunque tempore benignas aures mihi ſis commodaturus. Abſit autem, ut ab hujusmodi tuo Foro declinem, & ad aliud Tribunal provocem, quod etiam ſi vellem, quale illud ſit & ubinam, reperire neſcirem, cum ſciam, quòd Tu, & ſapientiſſimus ſis, & ſervantiſſimus æqui.

Ut ut ergo pro certo habeam, quòd ſi controverſiæ telam, quam D. Schelhamerus orſus eſt, ego vellem producere, rationes meas æquis auribus Tu, Vir Optime, eſſes accepturus, attamen ſcito decreviſſe me propoſitiones, & varia poſtulata, quæ in hac ſecunda ſua Epiſtola D. Schelhamerus in medium produxit, intacta, & in ſuo robore velle relinquere, ut apud omnes liberum ſit judicium, an ad problematis ſolutionem quidquam conducant, neque me pariter pro mea hypotheſi de nitroſæ materiæ præcipitatione pluvioſo tempore, quæ leviorem faciat aeris columnam Mercurio incumbentem, novi quidquam allaturum, licet non pauca ſuppeterent, eòque magis, quò, ut nuper legi in actis eruditorum Lipſiæ, Auctor Clariſſimus Diſſertationem edidit de nitro, cujus geneſim totam à terreno corpore deducit, adeò ut perſuaſum habeam, nitrum aereum prorſus explodere

conatum fuiſſe, propterea ne novis quæſtionibus implicemur, illius placita nequaquam convellam, imò quoniam in hac noſtra concertatione, ubi primum Actor fuit, poſtmodum reum ſe fecit, dum in hac ultima ſua Epiſtola ſatis prolixa, illum valdè laborare video, ut propoſitiones ſuas, & regulas hydroſtaticas ab iis, quæ in ſecunda mea Epiſtola objeceram, vindicaret, lubens ſinam ut res ſuas ſibi habeat, ac tueatur. Hujusmodi tamen diſquiſitionem, & noſtra hæc certamina, qualiacunque fuerint, Naturæ Curioſorum Collegis minimè ingrata, & moleſta fuiſſe exiſtimo, quandoà Doctiſſimo Viro D. Bernardo Valentino hujuſce literariæ controverſiæ facta eſt mentio in Ephemeridibus C. N. Decuria 3. Anni 7. & 8. in Appendice, ubi compendiosè refert ea, quæ utriusque fuerint ſcripta, & diſcuſſa, imo incitamento mihi videbatur eſſe ad controverſiam proſequendam.

Ne autem ulteriùs Te morer, unica ratio hujus Epiſtolæ conſcribendæ fuit, ut Tibi & Orbi literato, novum modum ſolvendi hoc problema communicarem, non tamen ex paupere meo penu hauſtum, ſed à Celeberrimo, & Doctiſſimo Viro D. Leibnitio habitum. Poſtquam enim D. Schelhamerus poſtremam ſuam Epiſtolam edidit, in qua per hydroſtaticas regulas nondum iſtum ſolvere annisus eſt, ſed fruſtrante diligentia, ut ego credidi, à D. Leibnitio, cujus ſuaviſſima conſuetudine ad quinquaginta dies olim Mutinæ uſus fueram, per litteras quæſivi, quid in hoc tam abſtruſo negotio ipſe ſentiret; favit ille votis meis, atque uti promptiſſimus & paratiſſimus ingenio eſt, Epiſtolam ad me conſcripſit, una cum figura Mechanici Artificii, quo ad ſenſum usque ratio haberi poſſit, cur pluvioſo tempore & actu deſcendente pluvia, deſcendat quoque Mercurius è ſummitate fiſtulæ, excuſſa verò pluvia & reſtituta ſerenitate aſcendat, tota autem vis demonſtrationis in hoc potiſſimum ſita eſt, ut oſtendat, quòd corpus grave, quando per fluidum aliquod deſcendit, gravitatem ſuam non exerceat, quo habito conſtat ratio, quare columna aerea incumbens Mercurio, levior ſit dum pluvia actu deſcendit, ut hanc ob cauſam Mercurius deſcendat. Lubet

bet autem hic Epistolam ipsam apponere cum figura, ut quisque perspiciat, quàm ingenioſe, quam perspicuè Vir Clarissimus rem exposuerit.

Ex literis tuis gaudeo Te valere, mihique favere, atque illis qui à me commendantur. Cum cogitationes meas, meherclè meis fundamentis innixas de causa motus hydrargyri desideres., vim earum paucis complectar. Esto tubus A. B. infra clausus in B. aqua plenus rectus, ex libræ extremo suspensus, cum pondere opposito in æquilibrio constitutus, ibi in aquæ superficie natet cavum aliquod corpus D. ex materia gravi, casurum si aqua intraret. Ponamus obturatum esse foramen, sed ita ut paulatim aquæ pervium fiat; ergo ubi intraverit, descendet corpus D. versus fundum B.

His positis, durante descensu corporis D. cessaturum esse æquilibrium ajo, descensurumque pondus C. ac totum tubum A. B. elevatum iri, cujus rei ratio est manifesta, quod quantum descendit D. in tantum ab aqua in tubo libra non sustinetur, & eatenus non resistit ponderi opposito. Compara jam C. cum hydrargyro, aquam tubi cum aeris columna D. cum guttis pluviæ, nempè cum guttæ tam crassæ fiunt, ut amplius ab aere non sustineantur, descendere incipiunt & tota aeris columna levior est quam ante, Mercuriumque in tubo suspensum ad priorem altitudinem non sustinebit, itaque descendet nonnihil Mercurius. Contra aere sereno guttæ aquæ ita comminuuntur, & per aerem disperguntur, ut per se descendere non possint, non magis quàm partes lactis butyraceæ ante separationem. Ita manifesta videtur solutio nodi, & ratio redditur paradoxi, cur ita aer serenus levior sit pluvio. Nam & prævenit aliquantulo tempore hydrargyri descensus pluviæ apud nos casum, quia guttæ formari incipiunt, antequam ad nos pertingant. Vale. Dabam Hanoveræ Anno 1700.

Ubi hujus Clarissimi Viri, (cujus ingenium, & omnigenam eruditionem antea fueram admiratus, dum Mutinæ ad duos circiter Menses substitit, ut Estensis Bibliothecæ varia monumenta reviseret) Epistola ad manus meas pervenit, mentem subiit, quòd in Ephemeridibus meis Mutinæ impressis, Patavii verò recusis, scripsi

ſcripſi de Propoſitione illa Borelli, qui in libro de Motibus naturalibus à gravitate pendentibus, Propoſitione 28. nimirum corpora, quæ per aerem deſcendunt, non gravitare, niſi poſtquam quieverint, quòd demonſtrare ſatagit Auctor ille, allato exemplo de duobus lanæ involucris, cum ſint ejusdem gravitatis, quæ ſi ab alto deſcendant, unum alterum non comprimit, quod ſuperius poſitum eſt, licet inferius tangat, illud non premit, ſed tantummodo quando in ſolum deſcenderit, & quieſcat, ſic mihi blandiebar hoc fundamento Problematis ſolutionem obtineri poſſe, ſed cum multæ mihi occurſarent difficultates, nec lanæ exemplum mihi planè ſatisfaceret, ad præcipitationem nitroſarum partium, & alterius generis me converti. Poſtquam igitur hujusmodi fundamento rem tam perſpicuè, & ingeniosè expoſitam vidi, ut dubitare rem aliter eſſe poſſe, nefas videretur, attamen cupido me inceſſit oculata fide experiundi, & curiosè obſervandi, quod propoſitum fuerat; ſed licet quanta potuerim diligentia pertentarim, res ex voto non ſuccedebat, deſcendente enim corpore gravi, pauca vel nulla motio in Tubo apparebat; neque ullo modo tollebatur æquilibrium: Neutiquam tamen diffidens ratiocinio ingenioſiſſimi Viri, cauſabar, quod libra non tam exacta eſſet uti oportebat, ſive quòd tubus nimis brevis eſſet; nova itaque tentamina in aliud tempus diſtuli, donec libram melioris notæ reperire poſſem. Poſtmodum autem Patavium accitus ad publicè profitendum novis occupationibus diſtrictus, cogitationem de hujusmodi experimento interim ſepoſui. Verùm non multò poſt à graviſſimis affectibus, à quibus non ſatis convalui, tam malè mulctatus ſum, ita ut Studiis, & cuicunque rei literariæ ac vivendi deſiderio pæne renuntiarim. Hac hieme verò tempore vacationum bacchanalium dierum ab Illuſtriſſimo D. Joanne Gratiano in hac Univerſitate Philoſophiæ Profeſſore Celeberrimo, mihique conjunctiſſimo, quæſitus ut illi Ephemerides meas Barometricas, & controverſiam habitam cum D. Schelhamero legendam comodarem, illi morem geſſi; cumq; eidem poſtea Epiſtolam D. Leibnitii oſtendiſſem, hic urgere me cœpit, ut novum tentamen

expe-

experiremur, pollicitus reperturum se exactissimam libram. Una itaque convenimus, & in uno brachio libræ posito longiori tubo aqua pleno, cum gravi corpore apto ex sui natura ad descendendum facilitatis gratia tenui capillo alligato, & ex eodem brachio libræ suspenso & facto cum pondere opposito exacto æquilibrio capillum resecuimus, è quo pendebat corpus illud grave aquæ incumbens, ac temporis momento descendente gravi corpore observavimus tolli æquilibrium, ubi autem corpus grave fundum tetigit tubus in altum se sustulit, & restitutum est æquilibrium. Pluries idem experimentum tentavimus, sed semper cum eodem successu; quare nulla suspicio, nec ullus dubitandi locus nobis relictus est, quin verissimum sit, corpus grave dum per fluidum aliquod descendit, gravitatem suam non exercere, sed solùm quando quiescit. Quamvis autem in observatione motus Mercurii in fistula, variæ contingant anomaliæ, & aliquando ad austrinos flatus, sine ulla pluvia succedente deprimatur Mercurius, ac postmodum attollatur, non propterea infirmatur ratiocinium Clarissimi Viri, cum enim venti meridionales ex sua natura aqueis vaporibus aereos campos impleant, hujusmodi vapores dum paulatim disponuntur ad descensum, ut in pluviam solvantur, ab aliis ventis possunt abigi in alias partes, sicut sine pluvia observetur interdum ejusdem Mercurii alternis vicibus depressio, & elevatio. Ratio itaque tamdiu quæsita, quæ D Schelhamerum meque exercuit, ac tot Eruditorum torsit ingenia, cur impendente pluvia, & actu descendente Mercurius in Torricelliana Fistula descendat, & redeunte serenitate elevetur, modò in propatulo esse cœpit. Gaudendum itaque D. Schelhamero mihique, quòd occasione nostræ Controversiæ tam ardui problematis solutio emerserit, & Vir Clarissimus quàm nobili invento ab ulteriori indagine nos absolverit.

Principali itaque phænomeno, cujus frequentissima est observatio, in Barometro longè certiùs, & expeditiùs hoc pacto satisfactum puto, quàm per aeris elasticitatem, quam crepant omnes, qui hujusce nodi vindices esse affectant: non enim aliunde,

quàm ab aeris gravitate majori vel minori deducendus est ascensus vel descensus Mercurii, cum elasticitas determinatam non habeat directionem, ut in unam partem magis quàm in aliam vim suam exerat. Duas esse particulares aeris affectiones, gravitatem scilicet, elasticitatem certo certiùs est, sed gravitatem cognitam habemus à Barometro, elasticitatem à Sclopo pneumatico. Æquum igitur duxi, Præses Sapientissime, Inventum hoc Clarissimi Viri, cujus nomen ob egregia illius scripta apud Eruditos celeberrimum est, ac ea, quæ de Barometro coram Te Judice acta fuerant, & variis temporibus edita ac sparsa, in unum Opusculum colligere, & ad Germaniæ vestræ decus publici juris facere. Vale diu ac plurimùm, sic ut ad Reipublicæ literariæ felicitatem Hesiodi senecta Tibi contingat.

Dabam Patavii Kal. Junii 1710.

Circa hæc Ill. D. Schelhamero sequentia notare libuit.

DE novo Clarissimi Domini Ramazzini experimento, indicante &c. D. Leibnitzio ab eo tentato; Optarem equidem, tale à me deprehendi, quale ipsi videtur, ut ei, mihique de solutione problematis nostri, (quod à me expectat vir doctissimus) serio & ex animo gratulari quirem: Verum adhuc restant quæ me torquent dubia, non contemnenda, ut mihi quidem videtur.

Primum est, quod nubes in aere suspensæ, aut guttulæ aqueæ, hærentes in ejus poris, aut quocunque modo illi permistæ, non in superficie ejus innatabant, quemadmodum cavum illud corpus D. in experimento aquæ innatare seu potius supernatare supponebatur, sed in medio ejus suspensæ sunt, ut premere fluidum, aut pondus ipsi addere, quod experimentum requirit, eoque ex altera parte suspensum tenere Mercurium non possint: adeoque ibi plane dissimilis est ratio. Quodsi & in medio natantes, pondus fluido addunt, falsa erit tota demonstratio; Supponebatur enim in medio fluido non gravitare. Deinde toto illo, quo

ibi

Truncus Anguillae Comachiensis cum Ovario et aliis partibus internis.

App. p. 165.

App. p. 110

App. p. 98.

App. p. 165.

Ovarium Microscopij ope inspectum.

ibi ſubſiſtunt tempore, Mercurium magis magisque attolli, oportebat, quo colliguntur illæ magis, neque unquam deſcendere, niſi cum actu pluit: At videmus, etiam dum nubilum eſt, & obtectum cœlum, pluviæque nullæ cadunt, aut nebulæ, eum deſcendere; non ſolum, dum actu guttæ illæ, quæ corpus D. referunt, decidunt & per aerem deſcendunt. Quin diu etiam ante, vel ſaltim unum alterumve diem, non expectans pluviam, ſed præveniens, idem molitur, eamque prænunciat. Qui igitur hæ cum corpore per aquam deſcendente poſſunt componi guttulæ, cum nondum deſcendant?

Et quid dicemus de aliis ejus minoribus motibus & crebris, ſæpeque horariis, quibus ſine pluvia cadente quotidie nutat & fluctuat? Quid de magnis illis, quæ circa æquinoctia & ſolſtitia accidunt mutationibus? quas nonnulli ſe obſervaſſe putant, imo non raro obſervantur: hæc ſane per experimentum hoc non magis explicari poſſunt, quam ille maximus ejus deſcenſus, qui magnis tempeſtatibus & procellis accidere obſervatur.

Quinto loco eſt, quod, an recte & ex mente auctoris à Clariſſ. Viro inſtitutum ſit experimentum, dubium mihi eſt: dum enim Corpus D. (quod, quale fuerit, non additur, ut ad plenum rei intellectum forte opus erat) ex capillo ſuſpendebat, haut poterat incumbere aquæ ſupremo, & illam premere aut gravitare ſuper ipſam: dum ergo, ſecto capillo, per eam deſcendere incipit, alterum libræ brachium nonnihil attolli, neceſſum erat, quia exaltero corpus D. non amplius ſuſpendebatur, adeoque id ponderelevabat. Quod deinde, eo per aquam celeriter deſcendente, ſtatim, ubi fundum attingebat, ad æquilibrium reducebatur, dum fundo incumbebat idem pondus, quod prius capillo ex brachio ejus lateris ſuſpendebatur.

Anni MDCCX.

JANUARIUS.

	Barom.	Vent.	Tempestas.
1	46	Occ.	Pluv.
2	40	—	Nebulos.
3	—	—	
4	20	—	Magnæ tempest
5	21	—	
6	6ad 4	—	
7	6	—	Tempestas sum-
8	10	Aust.	ma.
9	4	—	Nebulos.
10	20	—	Nubilos.
11	24	—	
12	36	—	
13	28	—	
14	27	Occ.	
15	36	—	
16	38	—	
17	—	Bor.	
18	48	—	
19	36	Eurus	
20	35	—	Nix.
21	35	—	
22	—	—	Seren.
23	—	—	
24	—	—	
25	—	Bor.	
26	46	Bor.	Nivos.
27	52	—N. O	
28	53	Auster.	Nebulos.
29	50	Orien.	
30	—	—	Niv.
31	—	—	Niv.

FEBRUARIUS.

	Bar.	Vent.	Tempestas.
1	52	Or.	Gelu maximum
2	48	—	serenum
3	40	—	
4	34	NB. Ventus hodie duplex: Superi-	
5	36	or Austr. inf. Cæsias. idem eod. aër	
6	—	tranquillissimus. Aust. Frigus re-	
7	32	mittit Nub. Aust. solvitur.	
8	33	—	Nub.
9	45	Orien.	Seren.
10	32	—	Gelascit denuo.
11	—	—	Gelu
12	—	Vulturn.	solvitur.
13	34	—	
14	—	—	Redit frigus.
15	37	Cæsias	Gelu
16	44	In-	in-
17	—	con-	con-
18	—	stans.	stans.
19	36	Caurus	Frigus intensum.
20	43	Cæsias	Gelu
21	34	Caurus	remittit.
22	33	—	
23	34	Occid.	
24	—	—	Nubilosus.
25	38	Or.	
26	24	Aust.	
27	27	—	
28	32	Or.	Frig. seren.

NB. Hic loci sæpe ventus geminus eodem regnat tempore, ut 4. Febr. videre est. Idemque & æstate accidit, cernunturque nubes superiores impelli aliò quam infer.

MAR-

MARTIUS.

	Bar.	Vent.	Tempestas Aëris.
1	30.	Occ.	Sudum
2	33.	Or.	Sudum
3	44.	—	Gelu.
4	37.28	Vultur	Frig.
5	32.	—	Pluv.
6	27.29	Boreas	Nub.
7	24.	Or.	Nebul.
8	34.	Cæsias.	Neb.
9	35.	Africo	Gelu, Nub.
10	26.	Occid.	Degel. Nub.
11	23.	—.	Nix.
12	30.	Caurus	Seren. Gelu.
13	35.	Boreas	Seren. Gelu rig.
14	40.	Notus	Gelu. Seren.
15	34.	Afric.	Nub. frigus acre.
16	20.	—	Seren.
17	20.12	Aust.	Nub.
18	14.12	Occid.	Temperat.
19	16.11	—	Frigus, Nub.
20	10. 5	—	Pluv.
21	3.	Africo	Pluv. parum.
22	8. 5	Auster.	Nub. tep.
23	9. 2	Vultur	Seren. Frig.
24	4. 0	—	Perpulchrum.
25	1.	Occid.	Pluv.
26	5.10	—	Pluv. Nub.
27	15.	—	Inconst.
28	16.	Cæsias	
29	—.	Occid.	
30	14.	Cæs.	Inconstans etiam
31	19.	inconst	aer.

APRILIS.

	Bar.	Vent.	Tempestas Aëris.
1	30.	Occ.	Sudum frigus
2	28.	—	Fr. Pluvium
3	24.	Or.	Fr. Nubilum
4	17.	—	Cal. Pluv.
5	13.	Occ.	Fr. Pluv.
6	15.	Occ.	Frig. Inconstans.
7	—.	Cæsias	Frig. Nubilum
8	19.26	—	Perquam frig. Nub.
9	27.20	Caurus.	Gelu
10	23.	Occ.	Levius
11	28.40	Caurus.	Frig. ventus
12	44.	—	Frig. Nub.
13	40.	Afric.	Nebul.
14	32.	—	Cal. Nub.
15	32.	—	
16	34.	Or.	Frig. Nub.
17	30.	Caurus.	Frig. Seren.
18	24.	Vultur.	Temperat.
19	—	Afr.	Pluv.
20	28.	Or.	Frig. Pluviosi.
21	30.	Afr.	Frig. Nubil.
22	28.	—	
23	21.	Occ.	Frig. Nix.
24	23.	Caurus.	Frig. Nub.
25	23.	—	Gelu
26	34.	Vultur.	Seren.
27	30.	Bor.	Frigus
28	38.	—	Gelu.
29	32.	Afr.	Frig. Humidus;
30	—.	—	Pluvius

Tales nunc ab aliquot annis bini hi menses se exhibent: Frigidus plerumque in iis aer, valde tamen inconstans, & nubes ita abundant, ut. rarò sereni appareant omninò dies.

MAJUS.

	Bar.	*Vent.*	*Tempestas Aëris.*		
1	30	Occ.	Frig.		Nub.
2	22	—	—		ventos.
3	30	—			
4	30	Caurus	Frig.		Nub.
5	24	—			
6	32	Occ.	Cal.		Sudum
7	33	Orien.	Cal.		
8	37	Cæsias	Frig.		inconst.
9	40	—			
10	47	—	Temperat.		inconst.
11	50	Caurus	Frig.		Nebul.
12	—	—	Cal.		Seren.
13	32	Auster	Temp.		Neb. ⊙
14	30	—	Cal.		inconst.
15	32	Or.	Frig.		Pluv.
16	34	Occ.	Nubil.		
17	33	Bor.	Pruina		Ventus.
18	—	Cæs.	Frig.		Seren.
19	31	Bor.	—		pul-
20	34	—	—		cher-
21	36	—	—		ri-
22	37	—	—		mum.
23	35	Cæs.	Temperat.		
24	31	Occ.			
25	32	Caur.	Temper.		Sere-
26	36	—			num
27	37	—			&
28	—	—			pul-
29	41	—			cherri-
30	47	Bor.			mus
31	43	Or.			Jannus.

JUNIUS.

	Bar.	*Vent.*	*Tempestas Aëris.*		
1	48	Vulturn	Cal.		Sudum.
2	34	—	—		Tonitru.
3	40	—	—		Sudum
4	37	Aust.	Temperat.		Nubil.
5	39	Occ.	Frig.		Sudum.
6	34	—	—		Nub.
7	32	—	Cal.		Seren.
8	38	Occ.	Tem-		Nubil.
9	37	—			Pulchrum
10	—	—	pe-		& suave
11	—	Bor.			
12	—	—	ra-		serenum
13	—	—			
14	—	—	tum.		
15	40	Caurus.	Cal.		Pulchrum
16	27	—	Cal.		Tempestas
17	20	—	Frig.	&	Pluv.
18	30	Afr.	Inconstans aer.		
19	27	Occ.	Pluv. cum seren. mist.		
20	28	—	Tem-		pluvio-
21	30	—	perat.		sum.
22	36	Occ.	Bonum		
23	—	—	Inconstans.		
24	—	—			
25	34	—			
26	—	—			
27	—	Vultur.			
28	40	Afric.	Jucundum		
29	38	—	& serenum.		
30	34				

Hic ergo Mensis dimidius adhuc hyemalis fere, altera vero pars pulcherrima fuit.

JULIUS.

JULIUS.				AUGUSTUS.			
Barom.	*Vent.*	*Tempestas.*		*Bar.*	*Vent.*	*Tempestas.*	
1 30	Occ.	Tem-	Inconstans	1 40	—	Cal. Sud.	
2 37	—	pera-	ventosus	2 45	—		
3 34	—	tum	& pluvio-	3 50	Cæ-	Cali-	
4 24	—	&	sus.	4 53	si-	dissi-	Neb.
5 20	—	frig.		5 32	as	mum.	Nub.
6 —	Auster.	Frig.	inconstans.	6 —	—		
7 24	Vultur	Cal-	—	7 30	—	—	Sere-
8 —	Aust.	—	—	8 —	—		
9 10	—	—	—	9 33	—	—	num.
10 23	Cæsias	—	Pluvia lar-	10 31	Occ.	Tem-	Nub.
11 26	Caurus	—	gissima.	11 36	Bor.		Ser.
12 25	—	—		12 32	Occ.	pe-	Nub.
13 30	Occid.	Tempestas		13 —	—		Ven-
14 38	—			14 22	—	ra-	tos.
15 —	—			15 —	—		Seren.
16 32	Cæsias.			16 20	Afr.	tum.	Inconstans.
17 36	—		Sudum.	17 22	Occ.	Pluv.	
18 40	—			18 26	—	Tempera-	
19			ventosum.	19 18	—		
20	Reliquum hujus mensis absens			20 12	—	tum	
21	dein ægrotus, non potui ob-			21 28	—		
22	servare hæc atque alia. Dimi-			22 36	Aust.	& cal.	
23	dium hujus fuit temperatum,			23 34	Afr.		
24	reliquum inconstans, & au-			24 34	Afr.	Inconst.	Pluv.
25	tumnale fere tempus.			25 32	Or.		Ven-
26				26 28	Incon-		tos.
27				27 24	stans	Pluv.	Tempestas
28				28 26	Afr.		Tonitru
29				29 23	Occ.		Nub. &
30				30 28	—		pluvios.
31				31 35	—		

SEPTEMBER.

	Bar.	*Vent.*	*Tempestas Aëris.*		
1	41	Caurus.	Frig.		Sicc.
2	37	Afr.	Frig.		Nub.
3	38	Notus	Frig.		Nub.
4	40	Caurus.	Cal.		Sud.
5	—	Aquilo			
6	—	Ori.	Æstus.		
7	40	Aust.	Æstus		
8	36	Occ.	Cal.		Nub.
9	—	—	temperat.		
10	39	Caur.	Cal.		Neb.
11	38	Afr.	Tempestas		
12	32	Occ.	Tempe-		pul-
13	33	—	ratus		chrum.
14	40	Occ.	Tem-		Sud.
15	24	Afr.	pe-		Pluv.
16	14	—	ra-		&
17	21	Occ.	tum.		venti
18	22	Afr.			totam
19	36	—			heb-
20	34	—	Cal.		dom.
21	22	Afr.	Cal.		pluv.
22	20	Occ.	tem-		in-
23	32	—	pe-		con-
24	—	—	rat.		stans.
25	38	Caurus.	Cal.		
26	42	Occ.			
27	41	—			
28	36	Afr.	Cal.		Ser.
29	28	—			Incon-
30	21	Aust.			stans.

OCTOBER.

	Bar.	*Vent.*	*Tempestas Aëris.*	
1	42	Afr.	Cal.	Se-
2	48	Or.	Frig.	re-
3	49	—	—	num.
4	48	Vult.		
5	46	Or.	Tem-	Se-
6	48	—		
7	40	—	pe-	re-
8	34	—		
9	15	Occ.	ra-	num.
10	16	—	tum.	
11	15	—		
12	22	Bor.	Frig.	Nub.
13	36	Cæs.	Frigid.	Seren.
14	44	Vult.		Nub.
15	41	Aust.		Seren.
16	26	—	Tempestuosum	
17	21	—	&	
18	—	Occ.	pluvium.	
19	40	Afr.		
20	32	Aust.	Cal.	Seren.
21	28	—	Frig.	Pluv.
22	16	—	Cal.	Nub.
23	27	—	Frig.	ventos.
24	40	—	temperat.	Nub.
25	—	—		
26	—	—		Nub.
27			finem mensis.	
28				
29				
30				
31				

NOVEMBER.

	Barom.	Vent.	Tempestas.
1	40	Cæsias	
2	38	—	Nub. & Tem-
3	28	Not.	— Tem-
4	29	Cæs.	— pe-
5	24	—	— ra-
6	23	Vult.	— tum.
7	29	—	—
8	—	Bor.	—
9	39	Bor.	Tem- Pulchr.
10	40	Cæs.	pe- Nub.
11	36	—	rat.
12	38	Vulturn	Frig.
13	37	—	Tem- Pulv.
14	40	—	pe- & den-
15	—	Occ.	rat. sæ Nubes.
16	37	—	Cal. Pulch.
17	30	—	Frig. Nub.
18	—	Vulturn	
19	—	—	Tem- Plu-
20	28	—	pera- via.
21	26	—	tum Nubi-
22	36	—	lum.
23	48	Orien.	Frig. Nub.
24	37	Occ.	Temp. Nub.
25	36	—	Frigid. Nub.
26	—	Auster	
27	30	—	— Non-
28	36	—	— dum
29	—	—	— gela-
—	—	—	—
30	30	—	— scit.

DECEMBER.

	Bar.	Vent.	Tempestas.
1	36	Vul-	Cal. Inconst.
2	42	tur-	— Nubi-
3	46		
4	40	nus.	— lo-
5	22		
6	30	—	— sum.
7	20		
8	37		
9	37		
10	39		
11	—		
12	26		
13	22	—	—
14	26		
15	32		
16	31		
17	32		
18	30		
19	—		
20	34	—	—
21	15		
22	26		
23	19		
24	18		
25	19		
26	Reliquum tempus valetudo adversa		
27	me abstraxit ab observationi-		
28	bus.		
29			
30			
31			

Animadversio.

CUm varia sit Barometrorum tum figura, tum altitudo, denique & amplitudo, quæ in aliis dissitisque locis ab aliis Barometris neque conjectura assequi, neque à Professoribus per mensuras receptus describi queat, quippe quæ omnes pro locorum varia consuetudine sint variæ, ut neque pedes iidem, neque pollices, neque cubiti, adeoque justa æquatio Barometrorum assequi facile non possint, consultum duximus, ipsam mensuram ejus & rationem hic inire: Est ergo is, quo utor, non duorum brachiorum, sed unus simplexque tubulus in Mercurium, capsula lignea, undique sollicitè clausa contentum immersus indeque recta assurgens, superne hermetice sigillatus, relicto vacuo. Altitudo ejus quinquies æquat lineam in margine pag. ductam: *B.* Amplitudo diametri est, quam dedi, minima lineola *B.* Spatium, per quod Mercurius movetur, tertia linea *C.* describitur: *C.* Quod spatium in 60. æquales partes divisum est. Mercurius ipse admodum mobilis, per illud totum, neque ulterius, neque citerius, decurrit, etsi raro attingat extrema. Hæc addere placuit, ut eo accuratius pateat, quid valeant numeri, area secunda adhibiti. Ventos paulo accuratius etiam notare placuit: ut tota aëris nostri temperies ex his conjecturari queat: de qua jam olim notavi quædam.

NB.

C. B.

Hanc lineam quinquies æquat altitudo Barometri.

Dn. D. SAMUELIS GRASSII

Historia compendiosa Pestis in confiniis Silesiæ grassantis Anno 1708.

CUm anno 1708. in Silesiâ primum inconstante frigoris & caloris constitutione, post tepidiore aëre, & procedente anno, sat benignâ tempestate, ob Solis splendorem, intermixtis pluviis, frueremur, senescente verò eodem, ob harum defectum, universa

versa tellus Solis æstu exureretur, paucis morbis infestati sumus, nisi quod subinde rheumatismi artuum, erysipelata, purpuræ albæ benignæ, febres quotidianæ, tertianæ ægris molestæ fuerint; intercurrerunt autem per totum annum Variolæ tàm anomalæ, quam regulares, concurrentes & confluentes, facilioris utplurimum curationis, autumno tamen & hyeme, an naturâ suâ, an ex malâ diæta & curatione, ferocius sævierunt, multosq; infantes, præprimis pauperum, è vivis sustulerunt. Hic erat status nostræ Silesiæ, cum in primordiis hujus anni ex Poloniâ lues pestifera Rosenbergam urbem, & in Districtu Wartenbergensi, pagum Kojentschin, non sine conjecturâ, per mobilia infecta adducta, transportaretur. Hæc Lues primum feroci contagio procedebat, infectosque intra 24. aut 48. horas, post intra 3. 4. 5. 6. dies è medio tollebat, cadaveribus post mortem luridi coloris repertis. Irruebat autem hæc lues utplurimum rigore subsequo constante vel mutabili calore, cum dolore capitis tam enormi, quam remisso, qui utplurimum usque ad eruptionem bubonis, vel carbunculi durabat cum levi delirio. Quosdam Vertigo, torpor, somnolentia, vigiliæ, angina, in plethoricis, levis hæmorrhagia narium, βαρυκοία infestabat. Utplurimum conquerebantur infecti de molestâ respiratione, anxietate præcordiali, palpitatione cordis, cardialgia, dolore circa regionem glandularum Pancreaticarum, singultu, vomitu, & siti immani, linguâ aridâ, quæ tamen non omnes excruciabat, sed ut plurimum benè se habebat. Quosdam enervabant diarrhœa & dysenteria, hæmorrhoides, imprimis fœminas, nimius mensium fluxus. Plurimis cum dolore capitis obveniebat dolor in manibus, pedibus, & lumbis, tensio in inguine, summa debilitas & plenarius virium defectus. In aliquibus erumpebant petechiæ, aliaque exanthemata, tantum non verò in omnibus bubones, in inguine, pudendis, collo, sub axillis, tam albi, quam rubri, imò atri coloris, raræ parotides visæ sunt; at enim verò Carbunculorum largus proventus, statim initio in brachio, abdomine, femoribus, & suris observabatur, qui facile in sphacelum degenerabant, & excidebant. Pulsus variabat ratione horroris

& caloris, plurimis naturaliter vibrabat, urina quibusdam naturali simillima erat, quibusdã confusa, turbida c. sedimento albo, quandoque atra, quam mors citò pede comitabatur. Omnium pessimum in hâc lue erat timor, terror, & imaginatio, quibus, ceu flagris divinis homines percutiebantur, tùm etiam sordida avaritia, quâ emptis, raptis, vel hæreditate acquisitis mortuorum infectorum mobilibus, luem sibi simul comparabant. Quibus itaque infaustum hoc mobilium commercium exosum erat, ardentissimisque precibus ad Deum fusis, intrepidâ animositate omnem excutiebant terrorem (aër enim, DEI gratiâ, salvus & incolumis erat, & pestis hæc saltim per contagium traducebatur) & præscriptis medicamentis præservativis utebantur, rarò inficiebantur. Ægri verò, qui invocato Divino auxilio, statim præscripta medicamenta cum regimine usurpabant, strictamque diætam servabant, & post reiteratos sudores, meliùs se habebant, & quorum bubones citò crumpebant & maturabant, carbunculi autem quantocyùs excidebant, illi sanitatem sibi utplurimùm spondere poterant; qui verò infecti (quod sæpissimè contingebat) medicamenta respuebant, aut nimis tardè assumebant, regimenque invertebant, illis mors in propinquo erat.

Præservatio consistebat tùm in evacuatione vitiosorum humorum per blanda evacuantia, ἄνω, καὶ κάτω, tùm in balsamatione sanguinis & seri, spirituumque exaltatione & robore. Communissima medicamenta (præter vulgaria) erant, Tinctura bez. Mich. c. & s. camphorâ, Elix. ppr. Parac. Elix. pestilent. Crolli Essentia alexipharmaca composita; Item Electuarium nostrum præservativum commune, Elect. Nucum, Elect. diascord. Frac. Elect. de Zedoriâ, Elect. de Ovo, Theriaca Andromachi, Mithridatium, Rotulæ Præservativæ nostræ; Quibus pulveres arridebant, commendabatur noster pulvis alexipharmacus novus, pulvis alexipharmacus Montagnanæ, Pulvis noster diaphoreticus novus. Jungebantur his species alexipharmacæ, infundendæ in Vinum, acetum, Cerevisiam, & spiritum frumenti (quem crematum communiter appellant) pro cujuscunque temperamento & corporis con-

conſtitutione, atque conſuetudine. Simul odoramenta, illitus & ſuffitus ex balſamicis, ſpirituoſis & volatilibus præſcribebantur. Sedulò verò admonebantur, ut, abjecto timore, ſibi caveant à nimio & quotidiano præſervativorum medicamentorum, imprimis calidiorum & volatiliorum uſu, ne, natura iisdem aſſuefacta, poſtmodùm debitum non præſtare poſſit auxilium.

In Curatione maximi ponderis fuerunt (pro ægri quidem calidiore l. temperatiore conſtitutione) *diaphoretica volatilia* & *balſamica, fixa*, & *temperata*. Ex *iſtis* quidem ſal vol. C. C. viperar. Eſſentia alexipharmaca, Tinctura bez. D. Michaël. Elixir peſtilenc. Croll. Elixir. propr. Parac. (quæ 4. medicamenta inſignem præſtitere uſum) it. Spir. C.C. cum Sal. vol. C. C. & viperar. eſſentificatus, Eboris, tartari &c. Ex *illis*, pulv. bez. Sennert. Rhumbaumii noſtri, pulvis Pannonicus ruber, ſpecies de hyacintho, pulvis polychreſtus, pulvis Marchion. Pulvis noſter diaphoreticus novus, Pulvis noſter Alexipharmacus novus &c. Ex *biſce* verò, M. S. Eſſent. myrrh. tartariſat. pilul. antipeſtilentiales, Theriaca Andromachi, Mithridatium, Elect. diaſcord. Frac. ſpiritus theriacal. & juniperi &c. commendabantur: Et quidem, ut ſtatim primo inſultu, volatile quoddam medicamentum fluidum ad 60. 80. & 100. guttas propinetur, injuncto ſufficiente ſudore, & poſt horas 8. iterum injuncto ſudore l. regimine repetatur (intermixtis, pro conſervatione virium, analepticis, tam naribus applicandis, quàm intrò ſumendis) circa noctem verò pulvis bezoardicus, aut alius ad ʒβ. aut Electuarium diaſcord. Frac. ad ʒij. aſſumatur, & niſi æger poſt ſudorem meliùs ſe habeat, nec bubones & carbunculi quantocyùs erumpant, medicamenta hæc ad tertium, imò quartum diem cum regimine reiterentur. Ac primùm Bubones in conſpectum prodibant, jubebantur ægri abſtinere à ſudoribus & omnibus evacuantibus, cataplasmatibus verò emollientibus maturationem eorundem promovere, inter quæ Medici noſtri Peſtilentiales panem mellitum, & ptiſanam ex fagopyro (Heidegrütze) confectam & cum butyro conditam, non ſatis deprædicare poſſunt; tumorem

ſufficienter extractum, & ad maturationem redactum, quovis modo quantocyùs aperiebant, ne nimiâ & timidiori cunctatione virus rurſus in vaſa ſanguifera regurgitaret. Carbunculorum veſicæ ſtatim aperiebantur, & debitis defenſivis, ne amplius ſerperent, coërcebantur, deſuper impoſito inciſo Emplaſtro magnetico, & cataplasmate in bubonibus notato. Emplaſtrum veſicatorium, quod ab aliquibus Authoribus, carbunculis & bubonibus imponendum ſuadetur, Medici noſtri peſtilentiales plus damni, quàm ſucceſſus attuliſſe experti ſunt. Cæteris ſymptomatibus ordinariâ methodo, additis tamen ſemper alexipharmacis, obviam itum eſt. Et ſic, benedicente Deo, multi ex orci faucibus erepti ſunt, cui ſit laus & gloria in æternum.

G. C. SCHELHAMERI
Anatomes *Xiphiæ Piscis* Oceani incolæ cultro Anatomico, A. MDCCIV. in Academia Kilonienſi ſubjecti brevis enarratio, ad Virum Clariſſimum PETRUM HOTTON, Medicum & Botanicum in Lugdunenſi Batavorum Academia conſummatiſſimum. Accedit Lumpi & Ophidii ejusdem generis examen.

Gladii ſeu Xiphiæ Piſcis Hiſtoria.

Clariſſime atque Excellentiſſime Vir.

INter alia multa, quibus Kilonienſes Muſæ præ cæteris Germaniæ Academiis gaudent, commoda, haud poſtremum eſt, quod mare vicinum habent; unde cum Neptuno amicum colunt commercium: ex quo id capiunt commodi, ut non tantum omnia ad victum neceſſaria, frumenta, obſonia, piſces, butyrum; itemque ad ædificia ſtruenda, ligna, trabes, aſſeres, calx, lapides, ferrum; ænea etiam vaſa, frequenti navigatione afferantur, indeque magna ſit undique rerum affluentia, ſed ſubinde etiam iis, nec ſperantibus aliquid ille ſubmittat boni aut rari, quo ſeſe oblectent & animum paſcant, & ex quo nova identidem ſtudia capiant incrementa. Quæ talia ſane ſunt, tamque eximia, ut excitari

citati ingenii juvenes, mediterraneas alibi Musas colentes, ea spectasse magno redimerent pretio: hic sponte sese offerunt. Sic ante aliquot annos PHOCA seu vitulus marinus media hieme, saligno piscatorum qualo implicata & capta, non formæ solum monstruosæ raritate oculos, sed animum etiam internarum partium intuitu, cultro subjecta oblectavit: cujus anatomes historia tum publici juris à me est facta. Hanc quadriennium post XIPHIAS hic piscis, seu Gladius, ut à prominentiore & maxime conspicua sui parte nuncupatur, secuta est, quæ ex alto mari egressa, & nescio quo errore in portum nostrum delata, in retia piscatoria, quibus salmonibus insidiantur, incidit, eaque gladio, quem in fronte gestat, dissecuit quidem, luridumque corpus secutum, per ea traducere tentavit, sed penitus perrumpere non potuit. Cum ergo jactando se atque diverberando, ingentem in aqua sonitum atque tumultum concitaret, sicque spumantibus undis se attentis proderet, accurrentes lintribus & scaphis, non sine multa opera eum fustibus remisque confecere; altero die mihi venum obtulere. Quamvis autem summa æstas caloresque dominantes, sectionem animalis promta putredine diffluituri disuaderent, facileque præviderem, non diu multumque in scrutandis visceribus occupari, nobis iri concessum, non tamen omittendam tam rari spectaculi occasionem arbitratus sum. Itaque ære meo emtum, convocatis pro more artium cultoribus, januis apertis omnium oculis, per biduum continuatis demonstrationibus exposui, non sine molestia, tanto fœtore mox implente universas ædes, ut plerosque absterreret, sed jucunditate spectaculi laborem ac tædium abunde compensante. Quid vero tumultuaria quidem, sed quantum fieri potuit, accurata inspectione observatum, non privatæ scientiæ servandum, sed ut de Phoca olim factum, publice commemorandum & Tecum præ cæteris, *NOBILISSIME HOTTONE*, communicandum existimavi; ut versatissimum in omni Medicæ eruditionis genere animum tuum ejus lectione vel semihorulam oblectarem. Accipe igitur, quicquid est ejus, ea qua soles fronte, quæ ad Te undi-

undique, tanquam ad communem quendam rerum noſtrarum arbitrum ſubinde confluunt, & inter tot ſummorum virorum graves meditationes, leve hoc quoque ſtudii in Temei & diligentiæ ſpecimen admitte.

I. Forma Piſcis : Capitis Partes.

I *Corpus*, rotundi cunei in modum ex amplo in anguſtum excurrebat, longitudine ſex pedum Geometricorum juſtam hominis ſtaturam æquans, craſſitie tanta, ut ſtatim à capite filo trium pedum menſuram implente comprehendi vix poſſet: cum unius ad caudam ſufficeret, ſenſim decreſcente molis amplitudine.

II. *Caput* comparatione ad tantum corpus parvum, ſeptem ſcilicet unciarum, & quod præter maxillas, admodum breves, nihil magnopere complectebatur; ore ſubtus brevi ſed magno ſatis rictu hiante.

III. Ex ea parte, quæ maxillam ſuperiorem conſtituebat, recta *Proceſſus ille* porrigebatur, qui à ſimilitudine *Gladius* appellatus eſt: figura, quæ ſtrenui cujusdam militis enſem protenus referret, ex lato in anguſtum deſinens, quippe ad radicem palmum æquabat, extrema cuſpide ad unius pollicis menſuram contracta; longitudo trium pedum; nec integer videbatur; quin ex inæqualitate in cuſpide obvia aliquid ejus periiſſe ſuſpicari poteras, ſive in ſaxum incurriſſet animal, ſive in pugna particulam amiſiſſet. Nec craſſities eadem: per medium denſior, & utrinque, ſubtus puta & ſupra, eminentior apparens: ad nares trium digitorum latitudine erat, caput emenſus, unius pollicis, inde ad finem perpetuo decreſcens, vix calami tandem craſſitie conſpiciebatur, cum ea latitudine ſimul imminuta: uno verbo ea ipſius ratio, quæ duplici acie inſtructi gladii eſt, quaſi ad ſecandum findendumque pariter & terebrandum eſſet confectus. Huic capulum ſe aptaſſe, vir celeberrimus Olaus Wormius, ut perfectum gladium referret, in Muſei ſui deſcriptione prodidit. Ego illud capitis oſſi adhuc continuum cum maxillis adpendentibus aſſervo.

IV. Subſtantia ejus duriſſimum os, ut ferro vel ligno pulſum,

ſum, ſonitum edat, nec cavum tamen, ſed cavernoſum, ex fibrillis oſſeis arctiſſime junctis,& implicitis, exigua formans interſtitia, ex quibus poſt plurimos etiam annos, adacto cultro, medullæ ſpeciẽ clariſſima ac pellucida pinguedo funditur. Pariter ut ex terreſtrium animalium oſſibus ſat magnam ejus copiam in meditullio ſupereſſe deprehendimus, quæ, niſi probe excocta ſint, per poros transſudat.

V. Laminæ vero oſſeæ, quibus hoc meditullium utrinque obtegebatur, reliquorum animalium ſimiles, & quales oſſium externas laminas in univerſum deſcripſit *Clopton Havers*, ex fibris in longitudinem porrectis conſtabant & colore, & tactu, & tantum non ſubſtantia ligneas prorſus referebant, interna præſertim facie, externe tamen nihil apparebat iſtiusmodi; erat enim totus hic gladius cute ſeu potius membrana obtectus, aſperiuſcula, qualis lingua canum tactu deprehenditur, colore cinereo.

VI. Sub illo enſiformi proceſſu proxime *Oris Hiatus*, *Maxilla* cum inferiori, tum ſuperiori latiſſime ab invicem recedente, inferiore autem non roſtrata, ut à Jonſtone pingitur, ſed retracta & triangularis,ut à Geſnero,& in figura à me depicta (*Fig.* --) apparet, in angulum non admodum acutum formabatur: *Dentes* nulli comparebant, ſed eorum loco utrinque cartilagines quinque vel ſex, aſperitatibus quibusdam eminentibus inſtructæ, & carne, veluti gingivis veſtitæ, inſtar funiculorum tenſæ, & ad radicem *Linguæ* terminatæ, quæ, ut in piſcibus ſolet, inmobilis, & oris parti inferiori adnata erat. In his irretiri opus erat prædam, &, quibus veſci conſueverat,piſciculos, ne retrocedere & ex ore rurſum elabi poſſent.

VII. Poſt maxillas *Branchiæ* in totum quatuor utrinque, quarum unaquæque quadruplici tubulorum ordine gaudebat. In ceteris aliorum piſcium per omnia ſimilis: lamina oſſea contectæ, quæ ex quatuor conſtabat partibus, præcipua & multo reliquas ſuperans, poſtica & ſuperior erat, in qua fibræ oſſeæ ex ſupremo craſſiſſimoque oſſis capite, ſub oculo, veluti è centro radii in orbem procurrebant; tres reliquæ partes parvæ, ar-

ćte ſuperiori inhærentes, ut unum os primo intuitu videretur, in antica parte erant ſitæ, altera duplex ſuperior, altera, inferior ſimplex & minima. Extus cute una tectæ continebantur, intus vero carne repletæ, quæ muſculus erat ad motum reciprocum earum regendum, hæ enim coſtarum vices ſupplent in piſcibus; ut branchiæ, pulmonum.

VIII. Ante hæc branchiarum integumenta ad radicem enſis in ſuprema parte *Oculi*, magni, cærulei, pulcherrimi prominebant, ut ſupra enſem proſpicere, atque adeo, quocunque jam intendebat piſcis, accuratiſſime ad punctum ferire poſſet. Erant autem in perfecti orbis ſpeciem egregie formati, ad ovi gallinacei magnitudinem accedentes: eruti multa pinguedine involutos muſculos ſeptem oſtendebant, quæ eos regebant, non ſclerotide tunica ſed cartilagine tenſa, firma ac robuſta, ut comprimentibus digitis omnino reſiſteret, incluſos. Orbitam oſſeam, in qua condebantur, exacte implebat. Hanc oſſeam thecam, ſclerotidis vices gerentem Viſorii nervi ad retinam conſtituendam amplo foramine perforabant. Antice cornea tunica duorum pollicum diametro, cartilagineo circulo interveniente, arctiſſime inhærebat, egregie pellucens, pupilla ſua gaudens, quam uvea nigerrima ſubjecta formabat. Humores oculorum, ut reliquorum animalium: cryſtallus vero pellucidiſſima, rotunda, & quæ extracta, ubi ab aere ſiccabatur, candidiſſima, rimas agens, in varia fruſta incondita compreſſa diſſiliit. Pars quam ſervo, opalum gemmam refert, niſi quod igneo illo ſplendore, quo ea gaudet, & pelluciditate deſtituitur.

IX. Ante oculos foramina duo, *Narium* æmula, ad gladii latus.

X. *Cerebri* minimum erat: tria circiter cochlearia eo impleveris, quod tractu temporis in pinguedinem mutatum fuit: Hoc cranio ſuo incluſum nullo fœtore moleſtum etiamnum à me ſervatur, denſum inſtar ungenti, ex flavo tendens in rubedinem, quo colore gaudet etiam capitis os, robuſtiſſimum, niſi quod hoc etiam ex fibris, igneis proxime accedentibus conſtet,

& præ pinguedine, qua totum perfusum ac delibutum est, totum ex fusco rubebat.

II. Corporis Externa.

I. Ipsum crassissimum, ut jam monuimus, sensim minuebatur; & cum antice exacte rotundum esset, caudam versus in latitudinem, non altitudinem compressum explicabatur, contrario plane aliis piscibus more, qui appressis lateribus erecto sunt ad caudam dorso : nostro vero huic cauda ad perpendiculum aptata, crucis formam confingebat.

II. Color, cum vivebat, argenteo nitore & veluti luce quadam pulcherrime resplendebat, sed postquam extinctus erat, per dorsum quidem & latera in nigredinem sensim mutabatur, sub ventre vero perpetuo albicabat: ut hinc liqueat, non vidisse viventem, qui eum descripsere autores, utpote qui omnes nigrum in dorso, nemo candidum prodidere.

III. *Per medium dorsi linea* excurrebat, in qua cutis sursum utrinque ascendens coivisse videbatur: per eam enim, pisce putrescente, tabus transsudabat. Ipsa cutis nuda, glabra squamis destituta, non admodum densa, cuticula tenerrima vestiebatur.

IV. *Pinnas* habebat omnino sex: proxime ad caput in anteriore parte duas, utrinque unam, qua se antrorsum movebat, in dorso, antica parte, tertiam erectam ad perpendiculum ; hæ satis amplæ , latior tamen dorsalis. Sequitur quarta sub ventre, in medio ejus , recta deorsum tendens, minor. Quinta & sexta haut longe à cauda aberant, exiles admodum, una itidem in dorso, vix pollices duos alta, altera è regione subtus. Omnes, exceptis binis postremis figura erant triangulæ, sed versus postica in arcum sinuatæ, lacinioſæ, læves & robustæ, alarum in modum, quibus volucres instructæ sunt, latioresque ubi ad corpus adhærebant , angustæ ad finem. Corrigendæ igitur omnes auctorum figuræ,quæ neq; positum naturæ convenientem, neque effigiem, nec cujusvis ad invicem magnitudinem repræsentant ex vero. Ego omnia ex animali ante oculos posito ad vivum delineari curavi, ut fides esse possit.

V. Constabant autem pinnæ ex calamis osseis, scriptoriis simillimis, & in principio rotundis, amplissimis, robustissimis inæquali tum crassitie tum longitudine: nonnullæ dimidium digitum ad exortum æquabant, sed sensim minuebantur, perinde ut pennæ in avium alis. In exortu duplici ordine prodibant capitulis osseis insignibus basin latam constituentes, sed mox coibant in unum corpus. Capitula ista ossea etiam in medio arcte connectebantur, ubi profundam satis cavitatem, seu γλήνην constituebant. Binæ laterales robustissimo ossi, quod, ad latera scapularum locum occupabat, mira articulatione innectebantur, quod itidem in utroque latere capitula ostendebat ossea, in medio vero processum longius productum, itidemque rotundum, quem cavitas illa, quam in coitione constituebant pinnæ, excipiebat, ne excidere possent, & ita cum his articulatione, quæ Gynglimos medicis appellatur, coibant. Eodem modo maxima illa, quæ in dorso eminebat, spinæ dorsali innectebatur Calami, intercedentibus carnosis musculis eo modo dispositis, quo in quadrupedibus & homine intercostales, fibris scilicet oblique descendentibus, per interstitia copulabantur. Iidem prout altius exsurgebant, in latitudinem se expandebant magis, ubi medium superaverant, etiam bifidi facti & invicem digressi, circa finem plumarum effigie latissime se explicantes, quarum in margine laciniæ constituebantur, de quibus antea iudicavimus. Cute vero etiam obtectæ erant pinnæ, qua eo modo, quo in homine metacarpus, musculi inter ossei, ossaque ipsa continebantur.

VI. In illa, quæ ex dorsi summo prominebat, & quæ reliquas amplitudine superabat, duodecim in totum pennas ejusmodi osseas erat conspicua: prima unciam longitudine superabat, altera palmum, tertia spithama longior, quarta & quinta eam longe excedebant, inde sensim minutiores, donec ultima ad palmum denuo reduceretur. Postrema tamen illa dorsi, omnium minima, quæ ad caudam proxime accedebat, longe aliam formam induerat: Neque enim plumosis illis laciniis gaudebat, & ossi, quod scapulæ exilis figuram habebat, exiguo

guo, ex obliquo nectebatur, & veluti ſuper impoſita inhærebat, quatuor oſſibus, coſtarum exactiſſimarum æmulis conſtans, latis ſcilicet non teretibus; quorum interſtitia ſola implebat cutis, ea prorſus ratione, qua anſerini pedes conformati ſunt.

VII. Erant autem pinnæ fortiſſimis muſculis proviſæ, qui omnes in ipſo poſiti corpore ad latera in ſingulos calamos tendines mittebant craſſos & robuſtos, latosque: duplex vero anticis iis, quæ proxime à capite erant ſitæ, muſculus erat, internus unus, adducens pinnam & piſcem promovens; externus alter, extendens pinnas atque abducens. At in dorſo & ventre æque quidem duplices, ſed pinnam non contrahebant ad promovendum, ſed ad utrumque latus inclinabant, quo vaſtum animal celerius verteretur.

VIII. *Cauda* ſequitur, quæ ex plurimis calamis ac pinnis conſtabat, duplici itidem eorum ordine, ad oſſis cujusdam latera applicato. In duas partes dividebatur, unam inferiorem, deſcendentem, longius productam, alteram ſuperiorem, altius eminentem. Os illud, à quo procedebant calami, per medium ubi inferior pars à ſuperiore diremta, ſeparabatur, profunde crenatum erat, idque bina à latere alia teretia, digitum minimum craſſa, quibus utroque latere calami incumbebant, ſubibant. Ipſi calami in principio exiles, nec calamum anſerinum craſſitie æquantes, mox in progreſſu aucti, ut longe eum ſuperarent, verſus finem vero iterum imminutæ: donec plumarum formam ſumerent. His nulli muſculi erant interpoſiti, ſed immediate inter ſe cohærebant verſus medium præſertim. Decreſcebant vero & hi, cum ſuperioris tum inferioris ordinis, ut tota cauda figura lunam falcatam ſed imperfectam referret: quod in ſuperiori loco poſiti eſſent breviores. Factum id exiſtimandum eſt non ſine ſingulari naturæ providentia: ſic enim velocius longe in dextram lævamque flectere, & celerius piſcem vertere, quam ſi plena latitudine triangula extitiſſet cauda, in poteſtate eſt, cum minorem aquæ copiam ſibi obſtantem habeat. Quæ eadem cauſa eſt, cur & pinnæ ſinuatæ in circuli ſegmentum exſculptæ cernuntur.

IX. Detracta cute immanis copia pinguedinis patebat, candidissimæ ac mollis , ut leniſſimo calore liqueſceret. Hac totum corpus perfuſum & involutum erat undique, ac veluti in illa ſepultum , ita ut ea ſublata vix dimidium remaneret priſcæ molis : nam in dorſo ſpiſſitudo ejus duorum pollicum & ultra; paulo minor per latera ipſumque ventrem. Hanc tam copioſam cum ſpem faceret, excoctam ingentem copiam liquaminis, quo ad lucernas uti ſolent, ſuppeditaturam, poſtquam in ahenum conjecta eſt ad ignem liquefacta, vix tres vel quatuor libras nacti ſumus, adeoque oleum, quod dicitur, & operam perdidimus, omni materia in membranas fatiſcente. Hæc in externis notavimus.

III. Internæ Partes.

Utinam vero interna etiam pari diligentia contemplari licuiſſet: ſed induſtriam noſtram temporis æſtivi ratio, fœtor, & in quam diffluebant omnia, putredo cohibuit, ut deproperare opus, præſertim poſt ſecundam noctem cogeremur : interim hæc deprehendere fuit non omnino contemnenda.

I. Juxta radices linguæ, poſt corpora cartilaginea ad retinendam prædam data, gula patebat, brevi ſed ampla in principio ad ventriculum via : cui imminebant bina corpora digiti magnitudine & figura , eminentiis parvis aſpera, quæ jam deglutitis & e ventriculo regredi tentantibus animalibus opponebantur. His è latere adſtabant & ex ore pendebant alia ſimilia quidem ſed minora, ejusdem ſubſtantiæ & utilitatis.

II. Ipſe ventriculus vix quatuor digitorum erat latitudine, ſed longitudine pedis menſuram implebat, ſacculi figuram conſtituens : recubabat autem in latere ſiniſtro, dextrum hepate ſibi vendicante. Ex membrana triplici componebatur, prima tenuiſſima & prorſus hinc pellucida, externa : altera muſculoſa ſatis craſſa, fibris in longitudinem per eum pergentibus, nam cibus digeſtus, ut mox dicam , ſurſum expellendus erat. Tertia nervea erat, cui glandulæ magnæ ſatis & conſpicuæ inhærebant, difformes & inter ſe diſſimiles , anguloſæ eamque totam occupabant,

pabant, ex quibus liquor ſtillabat; fermenti vicem ſubiens. Cum enim nec ſalivales glandulæ, nec ingluvies in piſce invenirent locum, quæ terreſtribus animalibus in collo & pone aures, alitibus in dicta ingluvie reperiuntur, huic in ſtomacho erant collocanda.

III. Aperto ſtomacho cylus aquoſus & tenuis ſe offerebat, cui aliquot piſciculorum ſpinæ, integræ a capite ad caudam, digitum & ſesquidigitum longæ innatabant: nec enim poterant vel multæ vel magnæ ineſſe in parvo adeo loco, qui vix longior iſtis paulo majores non admittebat. Itaque robuſtam hanc beluam & fortem tam exiguo cibo victitare, mirum profecto videbatur.

IV. At hoc multo magis illud, quod non niſi unum erat ventriculo orificium, per quod & ingredi in illum cibus & digeſtus egredi cogebatur. Inteſtinum enim proxime ad gulam initium capiebat, quo excipiebatur.

V. Sed quod omnem ſuperabat fidem, & expectationem noſtram cum ſtupore fallebat, haut longe ab hoc initio, digitorum circiter trium latitudine idem inteſtinum hiabat in hepar, amploque ductu ei innexum erat, qui ductus in alios multos diremtus haut aliter ac in terreſtribus quadrupedibus, homineque, vena cava vel etiam portarum in ejusdem lobos diſpenſabatur. Quod ſi olim innotuiſſet, cum maximum hoc viſcus ſanguinem elaborare Galeno auctore, crederetur, & præeunte Harveo, à recentioribus ea impugnaretur ſententia, hui! quantum ex eo argumentum, quæ arma Galenicæ cohorti petere licuiſſet, cum ne nunc quidem, quid ei faciam & quem adſignem uſum tam mirifico à via recta diverticulo, ſatis reperiam: niſi quis eſſe hunc ductum Choledochum, quia tam amplo hiatu in inteſtinum aperiretur, exiſtimandum putet: cujus tamen aſſerti nullam rationem video. Neque credibile, tantam bilis copiam in hoc piſce ex ſanguine non nimis multo prodituram. Reliqua inteſtini pars ad latus uno continuo ductu deſcendens, craſſius redditum, mox rurſum contrahebatur, & in exiliſſimum exitum ſub cauda deſinebat, ubi tam arctum erat, ut calamum ſcriptorium vix admitteret.

VI. Cir-

VI. Circa finem ejus ad latus utrumque duo conſpiciebantur ſacculi, ſpithamam fere longi, craſſi & pleni, qui diſſecti illum ruminantium animalium ventriculum referebant, qui tertius ordine, Reticulum dicitur ſtrias in cellulas collectas habens mirabili plexu. Tota autem glandulis referta reperiebantur, quæ compreſſæ materiam candidam, craſſam ſemini æmulam profundebant. Hujus quis uſus ſit, quæ ratio, dicere haut poſſum: Inſignem eſſe oportet, cum tanta utriusque ſit moles, tamque ſuci plena conſpiciantur.

VII. Pro meſenterio erat membrana tenuis, qua inteſtinum adhærebat dorſo. Pancreas, lien, renes protenus deerant, nec eorum comparebat nobis veſtigium. Et de renibus quidem ſatis compertum eſt, univerſum piſcium genus iis carere. Pancreas inteſtino adhærere aſſolet, lien vero perexiguus eſſe, & vix conſpicuus. An ergo nos fefellerit in his feſtinatio, & viſcerum obſcurſus ſitus, non ſatis ſum certus. Vena cava ad dextrum latus ſpinæ adjacebat. Erat enim vertebrarum dorſalium ordo etiam intus ſpinis inſtructus, quod nusquam ne in balænis quidem obſervatur. His ergo adjacens, ſub hepate tendebat cum arteria magna in cor.

VIII. *Cor*, quod omnibus itidem commune eſt, proxime ad gulam in oris fundo ſpectabatur. Cum enim & pectore & collo piſces careant, quia nec pulmonibus gaudent nec voce, adeoque etiam ejus inſtrumento, larynge atque aerea fiſtula, pulmonum vero loco ſint bronchiæ, alibi collocari nec poterat nec debebat, unde & ductus ex eo ſanguinei ad bronchias abeunt ſingulas, quo ſanguis influat in has refluatque. Habebat autem cor mucronem ſuum ad os ſpectantem, non inferius: de quibus omnibus jam dudum monuit Ariſtoteles c. l. cap. 17.

IX. In dextro latere, ut modo memoravimus, hepar ſitum erat maximum viſcus, dimidium fere totius reliqui corporis implens, quod veſiculare videbatur, & pulmonis ſpeciem præbebat. Molliſſimum vero & inter digitos leviter compreſſum diffluens in ſpadicei coloris tabum, ita ut digne examinari non potuerit,

potuerit, pariter ac connexio cum veſicula fellea, quæ non in ipſo, ſed ſejuncta, ut recte Ariſtoteles citato loco obſervavit; proxime tamen ad illud inveniebatur, in inteſtinum patens, viridi bile turgida. Erat enim in eo a nobis peccatum, quod, cum nimis diu in externorum contemplatione eſſemus occupati, interim interna corrupta eſſent, cum viſcera primo loco fuiſſent ſcrutanda.

X. Cum autem huc illucque verteremus cadaver, parte inferiore in dorſo collocati piſcis aliud corpus pulcherrimum ſe offerebat, glandulis innumeris ova formicarum prope æquantibus, oblongis, candidis conſtans, quod pro parte hepatis tum à nobis habebatur: repebat autem illic ſub hepate inteſtinum tenue, ut vix digitum admitteret: Id variis flexibus ſerpentinis ſuper venam cavam decurrens, tendebat ad medium ventris, ubi ante pinnam inferiorem primam & majorem exitum, meſenterio ſuo, ſed vix notatu digno, connexum. Talis erat decurſus.

Hoc inquam pro parte hepatis tum habitum fuit. At poſtea omnia curatius expendentibus, cum id inteſtinulum ſive potius ductus in foramen ſub medio ventre deſinere deprehenderetur, quod in piſce adhuc integro, priusquam culter admoveretur, obſervabatur, & nullum aliud membrum genitale appareret, glandulæ vero candicantes formicarum ovis ſimiles ſub hepate comparerent, placuit tandem, hoc eſſe ovarium & inteſtinum ſerpentinis flexibus ad foramen tendens, ductum ejus, qui ut in Gallinis longior & flexuoſus, tandem ovula iſta glandiformia ex orificio extremo dimitteret, à mare fœcundanda: Niſi tamen, cum excrementis alvi aliud ſub cauda deſtinatum eſſet, piſcis vulvam hanc eſſe quis arbitretur, quæ & omittendis oculis, & coitus cuidam ſpeciei, atque affrictioni maris, ſeminique ejus recipiendo eſſet deſtinatum, ne in tanta maris vaſtitate, ſi fortuito maris occurſui & incerto loco exponantur, ab eo non reperta, intereant.

XI. Unum ſupereſt, quod in inferiore corporis, verſus anum ſeſe offerebat oblongum, quindecim pollicum latitudine, utrin-

que desinens in acumen, dorso adnatum, flatu turgidum, nusquam apertum. *Vesica* erat, reliquis piscibus, fluviatilibus salem, communis, aerem continens. Quam cum extractam, foramine exiguo inciso inflarem, incredibile est, quantum nos omnes oblectamenti, quantum lætitiæ attulerit. Conspiciebantur enim per omnem ejus membranam ex suis ramis se diffundentes infinitæ venulæ & arteriolæ, incomparabili elegantia inter se ludentes, coeuntes & rursum abscendentes usque ad minimos furculos, capillaribus minores & graciliores, cui nihil simile in omni vita videre mihi contigerit, nec ullo artificio melius in conspectum dari posse vasorum minima, existimem, tota enim nuda per candidissimam vesicæ membranam tendebant ad extremam exilitatem, purpura sua pulcherrime distincta.. Sed momentaneum erat hoc gaudium : Cum enim paulo fortius inflare juberem, ut ligatura excepto incluso aere, eam siccarem, magno meo dolore rupta est, & cum aquæ immergere & eluere leviter juberem, effuso sanguine minima vasorum prope omnia evanuere: tamen cum vestigia quædam servarentur, immisso asserculo superinductam aliquam partem in scriniis asservo, ut etiamnum intueri cupientibus liceat. His ita perspectis, cum fœtore intolerabili omnia putrescerent, finis scrutinio huic factus. Quæ autem veluti spolia pereuntis eripere corruptelæ licuit, cornu (sive gladium dicas,) cum cranio, pinnas item & caudam, in rei memoriam inter rariora mea reposita sunt.

IV. Genus Piscis & ulterior Contemplatio, aliorumque Errores.

I. Supereſt ut perſpectis ejus partibus & ſtructura, ad quod genus piſcium pertineat, quæve hic præ ceteris digna ſint quæ notentur, ad animum revocemus. Itaque de marinis eſſe piſcibus, quos Græci Θαλασσίες vocavere, obvium eſt Cum autem Θαλάσσιοι vel πελάγιοι, ſint, qui in profundo ſummi maris procul a littoribus ver-

verſantur, vel Αἰγιαλιόδεις, qui littora terræque propinquas ſedes colunt, in mare ſummum raro excurrentes; vel denique πετρώιοι, ſaxatiles, qui ad rupes & ſcopulos degunt, hunc ex pelagiis eſſe cognoſcitur. Tametſi enim in portu ſit captus, hoc tamen inter ea numerandum, quæ raro eveniunt, nec niſi cum vento ac tempeſtatibus, vel ex errore, vel eſcam ſecuti, deferuntur ad littora: cæteroquin vero in alto mari vivere, vel armatura prodit, quæ circum litora ludenti non modo foret inutilis, ſed etiam perniciosa. Nam nec illic inveniret tanto gladio digna, cum quibus pugnam committeret, & tam longe extantem moraretur potius, illique obeſſet. Porro cum pelagii vel ex cetaceo genere ſint vel veri piſces, hic ex poſtrema claſſe erit cenſendus. Habet enim & branchias & veſicam intus aeream, renibusque, liene, coſtis & pulmonibus caret, nec animal intra ſe generat, ſed ova, quæ nulli cetaceorum conveniunt: etſi cum illis alia ſint ipſi communia: quod oſſa habeat, quod pingueſcat admodum, quod corio tegatur, verum hæc omnia potius magnitudini ejus quam generis naturæ debentur.

II. Cum vero diverſi, ut terrarum, ſic & marium tractus, non omnes omnia piſcium genera alant, hunc in Oceano ſeptentrionali maxime reperiri, ejusque eſſe incolam conſtat, ſed in noſtrum etiam Balticum mare penetrat, unde *Joh. Thom. Freygius in Phyſicis quæſtionibus in Dania notiſſimum eſſe*, ait: qua fide, neſcio, non equidem ita eſſe audivi unquam: ſi non meliori id aſſerat fide, quam ſequentia, ſubleſta ea erit. Pergit enim: *Longum roſtrum habere ſimile roſtro ciconiæ ſeu gladiolo, cætera non multo diſſimilem eſſe Lucio:* quod utrumque valde ineptum eſſe, ex ſuperioribus diſcitur, quin per omnia Lucio diſſimilis. Nam caput longum Lucio, os porrectum dentibus inſtructum, corpus altitudine latitudinem vincente: huic caput brevius, os pro reliquarum partium magnitudine parvum, edentulum, corpus rotundum & verſus caudam non ad perpendiculum erectum, ſed compreſſum, latiusque quam altius: ne de pinguedine, de carne, aliisque internis dicam, quibus omnibus (viſcera excipio)

cetaceis propius accedit. Ceterum oppido est mirum, quod *Gesnerus* habet *in Nomenclatore aquatilium animantium. Ælianus Xiphiam inter Istri pisces numerat: in quo flumine hodieque hunc piscem capi circa Gomorrham (Komorram) oppidum supra Budam, raro tamen & parvum vix tribus dodrantibus longiorem, testis quidam oculatus mihi affirmavit.* Mirum inquam hoc, si verum, sed vereor, ne & Ælianus & Gesnerus ab imperitis decepti sint: Qui enim Pelagius piscis, aquæ salsæ adsuetus assurgat per dulcem, & in flumine vivat? Itaque alium esse, necessum est à nostro diversum. Quod satis etiam indicat magnitudo, quicquid de reliquis fiat. Ælianus certe non videtur nostrum Xiphiam descripsisse, sed alium, qui itidem aliquando Xiphias quibusdam audit, est vero seria seu serra, cujus cornu utrinque dentatum est, & in Euxino nonnumquam apparet, adeoque ad Istri os, capitur.

III. *Jonstonus* ubi eum describit, *corium manu versus caudam ducta, leve esse refert, os versus asperum.* Quod concedi potest: *squamas insuper sub cute latere plurimas*; quod non potest. Neque enim experientiæ ullo modo, nec naturæ providentiæ in puto esse conveniens. Sed Jonstonum exiguam admodum habuisse piscis notitiam, ex sequentibus facile perspicitur: ubi pergit: *Adeps in dorso suis modo residet*; cum utrique animali non in dorso tantum, sed in ventre etiam deprehendatur, totumque corpus involvat. Subjicit: *utraque maxilla rostrata est, superior magis ossea, durior, aliquando bicubitalis: inferior brevior & triangularis.* Quæ cuncta vacillant, non enim rostrata, neque inferior maxilla, neque superior est. Hæc quippe longissimo ensiformi osse, non rostro gaudet: altera triangularis quidem & brevior, minime vero rostrata, ut ex nostra figura patet: Ipse potius rostratum quam gladiatum piscem exhibet, quippe quem ex hac descriptione sua, unde petit, pingi curavit, non ex vero. Nec magis magnitudo gladii respondet veritati: Quæ in Jonstoni figura & textu *se habet ut tria ad decem*, cum ensis dimidium totius piscis æquet. *Gladium ferro acutio-*

acutiorem esse, non vidi, abruptum enim in extremo aliquid videbatur : sed extincto pisce corrumpi, perperam eum credidisse, ultra triennium à me conservatus gladius testatur, æque ac ille alter Wormii.

IV. Quæ porro in Jonstono ex Appiano & aliis referuntur, *quod victitet piscibus, quos rostri incursu interficiat, nec prius comedat, quam transfixerit : Caniculæ exortu ab animalculo aranei magnitudine divexetur, ita ut præ dolore in naves sæpe exsiliat:* (quod ex *Plinio* didicit *L. IX. cap.* 15.) *balena conspecta gladium in terram abscondat, ita exhorrescere, sicque infixo capite se continere: Græcanicum sermonem ab Italico internoscere, illum minime reformidare, ad hunc diffugere*, fabulis simillima sunt. Denique in Indico mari validissimas Lusitanorum naves ad sesquipalmum nonnunquam perforare, quod ait, tum credam, cum in Indico mari eum deprehensum ostenditur. Naves incursu suo perforare & rupto gladio dilabi, certum : verum in Indico mari alterum genus, seriam reperiri auctores plurimi literis mandant, de hoc nostro qui id dixerit, legi neminem, tantoque magis dubito, cum tam cito aliud commentum hoc apud Jonstonum sequatur, subjungit enim : Visus in mediterraneo juxta navim natantem (natans) medium rostro discidisse. Qui enim id posset? Si autem factum, in serram piscem rectius convenire apparet.

V. Ut autem in Jonstono tot tamque extant errores, in eo tamen excusandus est, quod non de suo hæc, sed quæ tradit, omnia, ex aliorum, ex quibus librum suum compilavit, fide refert, ut ipse in præfatione lectorem admonet, suosque auctores notavit ad marginem. Majora alii commisere peccata, qui tanquam viderint, falsa recensent, multoque periculosius decipiunt, haut alio fidei proniore lapsu, quam ubi falsæ rei gravis auctor existit. Ceterum optime hic se gessit *Olaus Wormius*, qui pauca de eo refert, sed quæ omnia verissima deprehendimus.

LUMPUS ANGLORUM PISCIS.

Anno MDCCIV. allatus ad me eſt piſcis in mari noſtro captus, quem etiam antea aliquoties videram, quemque noſtrates vocant einen See-Haſen / h. e. Leporem marinum, quod ore & vultu Leporem quodammodo referat. Ab antiquis obſervatus non eſt, fortaſſe quia ſeptentrionali Oceano proprius, mox autem ex collatione figuræ, quam *Jonſtonus* exhibet, *Tab. XIII. num.* 1. conſtitit, eſſe eum, quem ille Lumpum Anglorum nominat. Nimirum in Anglia primum, ut videtur, innotuit, qui à figura eum nominarunt *A Lump*, quod verbum maſſam inconditam notare, recte monet, eſt enim hoc ipſum Germanicum noſtrum Klump / abjecto ab Anglis euphoniæ gratia K. quod Angli molliore magisq; effœminata verborum pronunciatione delectati, ante L. non ferunt. Magnitudine erat pedem circiter longus, palmum cum dimidio altus, latus palmum & ad triangulares quodammodo accedens. Colore totus niger, cute, non ſquamis obtectus, aſpera illa & inæquali, Elephantis cuti ſimili, duris aculeis hinc inde munitus erat, quibus inſidiantibus & ſui cupidis obſiſtere & ab eorum inſultibus tutus eſſe poſſet. Os in parte inferna rotundum, apertum: lingua præcraſſa, ſubtus adnata: cetera externa cum figura Jonſtoni conſentiebant, niſi quod truci facie & monſtruoſa, non placida & Caracis Germanorum (Karauſche / ſic enim Geſnerus poſt Dubravium nominavit piſcem & antiquis ignoratum, & aliis, præter Germanos, nationibus incognitum) ſimili. Dorſum etiam brevius, & magis ad poſtica acuminatum.

Sub ventre molli & candido, longe à cauda, & prope in medio, in annulum collatum turgidumque *foramen*, quod, ut in oviparis prope omnibus, etiam aviculis, obtinet, excrementis idemque & ovis exitum præbebat.

Aperto ventre ſacculi quatuor ovis pleni, myriades eorum exponebant oculis. *Ovarium* hoc ergo erat, ſuper quod hepar pallide flaveſcens; inteſtina vero ſubtus erant poſita: veſicula fellea nonnihil ſeparata ab hepate, haut longe tamen inde diſſidebat.

Trium digitorum latitudinem *hepar* æquabat. Ovarium etiam trium digitorum latitudine adeoque pariter ac in Xiphia collatione ad ipsam piscis magnitudinem peramplum erat. Ea quoque ratio eadem, quod omnia viscera ad dorsum arctissime nexa, ex eo pendebant.

Ventriculus hepar obtegebat totum. Is erat duplex: cui statim æsophagus ex ore hians immittebat cibum: ex horum uno in alterum, si non fallebat oculum, in superiore parte chylus transmigrabat. Erat enim & duplex in æsophagum ex ore via, quorum, an in singulos singula desineret ventriculos, non potui perspicere, cum non nisi exemtis iis id animadversum fuerit.

Horum alteri infiniti sacculi parvi adjacebant, qui tot intestinula mihi videbantur. Non tamen in ipsum ventriculum sed intestinum, quod eodem in loco decurrebat, videbatur inde aditus patere. An ex iis chylus collectus, per quendam occultum canalem (ductus enim thoracicus, cum thorace piscis careret, aderat nullus) transmittatur ad cor, dici non potest.

Cor perexiguum, nucem avellanam vix superabat; more consueto proximum ori in medio hepatis & ventriculorum erat collocatum, uno thalamo unaque auricula in arteriam suam patens.

Totum hinc corpus & omnia viscera albicabant, quippe nullo aut pauco sanguine perfusa, excepto liene, qui ad latus intestini, descendebat (quod aliis etiam fluviatilibus quibusdam familiare est,) ut cor, ruberrimo colore erat.

Erat autem *Lien* longus digitos transversos tres, latus plus minus dimidio, altero fine quasi præscissa parte, in rectamque lineam desinens, duosque angulos constituens rectos; altero rotundus, & acutior.

Vesica aerea, qua alii pisces non carent, nulla apparebat; an cum intestinis, quæ exemta erant, ex illa rapta fuerit, incertus sum: non tamen videtur factum, sed ea, ut opinor, & sua natura carebat.

Bronchiis, non plumonibus instructus erat, rubentibus à sanguine.

Edulem

Edulem Angli habent, Maſſarias etiam in magnis deliciis reputari teſtatur, Italus. Mihi ita viſum non eſt, & usquo valde diſplicuit: Caro enim mollis, tremula, pellucida & redolens cete pinguedinem.

Pelagium & hunc eſſe, nihil eſt, quod dubitemus. Hic enim non niſi rarius comparet. Dignum vero notatu eſt, quod cum Xiphia piſce, ſive hepatis ſpectes amplitudinem, ſive veſiculæ biliariæ ab eo diſtantiam, & quod ventriculus pyloro deſtituitur, & quod regumentum ipſi coriaceum eſt, exacte conveniat: ut unam eandemque naturam etiam reliquorum Pelagiorum eſſe, admodum hinc vero ſimile videatur, eaque adeo ratione in compendium mitti naturæ poſſet cognitio: etſi in eo hic à Xiphia diverſus ſit, quod veſica aerea careat.

Raro videtur occurrere hic piſcis, hinc apud auctores ejus mentio fit vel nulla, vel non admodum frequens. Non dubito tamenExcellentiſſimum ſcriptorem *Joh. Rajum*, cum & ipſe Anglus ſit, ejus hiſtoriam diligentius eſſe perſecutum: ad eum ergo lectorem, plura ſcire cupientem remitto.

OPHIDION.

I. Præter hunc Lumpum & alius mihi anno 1697. die 4. Aug. à piſcatoribus oblatus eſt piſcis, qui non minus rarus videtur, noſtri quidem æquoris hoſpes, quapropter non alibi aptius de eo dicetur. Parvus eſt & hic, nec amplitudine nec craſſitie inſignis, verum gracilis & tener, nihil horridi & inſoliti oſtendens, ut fluviatilis videri poſſet. Ejus figuram in *Fonſtono* facile inveni, qui *eum Ophidii Pliniani* nomine Tab. V. n. 2 propoſuit. Deſumſit autem eam ex *Rondeletio*, ſed multo elegantiorem exactiusque depinxit, ut non in alio facile animalium aut piſcium genere exprimendo felicius ſit verſatus: usque adeo ut longitudo etiam totusque ambitus figuræ iſti accurate reſpondeat, ut in eo ſuperaverit ipſum auctorem ſuum. Id unum deſideratur, quod in ſupremo piſcis dorſo extantes maculas undecim neglexit; cum ſint eximiæ, ex fuſco nigricantes, quadratæ, æquali diſtantia, magnitudine & figura. Neque id tamen imputandum

ei vi-

ei videtur, quoniam & ipſe *Rondeletius* neque eas pingit, neque in deſcriptione piſcis eorum facit mentionem: quod mirum eſt, & prope dubium me reddidit, cum ſint maxime conſpicuæ. Earum vero loco maculas exiles rotundas & oblongas per totum corpus quaſi diſſeminatas exhibet, cum binis lineis à capite ad caudam per latera productis, quæ eædem etiam in Congro ab eo deſcripto apparent, ut hinc colligi jure poſſit, Rondeletii & Jonſtoni Ophidion diverſiſſima eſſe.

II. *Ophidion* dici ab ὄφις quaſi parvum ſerpentem, Rondeletius monet. Quod ſi verum eſt, certe Ophidion noſter eſſe non poteſt, nihil enim quicquam cum ſerpente habet commune, ut vel ipſa figura ſatis indicat. Ophidion etiam Plinii eſſe non alia ratione credi poſtulat, quam quod Congro ſimilem eſſe Plinius dixerat: In incerto itaque adhuc res eſt. Silendum præterea non eſt, falſo à Rondeletio Plinii locum adferri libri nempe III. capita 9. & 11. ubi nihil de piſcibus extat: Fruſtra etiam Lib. IX. ubi de his ex inſtituto agit Plinius, Ophidion quæſivi, nec XXXI. & XXXII. libro invenio loca iſta: extare tamen alicubi non dubito, ubi incidenter & per tranſitum de eo docet. *

III. Duplex ejus recenſet genus: unum barbatum, quod cirros carnoſos inſtar barbæ è maxilla inferiore propendentes habeat; imberbe alterum. Hoc noſtrum imberbe erat, colore flavum adeoque alterius generis.

IV. Caput ei parvum eſt, cutis lævis, non ſquamoſa, pinna per ventrem totum longiſſima ex piloſis quaſi aculeis conſtans, quæ à cauda per dorſi dimidium reflectitur, ibique aſſequitur finem.

V. Non aperui hunc piſcem, quod aere exſiccatum interiora eum aſſervare animum induxeram. Interiora ergo ex Jonſtono (de quo tamen unde habeat non dixerim, multo minus ipſum vidiſſe crediderim) enarrabo: linguam habet parvam, acutam, Cor trigonum, ruberrimum, Hepar ad ſiniſtrum latus porrectum, ſtomachum oblongum, pylorum permultis apophyſibus circumfuſum, à quo tres inteſtinorum revolutiones ad anum

* Ophidii fit mentio L. XXXII. capp. 35. & 53.

pertingunt, lienem rubrum & oblongum, cætera ad ipsos Aselos accedit. Hæc Jonstonius. Postrema vero haut dubie erronea sunt. Quid enim huic pisci cum Asellis? Et vero admonere poterat eum Rondeletius de hoc, qui dudum ex Asellorum genere eum rejecerat. *Ophidion*, ajens, *carne est candida, dura, veluti draco. Inepte fecit, qui Ophidion inter asellos numeravit, cum plane iis dissimilis sit: corporis habitu, capite, pinnis, atque cum longis plane connumerandus.* Itaque ex alio quodam exscripsisse (Bellonio forte) Jonstonum hæc suspicari par est, quem his verbis notavit Rondeletius.

Hæc habui: quæ, si lectu digna tibi videbuntur, operæ pretium me fecisse arbitrabor; sin minus, saltim placendi studio, quo Te demereri volui, locum dabis. Interim Te valere, &, nisi aliter censeas, Rangiferi etiam cervi anatomen à me præterito anno administratam deinceps expectare jubeo. Tantum.

JOANNIS BAPTISTÆ DE WENCKH,
Com. Palatin. Cæsar. Inclytorum Statuum
Ducatus Styriæ Medici & Physici Græcensis ordinarii, Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Nat. Curios.
Adjuncti,
DISSERTATIO PHYSICA
De
Tempore, quo anima rationalis humano corpori infundatur.

CUm fides Christiana nos ad credendum adstringat, quod anima rationalis, quæ immortalis naturæ est, immediatè à Deo procedat, quique eam ex nihili abysso producens, eo momento quo illam creat, pariter humanæ creaturæ infundit, infundendoque creet, cum autem nihil certi tam à Physicis, quam Theologis circa tempus, quo infundatur, determinetur; quid in hac materiâ ab Authoribus primi nominis sentiatur, hic breviter (nihil absolute determinando) producere intendo; solum referam, quas illi rationes pro uno aut altero temporis instanti, juxta

varias

varias genituræ humanæ disposítiones adducunt: relinquendo lectoris beneplacito illam amplectendi opinionem, quæ ei ut probabilior arriserit: meosque sensus proprios pro virili adjungam.

Prima sententia est, quod tunc infundatur, dum fœtus in masculo tertium suæ generationis mensem assecutus fuerit, in fœmina vero quartum.

Ad quod probandum, notandum est: quod totius temporis decursus, quo fœtus in matris utero detinetur, in quatuor temporum distincta intervalla dividatur: videlicet in Conceptionem, Conformationem, Motum & Partum; ita quidem inter se distincta, ut tempus motus ferme attingat triplum intervallum conformationis, tempus autem partûs, duplum spatium motûs fœtus in utero.

Totum opus conformationis, rursum dividitur in quatuor temporum spatia, juxta quæ materia in utero contenta diversimode elaborata, atque efformata vocatur Genitura aut Coagulum, Embryo & Fœtus: & dum partium conformatio peracta est, tunc veraciter vocatur fœtus, qui in masculo trigesimo die, in fœmella autem quadragesimo secundo peragitur; cujus calor cum sit debilior, & semen, quo generatur, frigidius ac aquosius, plus temporis indiget ad configurationem partium spermaticarum peragendam: Quâ peractâ, superveniente ac affluente sanguine chylosо à matre, tunc vacua spacia musculis, fibris, aliasque partes carne replet, quæ suam perfectam configurationem prius non assequuntur, quam circa tempus motus, quod fit circa tertium mensem à conceptione in masculis, & in fœmellis circa quartum: Quo tempore secunda conformatio finiri solet, & tunc tota organisatio est peracta.

In principio formationis humana creatura tantum vita vegetativa vivit: qua mediante illius membra per alterationem & conformationem materiæ producuntur: partes illæ corporeæ, seu potius semen virile nutriuntur semine fœmineo in ovulo fœcundato contento, tanquam magis aquoso ac minus activo, uti

ſperma Galli gallinacei, ovi materiâ: ſuum autem incrementum non ſolum per matricis adtractionem, quæ ſemen illud avide complectitur, quove illa ſupra modum turgeſcit, ſed etiam mediante aliquo principio interno ac vitali, quod aliud non eſt, quam anima vegetativa, omni fœcundo ſemini inſita, quæ eadem eſt, quam, uti Phyſici vocant, facultas formatrix.

Quia vero anima vegetativa aut ſenſitiva tantum eſt aliquod accidens, videlicet quædam harmonia quatuor primarum, qualitatum, idcirco facile cedunt locum ſupervenienti animæ rationali, quod plures exiſtimant fieri tunc, dum organizatio ac omnium partium conformatio eſt peracta, quod contingere ſolet tertio, aut quarto menſe, uti ſupra dictum eſt: ante quod temporis ſpatium, cum corpus necdum ſit organizatum, proinde fit, ut ſit incapax ad recipiendam animam rationalem, quæ eſt actus corporis organizati: quæ conditio maxime neceſſaria eſt ad ipſius introductionem, ac receptionem, cum illa creata ſit ad corpus animandum ac inhabitandum, à quo divortium facit, dum per aliquam notabilem ſolutionem continuationis organa ſunt deſtructa ac abolita, quod ſæpe fit absque ulla partium ſimilarium temperamenti læſione ac deſtructione; per conſequens neceſſario non requiritur ad animæ infuſionem, ſic nec totalis ac conveniens diſpoſitio organorum.

Confirmatur ulterius hæc opinio: Quamvis anima rationalis eminentiori ſit prædita natura, quam aliorum animalium: nihilominus quia creata eſt cum relatione ſeu habitudine ad corpus, nequit in illud infundi, niſi prius omninò fuerit inſtructum illis diſpoſitionibus, quæ ad illam recipiendam ſunt neceſſariæ: ſicuti pariter nullæ formæ naturales in ullo ſubjecto ſuſcipi poſſunt, niſi prius illud omnibus diſpoſitionibus requiſitis ad illarum ſuſceptionem fuerit inſtructum. Cum autem anima ſit omnium actionum principium, proinde organis & inſtrumentis indiget, per quæ illas exerat: Et quanto anima rationalis ſublimior ac eminentior eſt cæteris, tanto majori indiget organorum apparatu, quam ſenſitiva, huic autem plura requiruntur, quam animæ vegeta-

getativæ, quæ ſolum quandam primarum qualitatum requirit commixtionem, ſicut econtra ſenſitiva præter hanc qualitatum harmoniam, deſuper quodam requirit temperamentum principiorum generationis, videlicet ſeminis & ſanguinis, quæ ſint imprægnata vitali ſpiritu capaci ad ſenſationem & motum producendum.

Ex his ſequitur, quod anima rationalis non infundatur citius, quam peracta omnimoda organorum ac partium conformatione, quod, uti ſupra diximus, in maſculo circa tertium, in fæmella autem quartum menſem contingere ſolet.

Secunda opinio, quæ ſtatim à principio conceptionis, videlicet quamprimum materiæ neceſſariæ incipiunt ordiri ac ſubire diverſitatem organorum, quod intra ſeptimum à conceptione diem fieri aſſerit, videtur veriſimilior ac probabilior; quia hac ratione anima rationalis differt à vegetabili ac ſenſitiva, hac de cauſa, quia illas prioritate temporis præcedit, ac per ſe ipſam organorum diſpoſitiones in materia fæcundata molitur ac diſponit, cæteræ econtra illam ſubſequuntur ac ab illa abſolute dependent.

Eadem autem ratio, qua prioris opinionis authores inducuntur ad aſſerendam animæ rationalis infuſionem poſt motum fœtus in utero, pariter nos inducit ad illam ante prædictum motum aſſerendam, cum nihil obſtet, ut alteri cauſæ & diſpoſitioni, uti exempli gratia animæ ſenſitivæ, cujus introductio neceſſario præcedere deberet infuſionem animæ rationalis, cum non ſint multiplicanda entia ſine neceſſitate, quia videlicet unica anima poteſt ad ſenſationem ſufficere, antequam ob organorum diſpoſitionis ac diviſionis defectum ratiocinationis capax efficiatur.

Eadem quoque ratio demonſtrat, quod ſit abſurdum aliam aſſignare in conceptionis initio vegetativarum actionum cauſam: Cum tam facile ac evidens ſit per hujuſcemodi actiones animæ rationalis inferre præſentiam, quam etiam per ſenſitivas, quæ etiam aliunde provenire poſſunt. Quia illa argumenta, ſeu rationes, quibus poſt trigeſimum aut quadrageſimum diem, per actiones ipſi proprias probatur animæ in Embryone præſentia, non poſ-

ſunt ſubſiſtere, quia necdum ratiocinandi eſt capax, quod longum poſt temporis ſpatium contingit, ſicuti etiam per actiones unius animæ ſimpliciter ſumptæ, unde fatendum illam jam genituræ adeſſe ante illius organizationem, quæ eſt actio rebus animatis propria.

Quinimo videtur, quod decora ac perſpicua illa organorum conformatio ſoli homini propria, actionibusque animæ rationalis deſtinata ac præordinata, certius ac evidentius eſt illius præſentiæ indicium, quam ſenſatio ac motus, qui homini & brutis eſt communis. Quidni etiam admittenda eſt animæ infuſio in corpus, quamprimum in illud recipi poteſt, quod ſtatim à conceptionis initio fieri poteſt: Quia ab illo momento nulla rationali animæ deeſt diſpoſitio, aut aliam prærequirit, nam nullâ organizatione indiget ad producendas actiones, quas illa tunc peragit, quæ cum meræ ſint vegetativæ, non magis quam in plantis, ſicut & in plurium animalium partium conformatione organorum diſtinctione indiget: Quæ pariter organa non ſunt neceſſaria, ut anima abſolute ſubſiſtat, cum Deus illam immaterialem, ac absque ulla dependentia, niſi ut illam ſuæ uniat materiæ, atque corpori infundat, creaverit: alias, partes ſimilares humani corporis inanimatæ remanerent, atque ipſamet organa, quæ alio non conſtant quam partibus ſimilaribus ſimul unitis, quæ neceſſario debent eſſe animatæ, ut ipſa pariter organa, ex quibus componuntur, ſint animata.

Aliunde etiam diſpoſitiones, quibus anima rationalis poteſt ſubſiſtere & in corpore humano contineri ſufficientes ſatque capaces ſunt ad illam introducendam & recipiendam, ſed diſpoſitiones illæ aliæ non ſunt, quam eædem, quæ ad animæ vegetativæ actiones exercendas ſunt requiſitæ. Siquidem adveniente quacunque organorum ſenſus aut motus diſpoſitione, tamen rationalis anima tamdiu in corpore permanet, quamdiu vitalis ac naturalis calor non ſuffocatur aut diſſipatur: Senſus enim & motus & organa non ſunt neceſſaria ad animam in corpore retinendam, niſi in quantum reſpirationem promovent.

Quidni

Quidni neque Apoplexia, quæ omnes obliterat dispositiones nobiliores organici corporis, quas Physici necessarias volunt esse animæ ad actiones producendas, nunquam illam è corpore, seu sede suâ pellit, nisi per accidens: Cum fœtus in materno utero ea sine sui incommodo laborare posset, nisi dum indigeret respiratione.

Quamvis autem organizatio non sit necessaria ac requisita dispositio ad animæ infusionem, attamen inde non sequitur, quin alias prærequirat, quæ humani intellectus cognitionem effugiunt, uti caracter ille indicibilis semini impressus, quem Physici spiritum insitum in fœmina, influum autem in masculo semine nominant; in fœmineo autem spiritum insitum, quia minus activum, sicut etiam temperamenti debita proportio, quæ sufficiat ad perfectè & debitè determinandam materiam, pro formæ illius introductione, ac consequenter cum omni aliarum exclusione.

Cum autem organorum conformatio non sit omnino necessaria dispositio, quæ necessario materiam determinet ad formam recipiendam: cum inter humana corpora aliqua reperiantur, quæ à communi proportione & configuratione, respectu partium principaliorum differant: inde ad solius temperamenti debitam æqualitatis proportionem, referenda erit dispositio illa necessaria ad animæ rationalis infusionem, quæ si in initio commixtionis utriusque seminis ac alterationis progressu adsit, ac secundum Hippocratem cum genitura in septimo à conceptione die anima sibi requisita obtineat, tunc proinde infunditur.

Deinde cum nulla detur proportio, nisi inter res ejusdem naturæ, anima rationalis cum sit immortalis & incorruptibilis, nullam pariter obtinet cum mortali, ac corruptibili corpore, cum incorruptibile & corruptibile toto genere inter se differant: Neque magis à materiâ dependet in sui infusione, quam creatione, quæ probabiliter fit tertio à conceptionis die, quo temporis spatio jam diversæ in genitura vitæ actiones manifeste apparent, uti in nutritione, incremento, alteratione, configuratione & partium productione videre licet, sed actiones illæ necessario debent pro-

procedere ab aliquo principio interno & animato : Hoc autem principium non eſt anima Genitoris, aut Genitricis,cum nequeat agere in ſubjectum, cui illa internè non ineſt.

Neque ſpiritus ſemini inſitus, qui nequit eſſe principale agens, ſed ſolum animæ eſt inſtrumentum, neque virtus formatrix, quæ ſolum eſt accidens, aut qualitatum temperies, quæ pariter organum eſt nobilioris alicujus agentis : Ergo, neceſſe eſt, ut ſit quædam anima comprehenſa, ſeu determinata in recinctu materiæ genituræ, quæ potens ſit præfatas actiones producere. Authores autem,qui docent, quod anima rationalis non prius infundatur, quam vegetativa & animalis fuerit introducta; non reflectunt, quod formæ,cum nec magis, nec minus ſint ſuſceptibiles, proinde ulterius perfici nequeant, neque una in aliam transmutari, multo minus annihilari : quandoquidem omnis corruptio aliter fieri nequit, quam per contrariorum actionem & reactionem : ſed formæ non ſunt inter ſe contrariæ, proinde ſequitur, quod anima rationalis debeat eſſe principium omnium iſtarum actionum, quas juxta repertam materiæ diſpoſitionem producit, ac conſequenter illa ipſa ſit domicilii ſui architecta ac elaboratrix.

Hæ potiſſimum ſunt rationes, quas authores pro diversâ diſpoſitione fœtus, quantum ad temporis momentum, pro rationalis animæ infuſione producunt. Quid autem ego ſentiam de controverſo hoc temporis ſpatio, libere proferam.

Extra dubinm eſt, tertio aut quarto menſe dum ſecunda & totalis partium adeſt conformatio & organorum completa conſtructio, tunc jam infuſam eſſe rationalem animam; quinimo in ipsâ prima conformatione, quæ in trigeſimo aut quadrageſimo die, juxta ſupradicta peragitur, ſecundum communiorem ſententiam, cum ſufficientes tunc adſint diſpoſitiones, animæ rationalis adeſſe præſentiam cenſendum eſt ; ſed quid juxta alterius opinionis productas rationes vetat? quin ante 30. aut 40. juxta ſexus diſtinctionem, rationalis animæ infuſio admitti nequeat: Nam ſuppoſito communi Claſſicor. Doctorum conſenſu, omnia puncta, omnesque delineationes totam fiſtuloſam corporis compagem,

pagem, quâ humanum corpus mirabiliter exſtruitur, in ovulo ipſo, tanquam in brevi compendio accuratiſſime deſcripta & coordinata adſint, ita ut ad compendioſæ hujus ſtructuræ perfectionem nihil omnino deſiderari videatur. Hoc proinde mirandum naturæ artificium, ovulo inexiſtens, ut primariam diſpoſitionem ad animæ rationalis infuſionem recipiat, nihil aliud exſpectat, quam adventum ſpiritus vitalis & animalis per ſemen ab integro Adamo deciſum, ſibi intime communicari. Quamprimum enim amicos hos hoſpites recipit, illos per omnia puncta & lineamenta, in pondere & menſura, in totam genituræ compagem diſpenſans & catenatim conjungens, tunc accidit, ut ad veſiculam cordis deducti, ibi amicabili quodam nexu ſe invicem comprehendant, ita, ut ex hac mutua comprehenſione ſuboriatur ſenſim lenta quædam blandaque fermentatio & lineamentorum & punctorum excitatio ad Embryonem ſeu fiſtuloſum corpus pedetentim elaborandum: Non acquieſcente vero motu inteſtino & affluente à tergo ſucco nutritivo, exoritur tandem augmentatio humorum & ſpirituum, ex qua ſuperabundantia & organi anguſtia, continuoque motu cordis ſaliente & progreſſivo ad totum fiſtuloſum corpus (jam ſuperius conjunctum) ſeſe diffundit; tunc hic motus cordis progreſſivus, illa ipſa ultima diſpoſitio eſt, quæ ſupremi Artificis opem quodammodo implorat, ut animam rationalem omnipotenti dextra è nihilo ſuo extractam, in præparatiſſimum habitaculum deducat, eique arctiſſimo nexu & unione conjungat; non ut inſtar hoſpitis ad arbitrium inquilina, ſed jam domeſtica in eodem intime reſideat; illud virtute ſuâ vitali vegetet, nutriat, & ad debitam perfectionem deducat. Habe igitur, Amice Lector, ultimam illam diſpoſitionem, quæ animæ rationalis infuſionem exigit, non aliunde ortum habere, quam à virtute ſpirituum, tum vitalium, tum animalium, motum cordis progreſſivum inſtituentium (licet corpus hominis in formâ ſuâ externâ ſeu organizatione non ſit omnino exſtructum) quibus etiam alias, tanquam præcipuis miniſtris, ad operationes ſuas anima utitur. Hi enim, dum amica

illa fermentatione impulsi, totam fistulosam compagem pervadunt, & in minutissimas etiam fibrillas sese insinuant; ita singula organa hujus structuræ afficiunt, ut ad animæ operationes jamjam exercendas prompta & proxime expedita, suâ præsentiâ reddant: quod inde mihi clarissimum: quia deficientibus vel in parte, vel in toto spiritibus, humana structura vel particulari, vel universali morbo afficitur: & anima in munere suo exequendo, utpote præcipuis operationum suarum ministris destituta, sensim elanguescit; donec ruptis plane carceris sui repagulis, aufugiens, inane cadaver deserat.

Concluſum igitur manet, duplex munus in efformando homine concurrere. Primum ex Christianâ philosophia soli DEO adscribimus, juxta illud Gen. c. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Secundum verò munus exercet spiritus genitalis in semine perfecti Adami ex utraque parte comprehensus. Quod utrumque eleganter confirmat D. Augustinus dicens: Quis Christianus ignorat, quod ille, qui primum hominem fecit ex pulvere, omnes quoque fabricet ex semine, totius Adami.

Habes itaque B. Lector, Animam in spiritibus; spiritus in organis, & hominem in utero, in baptismate Christianum: pro quo inexplicabili beneficio, Deo gratias age: Vale.

* *

Quamvis in Actis Eruditorum Lipsiensibus, An. 1706. mense Majo, Clar. Pacchioni, Academici nostri Nat. curiosi, Dissertatio de Glandulis conglobatis duræ meningis humanæ jam fuerit memorata, eandem tamen integram hic quoque producere voluimus.

DISSER-

DISSERTATIO EPISTOLARIS

De

Glandulis conglobatis duræ Meningis humanæ, indeque Ortis Lymphaticis ad piam Meningem productis,

LUCÆ SCHRöKIO,

VIRO CLARISSIMO,

Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Academiæ Præsidi &c.

ANTONIUS PACCHIONUS, Regiensis,

Physicus Romanus,

S. P.

PRÆSES AMPLISSIME.

EN denuò in publicum prodire me conspicis, Ornatissime LUCA SCHRŏKI; cumque de iis, quæ anteà pollicitus fueram, in præsenti Epistola nec verbum reddam, facilè me vel Eruditis imponere, vel promissis non stare, tecum statueres, nisi meis literis per Dn. Mayrium, Medicum Salisburgensem Celeberrimum, ad Te transmissis, certior factus esses, me novis sectionibus, & accurata investigandi methodo Duram Meningem ità persequi, ut nihil ea in parte intactum velim; sed in futura editione Opus, ut ajunt, omni numero absolutum, saltem pro viribus, habeatur. Hoc sanè, ut eò promptiùs præstarem, cum vix Meningis Iconismum iterùm ad finem perduxerim, mecum proposueram sylvam anatomicam, & physico-medicam, in tractatu de Dura Meninge, jam anteà prælo consignatam, in distinctas digerere propositiones, atque explanare: dumque id ipsum aggredi meditabar, videbar votis non planè satisfeciisse, nisi humoris scatebram perquirerem, qua cadaveris cujusliber Cerebrum, & Meninges perpetuò madere observantur. At quamvis id mei muneris maximam partem esse arbitrarer, qui Duræ Meningis perlustrandæ Provinciam susceperam; plura tamen maximi momenti repagula ab hoc tentamine animum prohibebant.

Primum erat, quòd Clariſſimus Antonius Nuckius amico roganti, *utrùm in cerebro etiam occurrant vaſa lymphatica*, reſponderit illorum liberalitatem reprehendendo, qui talia levi negotio admitterent: accedit, quòd idem Auctor Inſignis, & in glandularum illuſtratione ſedulus, ingenuè fateatur, ſe nunquam hac in parte ſcopum attingere potuiſſe.

Obſtabat Inclyti Malpighii de hac Meninge ſilentium, cujus nunquam ſatis laudata ſolertia, præcipuas Abdominis, & Thoracis membranas glandulis contextas detexerat.

Obſtabat tandem ipſa Meningis textura, quam cum denſam adeò, fibrisque validis omni ex parte concinnatam, ac veluti muſcularem deprehendiſſem, ſpatium nec videram nec concipere poteram glandulis includendis aptum, & capax. Cum, hæc inter, ſcrupulos omnes ademit culter anatomicus, quem, dum attentè, in perluſtranda interiori Sinuum fabrica, adhiberem, non potui non mirari, ſummam inſpiciens Meningis craſſitiem circà Sinum longitudinalem; cujus ideò ſectione ſtatim incepta, & paulò profundiùs in ipſius cavitatis lateribus inſtituta, in corpora quædam globoſa incidi, quæ glandulas eſſe, ulteriori inveſtigatione, certior factus ſum; quarum ſeriem antequam aperiam, patere, Vir Ampliſſime, ut in Sinuum deſcriptione paululùm immorer; cum hæc dicendis uſibus non parùm lucis ſit latura.

Interiorem Sinuum cavitatem quamvis non delineaverit, accuratiſſimè tamen deſcripſit Famigeratiſſimus Williſius, cui in plurimis aſſentiri neceſſe eſt: illos attamen intimiùs examinando, conſtat, cum ſagaciſſimo Vieuſſenio, tres majores Sinus (quos tantùm rimari hic neceſſarium putavi) ſtructura nonnihil inviceem differre; laterales enim ſimpliciores eſſe videntur Sinu altero, ſeu Longitudinali: hic (à Williſio meritò Primus appellatus) in ſuperna parte cultro leniter diductus interiorem oſtendit faciem, primò membranoſis, & inæqualibus obductam expanſionibus, quæ ita extenduntur, ut ab apice Sinus ad ſex ferè tranſverſos digitos deſcendendo, in minutas cellulas efformentur.

Hæ

Hæ Cellulæ ab expoſito ſitu ad verticem uſque, uberiores, atque magis amplæ perſpiciuntur, & inæqualiter hinc inde locantur; ipſarum plurimæ vacuæ ſunt, habentque orificia in oppoſitas quaſi partes hiantia; Membrana circumteguntur, quæ eſt inſtar valvulæ ſemilunaris, totam tamen cavitatem non occludentis; reliquæ verò foveolas tantummodò impervias repræſentant. *Vide Figuram ſecundam.*

Cellulæ, quæ ad præfati Sinus longitudinalis latera conſitæ ſunt, ſanguifera excipiunt, ut patet ex horum turgentia, immiſſo flatu, vel ſtylo: hæ fabrefactæ videntur, ne ſanguis à Sinu tàm facilè in vaſa remeet; quod conſtat ex eo, quòd in ampliori, ac declivi ejuſdem ſitu, ubi ſanguis proprio etiam pondere promptiùs ruit, nullæ reperiantur valvulæ. Poſtrema autem Sinus pars, inæqualibus ſolis membranaceis expanſionibus, velut tot fimbriis, ut plurimùm contenta eſt. *Ut ex Figura prima liquet.*

Ubi ſanè obſervandum, expanſionem hanc membranaceam non modò validam eſſe, ſed & Sinus cavitatem non rectà tranſversìm, verùm obliquè ferè ſemper obducere, eique tenaciſſimè adhærere.

Sub hoc involucro ſitæ ſunt chordæ ligamentoſæ Williſianæ, quæ à centro cavitatis dicti Sinus propagatæ, obliquè ſurſùm ducuntur, indè in rete quoddam implicari cernuntur, quo reliquum fiſtulæ cavum occupant. Eædem profectò chordæ à Falcis Meſſoriæ lacertis (quorum dorſo maxima ex parte accumbunt, ac nectuntur) plures mutuantur fibras, unde vires ad proprios uſus intendere poſſunt. Chordarum ſpecimen habetur *ex Figura prima.*

Venarum innumeros furculos, & arteriarum aliquot, utrinque in Sinum hunc longitudinalem inſeri, cum Vieuſſenio, adnotavimus; quod non ſine aliquo naturæ myſterio evenire, inferiùs manifeſtum fiet.

Sinuum lateralium cavitas non tot anfractibus, & cellulis diſtincta eſt, ſed membranacea expanſione tantùm æqualis cer-

nitur, & ad ſummùm levibus quibuſdam plicis ſignari ſolet, parùm iis abſimilibus, quas in primi Sinûs extremitate reperiri indicavimus.

Detracto hoc velamine (quod fit Sinus jam per longum ſectos diligenter ab invicem diſtrahendo) in conſpectum veniunt chordulæ, ſuperiùs adnotatis ſimpliciores, quæ ſe mutuò decuſſantes, ab uno ad alterum extremum exporriguntur: quapropter non ſolùm Sinuum contractionibus, verùm etiam utriusque Interſeptorum laminæ firmandæ eas non parùm conferre arbitramur. *Vid. Figuram primam.*

Perpauca ſanguifera in hos canales laterales (ſaltem donec Interſepta attingunt) ſubintrant; unde hoc ipſorum ſpatium Primi, & Quarti Sinus diverticulum potiùs eſſe videtur. Sed ea hic leviter tantùm delibaſſe ſufficiat, quæ aliàs, ſi Deus dederit, ex profeſſo erunt fuſiùs exponenda.

Hactenus, Vir Doctiſſime, aliorum experimenta exhibui; nunc ad ea venio, quæ propriis conatibus è naturæ penu extrahere potui.

In longitudinali Sinu, immediatè ſub membranoſis expanſionibus, in areolis chordarum Williſianarum, quin & ſupra easdem chordas conſitæ ſunt innumeræ glandulæ conglobatæ, propria, & tenuiſſima membrana, veluti in ſacculo concluſæ; quæ racematim ut plurimum coeunt; raro ſparſim diſponuntur: hæ glandulæ utrinque ad latera Falcis Meſſoriæ, ab ejusdem apice ad baſis usque poſticam partem miro propemodum artificio procedentes, dorſo lacertorum accumbunt, & partim ab horum fibris, partim ab iis, quæ à chordis emergunt, firmantur, atque invicem alligantur, ita ut nonniſi laceratæ acu disjungi poſſint. *Vid. iconiſm. primum.*

Figuram exhibent ſubrotundam, quæ ex mutua ipſarum compreſſione identidem variat: in non maceratis Meningibus; ovorum inſtar bombycinorum apparent: ſi verò craſſa Meninx, aqua communi priùs deterſa, per menſem, & ultrà in aceto detineatur (quod ſæpiùs innovandum, ne fœteat) hujusmodi glandulæ

adeò

adeò cum ipsa Meninge intumescunt, ut granum milii crassioris à cortice non denudati exæquent, & quandoque superent: in Senibus tamen, & longo morbo confectis ita conspicuæ emergunt, ut sine macerationis, vel microscopii opera discernantur, non solùm in interiori parte Sinus prominentes, sed & in lacertorum interstitiis, quà Piam Meningem respiciunt & attingunt; ut, si membranarum divulsionem leniter instituas, harum glandularum plurimæ, Piæ Meningi adhærentes adhuc persistant.

Fibris carneis tenuissimis circumambiuntur singulæ, undè colorem carneo-pallidulum nanciscì videntur: in Senibus verò, in quibus hujusmodi fibræ enervatæ nimis laxantur, & fermè disparent, glandulæ albescentes, & magis turgidæ cernuntur: quod, & in hydrocephalicis, comatosis, & id genus aliis observari posse arbitrarer.

Arteriolas habent à ramulis per interiorem Duræ Meningis superficiem, non longè à falce reptantibus; quarum nonnullas à Pia Meninge derivatas, & à venis ad Sinum tendentibus non multùm distantes, & quandoque associatas accipiunt.

Mirum, & æquè animadversione dignum est, hasce glandulas ad solius Longitudinalis Sinus latera reperiri; cum in lateralibus Sinubus, vel nunquam, vel rarò admodum perpauca earundem vestigia adnotentur, ubi præsertim præfati canales deorsùm inclinare incipiunt, antequam ab Interseptorum dorso discedant.

Perspecta insuper totius plani, & laterum Interseptorum densitate, qua Sinubus hisce adhærent, constat eam textura lacertorum falcis multò compactiorem esse; ob quam crassitiem neque vasis, & glandulis locus, neque commercium patet: quod ideo à natura factum reor, ne, si Interscepta laxiora, & minùs firma alicubi existerent, ab insidente continuò ponderosissima cerebri mole gravata, aut reciproca contractionis, & relaxationis vi tandem enervata, debitò citiùs conciderent; & glandularum (si quæ adessent) vasorumque munus obrueretur.

Hanc etiam ob causam interior Sinus longitudinalis textura

tura validioribus chordis, valvulis, & proceſſibus membranoſis (ad lateralium Sinuum differentiam) conſtruitur; inſtrumentis videlicet cruori intra hunc Sinum retardando, indeque fortiùs exprimendo inſervientibus; ut alternis turgentiæ ac compreſſionis nixibus intentum à natura ſecretionis opus, pro re nata, ſuccedat; præſertim in commodum fluidi, quod per ſubſtratas glandulas excernendum eſt, ut infrà conſtabit.

Rectiùs ergò in ſuperna Cerebri parte, ſcilicet ſupra utrumque ejusdem limbum, Sinus longitudinalis tractui proximè incumbentem, inſident glandulæ; quæ, cum à nullo ſuperſtrato gravi corpore premantur, liberiùs humorem proprium effundere, atque excretoria vaſa absque rupturæ, aut ſtrangulationis, ut ita dicam, metu quaquaverſum producere poſſunt.

Ex præfatis glandulis innumera emergunt fila, quæ totidem ſunt excretoria vaſcula, quorum exiſtentiam olim non levi conjectura aſſecutus fueram, tandem verò per autopſiam, ſenſibus percepi: hæc enim lymphatica à Dura Meninge ſanguiferis intimè aſſociata, & implicata, in Piam Meningem implantantur, huicque firmiſſimè adhæreſcunt, ope non modo ſanguiferorum, ſed plurium etiam fibrarum à Dura Meninge provenientium; quæ procul dubio vaſorum nexum, & ſtabilitatem confirmant, ne in motibus tam facilè dirumpantur.

Per has verò fibras, & vaſa ita invicem junguntur Meninges, ut, ſi hunc ipſarum nexum auferre tentaveris, id niſi diligentiſſime inſtituatur, Pia facillimè divellatur, intactis remanentibus vaſis: ſi verò cautè proceſſeris, Piam Meningem manu leviter deprimendo, lacerantur duntaxat fibræ, & vaſa; ex quorum orificiis diverſas, & diſtinctas liquoris guttulas decidere conſpicies; cruoris ſcilicet, & lymphæ pellucidæ.

Ut autem hæc commodiùs obſerventur, cavendum primò in ſectione cranii, ne Dura Meninx, quantùm fieri poteſt, ferrâ lædatur; deindè Cranium ab ipſa attentè diducendum, &, ſi poſſibile ſit, Meninx manu, vel inſtrumento tenuiori verſus cerebrum deprimenda, ne ob morboſam adhæſionem (ſi hæc adſit)

vel

vel fortem conatum Cranio consentiens, subjecta vasorum connexio priùs, quàm observari possit, divellatur: indè eadem Meninge forcipe circum Cranium, & transversim per medium secta, & paulatim ad Cerebri summitatem inversa, vasorum nexus, diversitas; & reliqua hactenus exposita, planè manifestantur.

An omnia lymphatica sub præfatis vasorum plexibus contineantur, non sine ratione dubitaveram, cum sæpissimè in tollendo nexu Duræ cum Pia Meninge, glandulæ quamplurimæ huic quoque innixæ ac veluti connatæ animadvertantur; quapropter ex quodam insuper rore, ac veluti albissima nebula, qua conspersa remanet Pia Meninx, fortiori conjectura, ultra notatas insertiones, & ligaturas, minima pariter lymphatica inseri deducebam. Attentiùs ergò investigando extra expositam vasorum complicationem, unam ab altera lentè diducendo membranam, adverti utramque simul ulteriùs connecti veluti per tenuia quædam filamenta, quæ à glandulis Duræ Meningis emergunt. Hæc ad certam usque mensuram protrahuntur, deindè fracta, appositum digiti apicem limpido humore perfundunt.

Horum lymphaticorum progressum, intra Piam Meningem saltem, non valde arduum est assequi; quippe canalium sanguifluorum lateribus hærendo, ipsorum commeatum, & divarications quascumque minimas sequuntur: apparent enim, & in superficie Piæ Meningis, & in ejusdem separatis portionibus, cerebri anfractus (quos non mediocriter humectant) vestientibus; hæ namque lumini objectæ vasa exilissima albicantia, Meningis substantiæ non parum dissimilia, sanguiferis ut plurimum implicita exhibent.

Inter innumera Capita, quæ dissecui, unum in Archiospitali Sancti Spiritus in Saxia reperi, cujus in valde firma Pia Meninge, hæc vasa conspicua satis occurrebant: itaque ipsorum lymphaticorum alterum tenuissimo lanceolæ cuspide adaperui, quod, præsentibus multis Anatomiæ Ministris, styli perquàm minuti portionem, exiguam tamen, admittebat. Memini in Apoplecticis quibusdam, quorum Cerebrum lympha scatebat, Piam Me-

ningem triplò naturali craſſiorem non ſemel obſervaſſe, cui, & demptus erat omnis ferè vaſorum nexus, & pellucidæ admodum hydatides hinc indè inſpergebantur, tot veluti exiguæ lymphaticorum Varices.

Quamvis ubicumque Pia Meninx Cerebrum inveſtit, ejusque corticales gyros, interſtitia, atque parietes falci contiguos ad corpus usque calloſum pervadit, lymphaticis ſemper aſſocietur, hæc tamen, an Cerebri medullarem ſubſtantiam penetrent, quavis vel adhibita diligentia, nondum attigi: probabile tantummodò mihi videtur varias Cerebri protuberantias, atque cavitates ea perreptare poſſe, donec in proprium alveum lympham exonerent. Idcircò haud omnimodè certum puto hallucinatos eſſe magni nominis Viros, Bohnium, & alios, qui eadem in Cerebro obſervaſſe teſtantur: invento quippe eorundem exortu, non abſonum reor progreſſum, & finem reperiri. Et nuper Dn. Bartholomæus Simoncellus, oculatiſſimus Anatomicus Romanus, in Theatro Sapientiæ lymphaticum ſuper protuberantias Striatas ſerpens mihi oſtendit.

Heertodt pariter in Crocolog. pag. 282., citatus ab Ettmullero in Collegio practico, refert in Puero, Hydrocephalo mortuo, ſe vidiſſe lymphatica cerebri partim turgida, partim rupta. Ex quibus ſanè obſervationibus conjicere poſſumus, lymphatica, quæ in Cerebro à tot Illuſtribus Anatomicis adnotata ſunt, propagines eſſe illorum, quæ nos à Dura per Piam Meningem produci deteximus; quod quidem eo magis inconcuſſum appareret, quòd à nemine, ex Cerebri lymphaticorum Patronis, horum vaſorum origo indicetur.

Ex hactenùs recenſitis ſatis inferri poſſe crediderim Meningis glandulas ad ſeparandum humorem aliquem à toto ſanguine diverſum, cæterarum more, comparatas eſſe; in quem autem finem ſecretus ab ijsdem humor, ſeu lympha, à natura determinari poſſit, non æquè patet: ſtatim ac enim glandularum acervos ad latera primi Sinus detexi, hæſitare cœpi, an in hujus gratiam conſtitutæ forent, ad refluum nempè ſanguinem veno-

venoſum magis fluxilem reddendum, tollendumque mortiferæ coagulationis periculum.

Hoc dubii genus ſicuti non à ratione alienum videbatur, ità non tantùm momenti habere comperi, perſpectis arteriolis vividius fluidum in hunc Sinum derivantibus, munusque mox indicatum abundanter explentibus, & detecta lymphaticorum inſertione, atque curſu ad Cerebrum, non verò ad Sinum converſis; nullum enim, quod hujus cavitatem reſpiciat in glandularum dorſo excretorii, aut orificii veſtigium apparet, etiam ſi ab involvente propria membrana eædem, vi aliqua, denudentur.

Non minùs neceſſarium exiſtimaveram inveſtigare, an inter primum & ſecundum Duræ Meningis fibroſum ſtratum diſſeminarentur lymphatica, quæ tandem in interiorem ejus ſuperficiem humorem exſtillarent, ad motuum perennitatem juvandam. Quamvis hoc non improbabile, immò dari fortaſſe concedam; fateor tamen hujusmodi lymphaticorum penetrationem adhuc non eſſe aſſequutum, quam liquido per eadem transfluenti, quin, & Meningum robori officere potiùs dubitavi.

Probè inſuper linteo deterſa interiori Meningis ſuperficie, & digito extra memoratam lymphaticorum inſertionem compreſſa, vel nihil humoris erumpit, aut, ſi quidquam exſudat, morboſum eſt, & ab interſtitiis fibrarum antea imbibitarum potiùs, quàm ab excretorio aliquo, promanare videtur: ſuſpicor enim, quòd ſi hac in ſuperficie excretoria aliqua adeſſent, præ fibrarum denſitate, & contractura quodammodo ſtrangulari poſſent, ut ſuperiùs innui.

Sed quoniam conſtat interiorem Duræ Meningis ſuperficiem humore aliquo madeſcere; & ipſum gelatinoſum in Cadaverum, Senum præſertim, ſectionibus ex morbo recolligi (quod inter plures teſtatur Famigeratiſſimus Malpighius in conſiliis) quin & tale liquidum in Cerebri ventriculis ſtagnare deprehendimus, non modò in Hydrocephalo, plerisque Apoplecticis &c. ſed & in Epilepticorum compluribus, multisque convulſivo capitis

affectu interemptis; aliquod commercium inter has partes, & lympham, ex naturæ pariter instituto, reperiri, necessarium apparet; cujus rationem investigare nonnisi conjectura, ut ita dicam, palpabili valemus: verosimile namque videtur lymphatica Piam Meningem alluentia rorem quendam tenuissimum continuò exhalare, quo utraque ejus superficie, primò in proprium commodum madefacta, Duræ pariter Meningi ad contactum usque accedenti, & subjecto Cerebri Cortici subsidium præbeat; ne ista, præ jugi contractione exaresçat (uti etiam sagacissimus Valsalva in suo elegantissimo, de Aure Humana tractatu, nuper Bononiæ edito, & humanissimè ad me misso, quodammodo visus est indicare) cortici verò, ne compressionum ictibus, ipsius oscula & exsiccentur, & aliquando occludantur, maxima cum suorum munerum jactura.

Probabile est etiam idem evenire in Cerebri ventriculis, corporibus striatis, cæterisque ejusdem concamerationibus, atque protuberantiis, quas præfatus liquor irrigare potest, aut debet, ne ab aëre (si quidpiam illuc penetret) aut à collisu in morbosam siccitatem redigantur.

Rationi insuper consonum videtur ad nares internas, & quocunque ad insculptas Cranio cavitates proximè extenditur Dura Meninx, hujusmodi humoris portionem profundi; sicut citatus Valsalva pag. 39. §. 15. ad internam Tympani membranam à Dura Meninge provenientem, liquidum istud derivare advertit: Auctoris verba sunt: *Tympani hucusque descripti parietes quodam aqueo humore irrigantur, à membrana eosdem vestiente probabiliter profecto; cum hæc sit, ut scriptum fuit, Duræ Matris elongatio &c.*

Donec expositum fluidum intra naturæ limites constiterit, quidquid ab ipso irrigatur intra & extra cranium, rectè procul dubio procedet; quod si verò ipsum quacunque ex causa exuperare, vel alterari contingat; quidnam morbosum inde pariter non eveniet? Fieri enim potest, ut sanguis materiam lymphæ suppediter ichorosam, atque erodentem, qua tenuium ejus vasorum tu-

nicæ

nicæ propè glandularum, & Piæ Meningis insertionem, vel longè ab ista, quomodolibet lacerentur; aut torpidam nimis, & opprimentem, canaliculis distendendis diffringendisue idoneam, ut in Apoplecticis supra notatum est; aut debitò uberiorem, quàm à vasis devehi, vel resumi liberè possit; aut mille aliis modis noxium glandulis humorem dispensèt: quibus quidem vitiis, quid non mali imminere verendum, aut ominari non liceat miseris ægrotantibus?

Unum adnectere placet exemplum (quod erit instar omnium, ex Clarissimi Malpigii consiliis depromptum, quod non modò recens allata doctrina, verùm etiam quidquid aliàs de Meningum usibus enunciavimus, & deinceps dicturi sumus, ad amussim confirmare videtur; dum inter varias Epilepsiæ causas lympham quandoque morbosam assignat, his verbis: *Contingit autem* (loquitur de Epilepsia) *morbosa hæc affectio ex stagnatione lymphæ circà Cerebri membranas, ut ex cadaverum sectionibus patet: hæc amisso motu acida reddita irritationem in Meningibus parit, quæ contractæ cerebrum comprimunt, unde violenta succi nervei expressio subsequitur, indeque involuntaria musculorum contractio &c.* Quæ sanè verba mox detectæ lymphæ scaturigini, Meningum fabricæ, & facultatibus nunquam meliùs aptari possunt.

Dum hæc scribebam repentè, è vivis sublatus est Eminentissimus, ac Reverendissimus Urbanus Cardinalis Sacchettus sexagenario major, qui devia Podagra Epilepticus evaserat, & sedula curandi methodo, præsertim vini abstinentia, sex ultra annos supervixerat. In hujus dextra corticali cerebri parte versùs occiput, insignis ovi Columbini molem adæquans inventa est hydatis, quæ constrùi videbatur ex ipsâmet Pia Meninge, ejusdem dilatatis intempestivè lymphaticis; quod ad oculum veniebat ex liquido intùs contento; erat enim lympha partim subtilis & flava, partim in crassam veluti gelatinam conversa; ubi quod mirabilius apparuit, id certè fuit, ut istius folliculi basis, cortex nempè Cerebri, ad talem resistentem consistentiam devenerit,

quæ planè Scirrhoſa videretur. Ut nulli dubium vel per Pathologiam eſſe poſſit, quin ſupra cerebrum, atque intra Piam Meningem lymphatica perreptent.

Hujus extiſpicium Principis, pro ſua humanitate largitus eſt Vir ſanè omni præconio dignus, Perſpicaciſſimus Lanciſius noſter, qui ſervandæ illius valetudini præfuit, & Cadaveris diſſectioni ſuæ, qua ſolet, ſedulitate ac ſolertia interfuit.

Lympha præfata non modò ſua fluiditate, atque pondere ab apice Cerebri deorſum fertur; verùm propriorum canalium, & Piæ Meningis vi contractiva ſollicitatur, & potiſſimùm à circumprimente Dura Meninge; cujus quidem mutuus acceſſus & receſſus ad Canales moderatus exigitur, ut fluidi juſta menſura, & motus promoveatur, atque conſervetur, non autem peſſum eat unquam. Quòd ſi ergò hujus Meningis Elater præter naturam enervetur, aut intendatur, morbi, quos jam recenſuimus (diverſa licèt ratione) evenient facilè; in priori quidem caſu Senibus, & effœtis; in ſecundo verò Epilepticis quibusdam, Phræneticis, Maniacis, & conſimilibus affectis.

Inter veteres Anatomicos advertit quoque Veſalius, cap. de Dura Meninge, hujus interiorem ſuperficiem aqueo humore longè magis, quàm exteriorem perfundi: quod ſicut verum experientia demonſtrat; ita undenam ad exteriorem hujuſce Membranæ corticem humor ille derivetur, arduum eſt pro nunc determinare; Cum nec glandularum, nec Lymphaticorum veſtigia in convexa iſta ſuperficie appareant; etſi pauculas glandulas infrà Coronalis ſuturæ adhæſionem prominere aliquoties conſpexerim, eas tamen ad ſuperiùs recenſitas pertinere dubitavi.

Hæc ſunt, Præſes Meritiſſime, quæ de re nova, nec parum gravi, brevioribus quàm potui abſoluta, tibi conſecrare volui; non eo potiſſimum ductus favore (quo etiam ab Arcadum, & Phyſiocriticorum Famigeratiſſimis Cœtibus devincor) quòd me tot Illuſtrium Virorum Academiæ Cæſareo-Leopoldinæ Sodalem, decoro nimis titulo, conſtitueris; ſed ob eam, quæ ex tuo Penu promanat, Inclytam Virtutem, ac ſingularem, in hac præ-

ſertim

sertim Arte nostra, peritiam; cujus tanta est apud me Auctoritas, ut nihil ampliùs de his meis scriptis, quàm quod tuis arrideat placitis, sentiendum existimem. Si quid ergo in hac Epistola naturæ minùs consonum judicaveris, amice castiga; sin aliter, bono excipias animo, tuoque in sinu tutò, ac humanissimè foveas rogo; non enim alienos, sed proprios labores, qualescunque sint, offerre curavi. Vale Naturalis scientiæ Decus, & Fautor, meque perpetuò ama.

Romæ decimo Kalendas Majas.

Tibi Addictissimum atque Obsequentissimum

Antonium Pacchionum.

FIGURARUM EXPLICATIO.

Figura Prima

EXhibet tres majores Duræ Meningis Humanæ Sinus, secundum longitudinem in dorso, Cranium respiciente, dissectos; quorum in interna facie unico intuitu apparent membranosi Processus, Chordæ Willisianæ, & Glandulæ nostræ nuper detectæ, quæ sub præfatis Processibus, sive membranosis expansionibus latent in toto Sinus longitudinalis tractu. In exposita autem figura posterior hujus Sinus pars ideò non fuit denudata, ne repetitis frustra iconismis, horum copia Epistolæ extensionem superaret: indicasse namque sufficit Glandulas sub his quoque expansionibus delitescere.

Hæc porrò figura ex Dura Meninge per diutinam plurium hebdomadarum in aceto macerationem incrassata deprompta fuit, ut singula à Pictore delineanda conspicua magis evaderent, & facilius exprimerentur, sicuti advivum factum fuit.

Animadvertendum est pariter Glandulas in Sinu Longitudinali inæqualiter ex macerationetumefactas, alias quoque præ aliis crassiores, & figura penè diversas repræsentari; cum tamen in naturali statu mole, & forma æquales esse consueverint, sicuti in Epistola descriptæ fuerunt. Minimæ verò Glandulæ, quæ in hac eadem figura insculptæ conspiciuntur, illis omninò similes sunt, quæ in Meningibus, nulla arte, aut morbo alteratis reperiuntur.

A. *Sinus Longitudinalis pars anterior parumper inversa, & complicata.*

B. *Ejusdem pars posterior.*

c. c. c. c. c. c. *Latera Sinus diducta partim inversa, partim in posteriori parte*

d. d. *ns*

d. d. *naturali in ſitu relicta, ubi Sinus propriam oſtendit latitudinem è membranoſis expanſionibus non denudatus.*

d. d. d. *Membranoſæ expanſiones cum ſuis plicis, quæ in hac Meninge incraſſata conſpicuæ multum evaſerunt.*

e. e. *Sinus Portiones ſemidenudatæ.*

2. 2. 2. 2. *Specimina Chordarum Williſii; quarum plereque ſub Membranoſa Expanſione* e. e. d. d. *adhuc deliteſcunt.*

3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. 3. *Glandulæ conglobatæ in lateribus Primi Sinus racematim reconditæ: quamvis autem in hac figura ipſarum nonnullæ huc illuc diſſeminatæ repræſententur, hoc tamen ſecundum naturam ſemper non eſt, ſed ut plurimùm accidit, dum eædem à circumveſtiente membranula denudantur; facilè enim, ſi meninx præſertim prius emollita fuerit, ab invicem diſcedunt. Glandulæ hic tantummodò dorſum viſui exhibent, cum in oppoſita interiori parte Lymphatica ad Piam Meningem emittant.*

f. *Quarti Sinus Orificium in laterales hians.*

g. g. g. g. *Sinuum lateralium parietes diducti, ut ipſorum interior facies clariùs demonſtretur.*

h. h. *Ipſorum extrema abſciſſa antequam in jugula res inclinare incipiant.*

i. i. i. i. *Chordæ Williſianæ à membranoſis expanſionibus liberatæ.*

Figura Secunda.

OStendit eam Sinus Longitudinalis Portionem, ubi valvulæ uberiores ut plurimum reperiuntur. In hac autem Figura tàm Sinùs, quàm valvularum amplitudo, vix naturalem excedit ſtatum.

a. a. a. a. *Sinus reſecti latera diducta.*

b. b. b. *Minores Cellulæ laterales, quæ ſanguinem intra Sinum admittunt.*

c. c. c. *Cellulæ majores valvuloſæ in centro Sinus conſitæ, quarum orificia ſe mutuò reſpiciunt.*

d. d. *Foveolæ impervie.*

DIS-

DISSERTATIONEM
De
OVARIO ANGUILLARUM
Illustrissimis & Sapientissimis,
PRÆSIDI
&
CÆTERIS ACADEMICIS NATURÆ CURIOSIS
consecrat

ANTONIUS VALLISNERIUS de Nobilibus de Vallisneria, Publicus in Lyceo Patavino Medicinæ practicæ in primo loco Professor, Ill. Collegii Veneti, Arcadum Romæ, Regiæ Societatis Angliæ & Academiæ Naturæ Curiosorum in Germania Socius.

FRustranea Ovarii in Anguillis per plures annos in patria à me suscepta inquisitio ancipitem me reddidit, ne proposito meo illud manifestandi exciderem, eò magis, cum Senex quidam, incola Comaclensis mihi narrasset, easdem versus æstatis finem, tempore turbido & tenebricoso, ex salsis suis paludibus in mare descendere, ut ibi fœcundentur ovaque pariant, ex quo postmodum, pronatæ anguillulæ in vere revertentes, ad priores paludes adscendant, in loca nempe quietiora, pinguiora & optimo pabulo abundantia. Unde credidi, quod si in ullo Italiæ loco, certè ad minimum aliquando, vel unica, quæ uterum visibilem & tumidum, aut ovarium ovis turgidum ostenderet, in hoc, quasi in metropoli earum, & ceu fortunato in loco, qui singulari meæ curiositati satisfaceret, reperiri deberet; cum nunquam in quodam meo aquarum receptaculo sese multiplicaverint, licet consultò ibi multos ante annos immissæ fuerint, atque in magnitudinem insignem excreverint. Unde Domino Sancassano, Medico celebris istius loci rara & excellenti eruditione claro scripsi, ut omni majori diligentia studeret gravidam anguillam invenire, mihique

hique protinus transmittere; qui etiam multum eapropter laboravit, amicumque insuper alium, & ipsum curiosum, rogavit; frustra tamen per longum temporis spatium id factum est; quocirca de tali obtinenda ferè desperavi; usque dum post octo annorum spatium desiderata vivacissima anguilla supervenit, ab eodem ad me missa, cum bursa seminibus plena, & talis, qualem ardentissime exoptaveram. Fortunæ igitur gratias egi, atque insolitam lætitiam occupasse me sensi; quæ etiam in immensum fuit áducta, postquam novam hanc notitiam Vestro præclaro & sincero oculo, Domini clarissimi, subjicere decrevi, tum ut aliquod summæ meæ venerationis & infinitæ obligationis tam humanis & excellentissimis Eruditis darem, tum aliquam ab ipsis discendi occasionem obtinerem.

Receptaculum autem istud instar sacci, ex valida satis, delicata tamen membrana efformatum erat, in angulos acutos desinens, inque lumbis juxta spinalem medullam situm, sub intestinis, principium habens non procul ab eorum initio, & per dorsi longitudinem usque ad cloacam ferè se extendens; prout in Figura prima literis h. h. h. expressum est. In medio ferè ejusdem elegantissima membrana firmiter adhærebat, quæ fortasse ligamenti vicem gerebat, à me cum primò ventrem secarem abscissa. Ovarium totum insigni multitudine vasorum adiposorum erat circumdatum, quæ & ipsa membranâ, instar oblongi ornamenti foliacei efformatâ, albigabantur, cæterùm in nostris etiam non gravidis anguillis occurentia, atque in dextra parte usque ad cor se extendentia, in sinistra autem non tam alte adscendentia, ceu in Figura literæ i. i. i. ostendunt. Ipsa ovula manifeste per membranam involventem transparent, & qua ablata mox videntur instar minimarum & lucidissimarum margaritarum, quæ singula minuto suo pediculo adhærent, per quem absorbent, vel ipsis adfluit debitum nutrimentum. Non æqualis omnia sunt magnitudinis, majora minoraque, cuncta verò maximè rotunda, & cortice duro ac pellucido prædita; quæ ipsa, ovario diviso, per microscopium aliquantùm majora reddita, in Figura secunda comparent.

Com-

Communicatio hujus mediante brevi oviductu evidenter obſervabatur, exitumque in cloaca inveniebat, per quem ova matura excernuntur. Non me diffundo in deſcribendis reliquis partibus, cum primus hic meus diſcurſus nimium longus & tædioſus fieret, in aliud commodius tempus hæc reſervans, ſaltemque interea easdem prima in Figura exprimens.

Anguilla, cujus delineationem oculis veſtris expoſui, eſt ex illis, quæ circa quadrageſimæ initium fuerunt captæ, quando verſus mare tendebant, atque inter multas alias adſervata, quas in aqua ſalſa in piſcina reponunt, ut poſtea in diſſitas regiones, ſemper per aquam eas trahendo, transmittunt. Ibidem quandoque fœcundantur, prout præfatus Dominus mihi retulit, jungendo ſe cum maribus, & dein ova matura ſuo tempore emittendo, quæ per foramina carceris ſui egreſſa, quem burchio adpellant, & quem aqua intrat & exit, aquæ innatant, usque dum trunco alicui vel arundini paluſtri, aut plantæ aquaticæ, vel ripæ cœnoſæ adhæreſcant, ubi tamdiu morantur, quousque inviſibiles quaſi & capillares anguillulæ inde erumpant. Obſervatum fuit, ceu idem Dominus ex cujusdam relatione ſubjunxit, qui tales anguillas magnis caniſtris vimineis in aqua ſalſa incluſas ſervabat, quòd interdum ſimiles anguillulas in iisdem deprehenderit, firmiter tamen crediderit, quòd ex tenaciſſimo glutine, qui ex vaſculis ſive canaliculis, per totam earum cutem diſſeminatis, atque à Domino Franciſco Redo in obſervationibus ſuis de animantibus viventibus in vivent. jam annotatis, exſtillat, naſcantur. Exiſtimabat, quòd, dum conglomerando ſe invicem, flectendo, & fricando ſe totas viſciditate tenaci, ex prædictis cutaneis oſcillis egreſſa vel expreſſa, oblinunt, hæc poſtea animetur, inque exiguos vermiculos, absque multo naturæ labore, dividatur, nullatenus cogitando de ovario, quod nunquam obſervatum fuerat, quia anguillæ tempore, quo illud turget, viſumque incurrit, in alto mari, uti dictum fuit, verſantur. Inde namque fit, ut, dum miram illam copiam conſiderant in noctibus illis tenebricoſis, in quibus verſus mare tendunt, nec adhuc dum utero gerunt, ova-

rium tenerum ſit & macrum, ac conſequenter viſum effugiat. Aliis creditum fuit, easdem, quando œſtro accenſæ ſe complectuntur, ſolummodo fœcundas fieri, & poſtquam ſcopulis ſe adfricarunt, materiam illam viſcoſam emittere, quam ſtrigmentum vocant, in anguillas poſtea convertendam; quam opinionem cœca fide hauſerunt ex Plinio, inſigni fabularum venditore, qui lib. 9. c. 61. ſcripſit, *anguillas atterere ſe ſcopulis, & ſtrigmenta viviſcere, nec aliam eſſe earum procreationem*; cui Athenæus, Oppianus, Rondeletius, aliique ſubſcripſerunt, magna audacia adferentes, *complexas coire, & ſtrigmentitium quid emittere, ex quo, cum in limo fuerit, animal generetur.* Id quod, mortuis ſi quis inſervire, Veteribusque favere velit, explicari poteſt, quando rem mitius, nec duriori ac fallaci in ſenſu accipere velimus; quandoquidem poſt affrictionem nil, niſi ova ex ovario ab iſto attritu ad ſcopulos aut ſaxa facto, una cum prædicta lubrica & tenaci materia, expreſſa, remanet. Sed dum boni illi Veteres, aut eorum ſequaces ex ſolo illo ſtrigmento aut viſco tenaci anguillas generari, innuere volunt, longiſſime errant. In ranis, ſalamandris, bufonibus, multisque piſcibus in aqua dulci nec non ſalſuginoſa, ſemper ova cum aliqua viſciditate, quaſi lubrico glutine, eadem inveſtiente & operiente, comitantur, quæ non ſolum ova unita conſervat, ne facilè diſpergantur ac injuriis aquarum exponantur, ſed etiam loco primi lactis & ſucci alimentaris inſervit, usque dum paulò robuſtiora evadant, atque, ut ita dicam, fœtus emancipati ſibimet ipſis cibum quærant & provideant. Ita buccinis marinis accidit, qui dum enati ſunt, innatant & firmantur veluti in membranoſis veſiculis, ſive maſſa illa materiæ gelatinoſæ, quæ ea involvebat, inſtar ſpongiæ perforatæ & omnimode celluloſæ, à Plinio favaginis nomen indepta.

Ex omnibus hiſce, Domini, intelligitis, quantum Ariſtoteles, magnus ille & venerabilis Magiſter, cum omnibus ſuis adſeclis hallucinetur, dum ſexus diverſitatem in anguillis non admittit, ſtatuitque, ova in eis non adeſſe, cum hucusque nunquam fuerint obſervata. *At verò in genere Inſectorum & Piſcium* (ſcribit

bit in lib. 4. hiſtor. animal. cap. 11.) *ſunt, quæ omnino ſexus hoc diſcrimen alterutram in partem non habeant. Nam anguilla neque mas neque femina eſt, neque prolem ex ſe aliquam poteſt procreare, ſed qui eam capillamentis & lumbricis quædam ſimilia interdum adnexa ſibi gerentem vidiſſe ajunt, inconſideratè id aſſerunt, antequam advertant, quæ parte illa gerantur. Et quæ animal gignunt, ſuo in utero fœtum continent, non in ventriculo, ita enim non ſecus quam cibus concoquerentur primordia genituræ. Quam autem differentiam maris & feminæ notarunt, ſcili. et alteram caput habere amplius atque oblongum, alteram, h. e. feminam repandius: hæc eſt non maris ac feminæ differentia, ſed generis.* Id quod in lib. 8. cap. 29. in fine, & in lib. 2. de generat. animal. cap. 4. confirmat. Et certè tam obſcura eſt diverſitas ſexus anguillarum, niſi quis forte fortuna in gravidam incidat, ut Ariſtoteles commiſerationem mereatur, quod temporibus illis barbaris & tam obſcuris eam non diſtinxerit. Hinc eſt, quod attonitus non potuerit ſe continere, quo minus poſteris obſervationem hanc egregiam, ceu rarum naturæ prodigium, communicaret, ideoque eandem in lib. 6. cap. 4. dictæ hiſtoriæ repetiit: *habent mares omnes ſemen genitale, præter anguillam, quæ neutrum, neque ovum, neque ſemen ſortita eſt.*

Diligentiſſimus Anatomicus Dn. Morgogni, clariſſimus noſter Anatomicus, & ipſe Venetiis fruſtra in hanc rem inquiſiverat; unde cum de hac mea obſervatione eundem certiorem reddidiſſem, ſequentia ad me d. 12. Julii hujus anni ſcripſit: *Deſideravimus etiam nos anguillam feminam ſecare, ut ſi non ova, ſaltem uterum, aut alias partes generationi dicatas obſervaremus; huic verò propoſito uniformis omnium piſcatorum ignorantia obſtitit, cum eos de differentia marium à femellis interrogaſſemus. Nihilominus ſummam habuimus ſatisfactionem, dum unus eorum narravit, ſe, licet aliquot mille anguillas alios in fines ſecuerit, nunquam interius quidquam reperire potuiſſe, unde ſexum alterutrius cognoſcere, multò minus ova, aut aliud ſimile in ventre earum videre potuerit: ex qua relatione didicimus, quam difficile hucusque*

que fuerit, horum piscium ovaria debite describere, & consequenter quàm grata naturalium scriptoribus vestra relatio sit futura, quæ (quantum nos legisse recordamur,) facilè prima erit, quæ hucusque producta fuerit. Id quod animum mihi addidit, ut pennam arriperem, & quanquam minus politam eandem susciperem, Vestrisque oculis perspicacissimis, qui antiquam caliginem jam deterserunt, nec unquam bile tincti videntur, exponerem.

Nec omittere volo præclaram Aristotelis observationem, in prædicto lib. 4. cap. 11. notatam, ubi opinionem quorundam impugnat, qui statuebant, quòd fœtus anguillarum in earum ventriculo nidulentur: *ita enim*, inquit, *non secus quàm cibus concoquerentur primordia genituræ*; quod judicium utique laudem meretur. Lumbricos enim, aut vermes capillares, anguillis similes in ventriculis earum dum invenerunt, anguillulas esse crediderunt, qui tamen non aliud quàm parvi vermes, ut ita dicam, serpentiformes vel anguilliformes fuerant. Unde aliquando, cum isti ex anguillis prodiissent, inque magno numero inventi fuissent in loco, ubi deditâ operâ adservabantur, mihi suspicionem pepererunt, anguillas esse viviparas, atque vermiculos illos veras anguillulas. Sed paulò post, fabulam nullam hac fabulosiorem esse deprehendi, postquam ventrem earum aperiendo ejusdem sortis, & magnitudinis diversæ, tum in intestinis, tum stomacho, quin & in vesicula aliqua flavescente & quasi vacua inveni. Id quod ad tractatum Dn. Redi de viventibus in viventibus, non ad generationem earundem referri potest. Neque me in describendas varias talium insectorum à me sæpius observatorum species diffundam, postquam, præter Leevenhœkium, quarundam earum mentionem facit, figurasque etiam sistit in memoratis suis observationibus Dn. Redus, ubi refert, quòd in omnis sortis anguillarum intestinis frequentissime quosdam minutissimos albos vermiculos, & quosdam nigros detexerit, qui utplurimum arcte adhærent, & una sua extremitate tunicæ internæ intestinorum adfixi sunt; microscopio autem perlustrati

figuram

figuram coni præſentant, in cujus baſi caput eſt ſitum, ex quo ſæpe proboſcidem aut cornu, propter minima varia puncta inæquale, vel ut melius dicam, ſpinoſum, foras exſerere, iterumque retrahere ſolent. Ego præter modò dictos, quos quidem obſervavi, plurimos revera anguillis ſimillimos, ſed varia magnitudine præditos animadverti, in quibus per cutem eorum pellucidam viſcera alba inſtar filorum in glomum convolutorum, cernebantur; caudâ pellucidâ, quam frequenter flectebant, erant inſtructi. Alii ſubtiliſſima fila candida referebant, unum inter reliquos longiſſimum, crebris nodis inſtar cannæ diſtinctum inveni, ſimillimum illis, qui ſæpe in barbis, cyprinis, luciis, aliisque, ut & canibus, felibus, muribus, vulpibus & ſimilibus (quamvis craſſiores & majores) & quandoque in hominibus reperiuntur.

Ariſtoteles, ut verum fatear, non parvum impendit ſtudium anguillis, inani licet & parum proſpero labore, nam poſtquam pluribus in locis extraordinariæ hujus, prout quidem ipſe credidit, generationis earum mentionem fecit, ſemper cum exceptione de eis loquitur, ſingulare tamen caput de procreatione anguillarum lib. 6. hiſt. anim. cap. 16. conſcripſit, ubi prolixius ſuperiora confirmat, cuncta mirabilia eſſe judicans: *quòd hoc unum inter ſanguinea genus totum ſine coitu, ſine ovo procreetur*, & concludit cum ridicula, non dicam abominabili illa opinione, cum qua (condonetur mihi juſta hæc indignatio,) totam naturalem hiſtoriam conſpurcavit, quòd ex putredine, aut ſpontè in ſtagnis naſcantur. Exiſtimabat ideo, primò lumbricos quosdam naſci, *tum in mari, tum etiam in fluviis ſtagnisque, putredinis maximè ratione*, quos vocat *inteſtina terræ*, qui deinde in anguillas mutentur; quod multò diffuſius in lib. 3. de gen. anim. cap. 11. expoſuit: *quæ autem* (ſic liberè pergit ſcribere) *inteſtina terræ vocantur, vermis habent naturam, in quibus corpus anguillarum conſiſtit.* Id quod audacter etiam de prima hominum & quadrupedum generatione judicavit, nempe quòd primitus generentur, vel ex ovo, vel ex verme: *Quamobrem*, ſcripſit l. c. de

de prima hominum atque quadrupedum generatione; *ſi quando primùm terrigenæ oriebantur, ut aliqui dicunt, non temerè exiſtima veris, altero de duobus his modo oriri, aut enim ex verme conſtituto primum, aut ex ovo.* Id quod ideo aliqualiter convenit cum duabus famoſis hodiernis opinionibus de generatione ordinaria, dum Leevenhœkius, quem Andry Gallas, aliique moderni ſequuntur, ſtatuit, quòd ipſi etiam homines ex vermibus, quibus plenus eſt teſtis virilis, alii verò ortui ex ovo favent, quæ etiam magis plauſibilis, & fortaſſe aut certè magis vera opinio exſiſtit.

Sed quieſcat magna illa, per tot ſecula quaſi arbitra naturæ, & meta ſapientiæ credita Anima, & quia jam Leevenhœckii mentionem fecimus, ſententiam ejus examinemus, quam in Epiſtola 75. de ſuis experimentis & contemplationibus ad Regiam Societatem miſſa producit.

Primò falſam quorundam ſententiam recenſet, qui adſeruntur, menſe Majo anguillas ex rore generari, quæ noctibus ſerenis plurimæ vix dum enatæ ſupra ceſpites gramine tectos & in aqua ſibi mutuo impoſitos, ita ut gramen aquæ ſuperficiei ſit parallelum, reperiantur. Qua tamen opinione meritò explosâ, ad ſuas obſervationes accedit, notatque, quòd ſub Martii initium in quatuor diſſectis anguillis neſcio quem motum obſcurum in aliquo liquore ſanguini umbilicali, ceu ipſe eum vocat, mixto deprehenderit, & omni poſſibili adhibita tandem tribus diſtinctis vicibus motum illum à vivis eſſe animalculis, quantitate æqualibus particulæ ſanguinem rubrum reddenti, viderit: animalcula ipſa omnia ferè ejusdem molis fuiſſe, atque formata, ac ſi quatuor aut quinque particulæ oblongæ, & in extremitate ſua paulò craſſiores, prodirent è medio exigui cujusdam corporis. Id quod poſtea in multis anguillis itidem confirmavit. Poſt quinque aut ſex hebdomadas menſe Aprili obſervationes iteravit, inque loco, ubi excrementa excernunt, quem ipſe umbilicum vocat, animadvertit, duas adeſſe aperturas admodum vicinas, unde ſibi perſuaſum habebat, inferiorem, quæ minor erat, aperturam

turam esse genitalem; qua in variis anguillis digito compressâ, ex earum aliqua densus admodum & tenax paucus effluebat liquor, quem miraculoso suo, & fortasse interdum creatore, microscopio lustratum vidit non aliud quid esse, quàm cumulum parvorum vermiculorum, longitudine & crassitie anguillis similium, quamvis ex ejusdem judicio animalcula hæc quinquagies capillo essent tenuiora, atque in exigua admodum materiæ copia numerum centenarium excederent.

Post biennium diversas alias fecit observationes, sæpiusque piscatores de generatione anguillarum interrogavit, quos inter duos invenit, qui credebant id, quod ipse Aristoteles non crediderat, meque ipsum primitus ferè deceperat, i. e. quòd ex parvis illis vermiculis nascerentur, qui mense Majo in intestinis & ventriculo earum gignuntur: qua occasione & ipse vermes istos, quos indicavi, describit, eosque prudenter in censu insectorum intestinalium, quæ in omnibus viventibus nidulantur, reponit.

Cum dubitaret, num anguillæ in hyeme, uti alii pisces, generent, de multis anguillis Mense Februario sub glacie capitis sibi prospexit, sed in earum ab ipso sic creditis uteris non aliud quàm minutissimos globulos paulò minores iis, qui sanguinem rubrum reddunt, invenit. In aliis has particulas habere figuram sphæroidicam, in aliis magis in longum extensas fuisse vidit, in multis denique aliis nil detegere potuit; & quoniam certò sibi persuadebat, omnes illas particulas aliquando perfectas anguillas futuras fuisse, piscatorem jussit, omni septimana aliquot recens captas anguillas in domum suam deferre, & tandem cum microscopio animadvertit, (prout ipse mente præoccupatus sibi imaginabatur,) omnes in perfectas abiisse anguillas, quæ tamen, ceu paulò ante dixerat, quinquagies capillis tenuiores erant; in qua immensa parvitate quomodo exquisitam illam perfectionem sine hallucinationis suspicione deprehendere potuerit, capere haud valeo.

Sed mirabatur, quòd inter tot alias paucæ fuerint, in quibus perfectas has anguillulas detexerat, licet experimenta sua usque

in M. Auguſtum proſecutus fuiſſet. Non enim contentus inter tot numeroſas tam paucas vidiſſe, quæ ad perfectionem memoratam deductas continuerunt: unde iterum ſub initium Octobris duodecim ſumſit anguillas decumanas, easque inter non niſi unicam ſolam invenit, quæ in credita matrice perfectas iſtas anguillas habuerat.

Jamque eò ſe proceſſiſſe gloriatur, ut cum nudo tantùm oculo uteros anguillarum intueretur, judicare poſſet, num iis exiguæ ineſſent anguillæ; quæ inſignis jactantia contra eum militat, cum non ſit credibile, quòd animal eâ magnitudine prædituм, qualis eſt anguillæ, tam parvam obtineat matricem, ut microſcopio ad eam inveſtigandam opus ſit, ubi tot alia, ſine comparatione multò minora tam palpabilem & ſine conſpicillis viſibilem habent. Una quidem res ipſi faſtidium pariebat, quòd in nullis anguillulis, licet perfectis, quas in imaginario utero obſervarat, motum videre potuerit; quamvis duabus in anguillis creaturas aliquas vivas & ſe moventes, ſed ſpeciei multùm diverſæ, notaverit, indicio ſanè evidenti, quòd illæ, priores ſcilicet, non fuerint fœtus anguillares perfecti, uti ipſe credebat, cùm hæ ſatis agiles comparuerint. Tandem cum figuris explicat matricem imaginariam, & foramen creditum genitale, per quod anguillulas naſcentes exire credit; coactusque fuit, illam argento vivo implere, alterum verò aciculâ ſignare, ut viſum incurrerent; id quod ordinariis naturæ legibus contrariatur, quæ organa magno alicui operi deſtinata non fabricat cum tam miſerabili anguſtia, nec adeò parva ſciſſura, per quam fœtus in lucem prodeunt, ſpeciatim in piſcibus, aliisque hujus generis femellis.

Concludit cum ambitioſa cenſura, aliquibus ſcripta, qui interdum ova in anguillis ſe vidiſſe, ipſi dixerant; ſupponens, ipſos fuiſſe deluſos, cum aliorum piſcium ova, ab anguillis devorata, non autem propria earum fuerint; quibus nempe carere, cum Ariſtotele, exiſtimat. Tam altè capiti ipſius viva iſta imago, aut ficta vermium ſcatebra erat impreſſa!

Ex omnibus his videtis, Domini, quàm malè ſentiat curioſiſſimus

ſiſſimus Leevenhœckius, & vanè concludat, veram anguillarum nativitatem ſe in lucem produxiſſe, cum nimiâ iſtâ, atque interdum vitiosâ inquiſitione, qua exiliſſimam veſiculam, in cujus liquore ſæpe vermes, aut particulæ, ut ita dicam, vermiformes morantur, pro ovario, ſatis aliàs, & ſine oculis vitro armatis viſibili, venditaverit. Nec anguſtiſſimum foramen, quod ipſe detexit, lubricum eſt oſculum, per quod parvula viventia exeunt, ſed ejus loco, ova per viam notam & communem emittunt; unde anguillas inter ovipara, non vivipara repono.

Præterea videmus, quòd regula ordinaria ſit naturæ, in viviparis etiam ovaria fabricare, quæ præſertim in quibusdam piſcibus, uti aſellis, galeis, canibus marinis, aliisque fœtus vivos qui pariunt, nec non in viperis ipſis, ſunt patentiſſima, ex quibus ova depoſita in uteros eorum, vel uterum ordinariò bicornem, deſcendunt, ubi usque ad eorum perfectionem creſcunt, interea per vaſa umbilicalia & fortaſſe etiam ore nutrimentum ſuum abſorbentia; nec unquam delicatus ille & flexibilis cortex ovi rumpitur, donec fœtus perfectus ex ſuo nativo cubili exeat; id quod in fabuloſa Leevenhœckiana generatione non obſervatur.

Dn. Paullini in erudito ſuo tractatu de anguill. ſect. 1. cap. 2. §. 7. genium recentiorum ſecutus, & ſine præjudicio judicans, Veterum ab opinione recedit, & anguillas, uti omnia alia animalia, ex ovis, ſeu ſemine ſuo naſci ſcribit, nec tamen hoc vel illa deſcribit, contentus tantùm illud adſeruiſſe, à lege communi magnæ matris naturæ ita perſuaſus, cum ipſimet oculis id uſurpare non licuerit. *Nos*, inquit, *ut omnia animalia ex ovis ſeu ſeminiis ſuis, ſic etiam anguillas ex iis naſci dicimus, licet Plinius, Ariſtoteles &c. cum pluribus aliis, ova ſemenque denegent, clamantes, nunquam aliquam captam eſſe, quæ aut ſemen genitale habuerit, aut ova.*

Dn. Redus, optimus ille Tuſcus, magnusque experimentator in laudato ſuarum obſervationum circa animalia viventia, quæ in viventibus reperiuntur, libro, & ipſe cognovit, quòd anguillæ multique alii piſces, qui utplurimum in aqua dulci habitant, in aquam marinam pro ſeminio ſuo excernendo deſcendant, ſed

fortuna, quæ in tot aliis rebus ei favebat, ova iſtarum reperire ei negavit. Ex longa ideo obſervatione tantùm adfirmat, omni anno circa primas pluvias, & menſe Auguſto, in noctibus caliginoſis & nubiloſis; easdem ex lacubus & fluminibus verſus mare in magna copia tendere, inque eo ſeminium ſuum deponere; ex quo enatæ anguillulæ paulò poſt, & quamprimùm rigidum, minusve auſterum tempus permittit, in dulces fluminum aquas adſcendunt, iter hoc ſuum verſus menſis Januarii finem, aut paulò poſt Februarii initium incipientes, non unico, ſed diverſo tractu, & interpolatis vicibus, utplurimum circa finem Aprilis abſolventes. Generalem itaque rei veritatem cognovit, ſed in ſpecie ad ovaria, quæ non viderat, aut ullo modo examinaverat, haud proceſſit, aut in hac, uti in aliis ſuis operationibus deſudavit, nec tamen pœnam olidæ quorundam pigritiæ incurrit; qui clauſis oculis ſequi volunt, ne rubiginoſas opiniones de re, quæ plus virium in malo conſiderando, quàm modum & patientiam in bono obſervando habet, rurſus excutiant.

Et hæc ſunt, quæ notatu digniora ſuper libros tam recentiores, quàm antiquos invenire potui, circa obſcuriſſimam nativitatem noſtræ anguillæ, viventis tam familiaris & domeſtici, cicurisque, ut, ſcribente Nymphiodoro, *è manibus etiam porrigentium panem capiat*, ſacri etiam ab Antiquis crediti, juxta Plutarchum, ab aliquibus *Helena cœnarum*, aliisque *guſtus Regina* dicti.

Videtur Altiſſimus in hoc usque tempus inventionem hanc reſervaſſe, ut omnem ſplendorem à Veſtra celebri Academia obtineat. Sub umbra hac venerabili ex paludibus cœnoſis audacter egreditur, & oblita prioris, incertæ ac ignobilis per multa ſecula creditæ orginis ex ſordida putredine, non ſine aliquo faſtu, coram tam illuſtribus Literatis comparet, jam nunc de ſuis natalibus, certaque non æquivoca injuriosè à ſcholis credita generatione ſecura; quæ, liceat mihi id proferre, ut artem generandi prorſus ſalvarent, eandem deſtruere ſunt coactæ, atque dum eam ſtabilire intendunt, fabuloſam reddiderunt. Sed finiamus.

Omne

Omne nigrum omneque turbidum aquarum iſtarum obſcurarum & cœnoſarum, ex quibus anguilla noſtra emerſit, pennæ meæ ultra modum ſterili & languidæ imputetur, atque à Vobis illum ſplendorem recipiat, quem ſpiritus ingenui, magni & generoſi, verique protectores dare poſſunt, cùm certus omnino ſim, Vos non ex illorum eſſe numero, (prout ex alia occaſione celebris aliquis Scriptor prodidit,) qui manu carnificis, quod Spartanus fecit Magiſtratus, duas chordas, quas prudens citharœdus reliquis ſeptem in lyra antiqua adjunxerat, diſſectas velint, non quòd harmoniam perfectiorem hæ non redderent, ſed quod novum aliquid exſiſterent. Beatos noſtros antiquos Philoſophos populo ſimplici & credulo theatrum fabularum in pulchræ naturæ theatro exhibuiſſe, ſufficiat.

Diſſertationem hanc à Nobiliſſimo Dn. Authore Italice conſcriptam, Latino idiomate exhibere placuit: Unde ſi nativa ipſi deſit elegantia, non Authoris, ſed translatoris id contingere culpa, monere æquum judicamus.

a. *Cor.*
b. *Jecur.*
c. *Folliculus Fellis.*
d. d. *Saccus Ventriculi ex una parte.*
e. e. e. *Inteſtina ex parte extracta.*
f. *Pancreas.*
g. *Lien.*
h. h. h. *Ovarium Inteſtinis ſubjacens.*
i. i. i. *Ornamentum quaſi foliaceum multis pinguedinoſis vaſculis exornatum, non tantum partem unam alteramve ovarii ambiens, ſed etiam verſus ſeſe ſurgens.*
l. *Fruſtulum Renis detectum, verſus regionem Lumborum aſcendens.*
m. *Exitus pro excrementis & ovis.*
n. n. *Membrana fortiter ovario agglutinata.*

De

ARCANO LENTICULÆ PALUSTRIS SEMINE, AC ADMIRANDA VEGETATIONE,

Illustrissimo, & Excellentissimo

D. D. CHRISTINO MARTINELLI ANTONIUS VALLISNERIUS de Nobilibus de Vallisneria,

Publicus in Lyceo Patavino Medicinæ Practicæ Extraordin. Profess. in primo loco, & Academiæ Regiæ Anglicanæ Socius, felicitatem.

VIlissimam rerum Naturæ partem, si spectes usum, formam, natalia, Tibi sisto, Vir Sapientissime, si verò effectuum pondus, Physicæ augmentum, & percelebris quæstionis enodationem consideres, haud penitus indignum gravitate tuâ, meoque obsequio munusculum. Utinam pari studio, ac luce per singulas herbas ire possemus, & simulanti Matris vultum *Putredini* liceret totam larvam detrahere. Quot caderent opinionum commenta! Conatus fui ante plures annos, favente amico Cestono, *a*. Algæ Marinæ semen in apricum proferre, nunc non sine longo temporis, & laboris tædio detexisse mihi videor Lenticulæ palustris Semina, conciliante certiorem invento fidem per secundas observationes Antonio Orsato, nobilissimi sanguinis, & ingenii juvene. Libentissimè convolavit in sinum tuum parvula hæc exploratio, sibi gratiam, & decus aliquod ex magno nomine surreptura. Tu æquus rerum æstimator, & qui omnium herbarum ingenia calles, timidis adhuc seminibus, & de latebrâ sua emergere dubitantibus audaciam, & robur adjicies. Vilia sint aliis inter vetustas fabellas otio languentibus observationum, & experimentorum momenta, ubi præsertim Microscopico Vitro innixa

a *Tom. 2. Mus. Miner. part. 4. p. 121.*

innixa fuerint, lubrico nimis, ut putant, ac fallaci fulcro. Tu interim, cui oculorum acies, & mentis contigit vividiſſima, nec ſolùm patronus es recentis induſtriæ, ſed etiam exemplum, deſcende parumper in amœniſſimum tuum hortum, & viridi ſuperficie à ſtagnantibus aquis derasâ tum animum recrea curis gravibus feſſum, tum veritatem vitio temporum decoloratam.

Hujus ſeminis deſcriptionem multis abhinc annis in ſecundo meo Dialogo inter Malpighium, & Plinium promiſi, *b* uti cernere eſt in Venetæ Minervæ Muſæo, in quo inceſſens juveniliter ortus ſpontanei defenſores, me aliquando demonſtraturum pollicebar Lentium Paluſtrium ſemen, *ch' hanno anch' eſſe molto bella, moſtrabile, e viſibile ſenza occhiali la loro radice, ed i loro ſemi contro tanti glorioſi, ed eruditiſſimi negatori.* Nunc ſtare promiſſis æquum eſt, parvumque inventum parvis meis aliis adnectere.

Ex aquæ craſſitie ſponte naſci credidit Philoſophus *c* cujus generationis modum, quaſi interiora vidiſſet, elegantiſſimè deſcribit his verbis: *Quæ verò per ſuperficiem aquæ naſcuntur plantæ non aliundè, quam è craſſitie aquæ fiunt. Nam dum color aquam attigerit, hæc curſum non habet, quo moveatur, provenit ſuper ea quiddam nubi ſimile, parumque aeris continens, ac putreſcit humor ille, attrahitque ipſum calor, qui per ſuperficiem aquæ eſt expanſus.* Sed ſuo, non Naturæ genio auſcultabat. Diù ſanè multumque hæſitavi, an veritati conſona patefeciſſet, dum etenim tacitus quandoque ſuperficiem aquarum ſtagnantium rimabar, viridem quendam mucum bullulis immixtis turgidulum, qui prima Plantarum aquatilium ſtamina texere videbatur, curiosè obſervabam, ex quo parum abfuit, quin huic ſententiæ meum calculum adderem. Congruentia etenim cum Ariſtotelis dicto notabam, *quiddam*, ſcilicet, *nubi ſimile, parumque aeris continens*. Sed re accuratiùs penſitatâ tandem eò deveni, ut, ni me Philautia fallat, errorem acu pertigerim. Pluries namque

b *Tom. 3. Muſæi Venetæ Miner. part. 2. p. 356.*
c *Lib. 2. Plant. cap. 1. num. 60. p. mihi 1672.*

in die me viridem telam luſtrantem, ac deſideratum herbarum ortum expectantem ſpes irrita fruſtrabatur, dum paulatim cum pallore ſubherbaceo flaveſcens, mox palleſcens mucus, ampullulis turmatim evaneſcentibus, omnem expectationis aleam deludebat. Nimirum primo viridi crediderunt colori, qui & me juvenilibus annis obſervantem penè decepit. Rubet alibi, nigricat, flaveſcit aqua, mutatâque juxta diverſam ſuperficiem lucis refractione incautos fallit, non cognatos effectus prodit. Putant alii, inter quos Licetus de Ortu Spont. cap. 23. quod ex pulvere, corraſisque cadaverum, ac plantarum ramentis in aquas deciduis priſtinos ſpiritus adhuc tanquam in putri vaſe continentibus deformes animæ rurſus pullulent, cogitantes ita ad meliorem frugem Ariſtotelicas revocare affanias. Ipſe vides, pauperum ritu foris emendicant, quod non inveniunt domi, animarumque transplantationem etiam in plantis Pythagorico ſomnio cudunt. Ceſpitantes cœcorum more à verâ viâ aberrant, dum alter dextrorſum, ſiniſtrorſum alter tendit, neuterque ad ſcopum collimat. Tabeſcent in aquâ ſquallidâ inutili ſtructuræ conatu pallentes, ut ita dicam, animæ, ſi loci genius non reſpondebit, lentoque tabo fatiſcent. Ita videmus grana ipſa integra ex nimiis pluviis Cœlo cadentibus in cultis etiam agris putreſcere. Id quod fortaſſe Ariſtotelem, omnesque ejusdem, alioquin doctiſſimos ſectatores decepit, fuit, quod interdum Lentis, vel alterius aquaticæ plantæ ſemina à vento, vel præterfluentibus undis, aut animalculis transportata intra viſcoſas muci areolas progerminarunt, falſamque originem præoccupatos Philoſophos docuerunt. Vel quod dictæ præcipuè plantæ ſemina folliculo proprio involuta, vel foliolo tabefacto incluſa germina, dum è limo ad aquæ ſuperficiem inobſervata aſcendunt, quendam veluti nubeculæ glomum aëre tumentem effingunt, ut poſtea patebit: Calor enim, aqua, ſordes ſemen actuant, fibras expandunt, totum nutriunt, non generant.

Deſcriptionem totius plantæ ſubdit Philoſophus, *Radicem verò, d* inquiens, ***non habet: nam in duris terræ partibus fixæ ſunt***

d *Eodem dicto loco.*

ſunt radices, neque folia habet, nam à temperie multum abeſt, & neque partes ipſius inter ſe cohærent. Quod etiam Theophraſtus & Theophraſti, & Ariſtotelis Commentator Scaliger *e* confirmavit, *Absque radice* (ſcriptum reliquit) *non paucæ vel exemptæ vivunt, ut Sempervivum, & Aloe, aut ſua natura, ut aquatica Lenticula. Sic homo vivit mancus, & Lacerta amiſſa cauda.* Quibus ſuccenturiavit etiam Dioſcorides lib. I. cap. II. An hæc cum veritate conſentiant, primus Spigelius *f*palam fecit, dum hujus plantæ radices ante ſe neminem obſervaſſe miratur; Matthiolus tamen ante Spigelium eas ſub nomine capillamentorum indigitavit. Quod ſanè rudi etiam obſervatione adeò patet, ut nullus dubitandi locus relinquatur. Non tamen harum radix in adeò longa filamenta protenditur, ut in altiſſimis etiam aquis fundo adhæreſcat, ut nonnulli volunt. Sæpè enim innatat, & à ventis quandoque ſine ullo ſui detrimento hinc inde diſpergitur, quandoque per mucoſam quandam pulticulam undis inſidentem ſerpit, præcipuè, ſi recens nata, & in altis gurgitibus nunquam fortaſſe radiculis ima petit. Neque unquam vidimus, ſi caſu à pigris aquis, ab inundationibus, vel è nativo loco deradatur, atque ad fluminum ripas transvehatur, quod adeò adoleſcat, *ut in plantam cauliformem excreſcat Siſymbrio conſimilem*, quod Dalechampius, & Matthiolus Dalechampio prior, ſe obſervaſſe non ſine admiratione teſtantur. Acaulis enim eſt, in principio ſaltem Monophyllon, reptilis, uniradix, ſeminifera, veſicularis. Vidimus enim ſæpè in umbroſis Littoribus hanc in latus mirè expanſam, non in altum erectam, cum loci genius, pinguesque, ac rorantes glebæ magis fœcunda ſemina, plantamve magis ſucculentam, ac luxuriantem reddere, non primam illam inſculptam, ut ita dicam, ideam, tam enormiter detergere queant. Quoniam, ſi hoc minimè à vero abluderet, felix hæc aquarum incola, tam admirabili dote, ac, ferè dixi, Protheiformi vultu ditata ſuper alias hujus ſaltem generis emineret herbas, nam ſi in Siſymbrium, vel in Siſymbrio conſimilem, & Siſymbrium in

e *In lib. 1. de Plant.* f. *Iſagog. lib. 2. cap. 5.*

Mentham vertatur, ut Theophraſtus, & alii credunt, fatali permutationum gyro, antiquo prorſus humili charactere deleto, in altiſſimas plantas adoleſcere poſſet. Sed hic inter clariſſimos Viros, quos ſummâ veneratione proſequor, pulverem excitare non audet animus, an detur ſcilicet hæc vera in vegetabili regno metamorphoſis, an ſit ſimplex morboſa alteratio, aut laſcivientis naturæ luſus. De hujus plantulæ tranſmutatione ſanè firmiter dubitamus, ſi ejusdem ſtructuram, modumque vegetationis ſpectemus. Si enim nòn miraculum eſt, ferè eſt miraculo proximum, quod forma hæc ſaltem mutetur in aliam adeò diſſimilem, ut cum Scholis loquar, vel quod hujus forma interna ſit capax diverſæ formæ, vel figuræ totaliter diſcrepantis, vel quod in eadem ipſa materia diverſæ formæ nimium advenæ exiſtant. Quod etiam ſtrictiùs præclarum illud ſapientiſſimæ Societatis Ieſuiticæ lumen Honoratus Fabri notavit g. Hinc potius fibrarum plexum aliqualiter poſſe immutari, non ſeminalem formam conſtanter accuſat. In multis etenim plantæ vitiatæ debent eſſe, ſecundum laudatum auctorem, non vitiatis ſimiles, in multis diſſimiles, quod in Lenticula, & Plantæ Siſymbrio conſimili deſideramus. Putre igitur iſtud antiquorum ulcus, ſi penitus eradicandum non eſt, mitigandum ſaltem, & ad meliorem Naturæ ordinem reſtituendum. Plures namque præconcepta opinio, & ſimilitudo aliqualis decepit, multos oſcitantia in obſervando, & nimia credulitas. Eò enim incauta, & audax quorundam ſimplicitas devenit, ut ad miraculum usque Plantarum transmutationem evexerint, *Arborum nempè in Agnos, frondium in Aves, fructuum in Vermes, Granorum in Mures*, quæ omnia inter alios, exemplo Teredinum, quæ in medio ligno latent Petrus Joan. Faber pro infallibili veritate aſſeverare non erubuit.

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primum
Cura fuit.

Nos uſque adhuc centenis experimentis attriti, nullam veram,

g. *Lib. 2. de Plant. Propoſ. 105.* *Agnus Tartaricus &c. Anates Bernicla &c. Plinius Nel mon. Ariſtotel. ferè omnes Panchym. lib. 3. c. 5.*

ram, & realem metamorphoſim, nullum ſpontaneum ortum neque in animali, neque in vegetabili regno vidimus. Expectamus tamen in poſterum, ſi hæc ſpeculandi felicitas inoleſcet, quod & plantæ gignant homines, & Ovidianæ fabellæ ſub Philoſophica Porticu ſuum locum inveniant, fidemque, ac gratiam aliquando meditantium habeant. Multa ex anilibus hiſce figmentis obſervationi, & experimento innixus in meis Dialogis ex veritatis albo delere tentavi, alia in Opuſculo, quod meam adhuc curam deſiderat, averruncare conabor.

De Lolii etiam transmutatione, quæ tam altè populorum in mente ſedet, ſubdubito. Obſervavi enim ſæpè, quod tempeſtate ſiccâ humile repit, ita ut interdum vix ad ſpithamæ longitudinem excreſcat, hinc cum non æquet proceritate triticum, inter ſtramina, ſtipulasque calcatur pedibus, & inobſervatum latet, cujus ſemina rurſus humi cadunt, ibique ſervantur. E contra verò pluvio Cœlo campos nimis irrorante Lolium cum aliis malè natis ſeminibus luxurians non ſolùm Tritici culmos, & ariſtas exæquat, ſed ſuperat, triticum vel obruit, vel occultat, marceſcente interea plurimo tritico, plurimo effœto, humilique pallente. Dum autem ruſtici meſſores ſegetes tundunt, Lolium ſiccâ tempeſtate breviuſculum non palmant, coëumque in agro relinquunt. Quod humidâ tempeſtate non evenit, imò contrarium ſequitur. Hinc orta primò apud bardos ruſticos æquivocatio, quod Lolium in Triticum, Triticum in Lolium mutetur, quæ fabella neſcio, quo fato, è campis in ſcholas irrepſit. Id quod clarius patet, ſi datâ operâ ſeratur utrumque in terrâ cribratâ, & cordatè celebretur experimentum. Incaſſum enim decantatam transmutationem expectavit Malpighius, ut in Opere Poſthumo teſtatur, incaſſumque pariter, ſi ulla meis verbis fides, per biennium tentavi. Id quod etiam aliis, & ſignate D. Camerario *h* contigit. Ait enim, quod celebratis per triennium experimentis, ſicuti, nec unius quidem grani tritici in Lolium mutationem obtinuit, ita ſecundò nec avenam vel ſiccâ, vel humidâ cul-

h. *Ann. 3. Decad. 3. Miſcel. Cur. Ger. Obſer. 143.*

culturâ eò deducere potuit, ut aliquando loliaſceret. Adeò utrumque fuit conſtans, & Naturæ ſuæ tenax. Quod pariter confirmat Tanara rationibus, & obſervationibus innixus in ſuo Libro Oeconomico, *i* cujus auctoritatem in hac quæſtione non parvi pendendam exiſtimamus, cum celeberrimus ſuorum temporum Agriculturæ Magiſter extiterit, uti ex ejusdem Conſiliis patet. Concludit enim: *Che perdendoſi aſſai formento per cauſa delle ſoverchie pioggie a lui nocive, in ſuo luogo ne' campi moltiplica, e popola il Loglio, l' Avena, & e quella ſteſſa, che hà portato nel Campo il Villano o nel Lettame, o nel Locco*, vel addo ego cum tritico malitiosè, vel oſcitanter immixta, vel inviſa in agris annis elapſis relicta, ut innuebam. Ita fallaciæ ſubſunt in aliis vulgò creditis transmutationibus, ut Lini in Dracunculum, ſi ejusdem ſemen perforatæ cæpæ committatur, ni me experientia fefellit, & ante me, magnos illos Naturæ genios, Geſnerum, Matthiolum, Hiſt. Lugd. A. Dalechampium, Bauhinum. Imo, pace etiam clariſſimi Malpighii, quod Uvarum racemi in Capreolos udo tempore vertantur, valdè dubitamus, ſed racemi remaneant ſemper racemi, licet officio quandoque Capreolorum fungantur. Interdum etiam Capreoli b. b. b. & l. l. in racemo hinc inde nati poſt piſtillorum caſum adeò excreſcunt, ut obſcuratâ racemi ſtructurâ in ſui officium cogant illum deflectere, in cujus obſequium à Naturâ deſtinabantur. Succus enim, qui copioſus per hiantes fiſtulas adhuc fluit, ut Botrum, vel ſucculenta uvæ grana nutriat, cum non inveniat piſtillos, vel rudimenta Baccarum, quæ in uvam faceſſere debent, corrivat ad annexum Capreolum, eumque ampliat, & roborat. Hinc enormiter elongatur, & creſcit, ac ſupra racemi coſtulas adoleſcit. Ex quo patet, cur lætior soboleſcat acuto, & flexili mucrone, atque ſpiraliter obliquatus contorto funiculo non abſimilis, quicquid arripit, arctiſſimè ligat. Ab hoc verò non ſequitur, quod racemus in Capreolum vertatur, ſed inſerviat potius pro baſi, vel fundamento Capreoli. E contra, ſi uvæ granula non cadant, cum ſibi ferè quantum ſucci aſcen-

Tab. 1. Fig. 1. & 3.

i *Lib. 6. p. 451.*

aſcendit, aſciſcant, & abſorbeant, Capreoli exinaniti, ut plurimùm areſcunt, & cadunt, ſicuti etiam ut plurimùm, racemo proprio partu orbato, poſt paucos dies flacceſcentia & marcor ſuccedit. Ita provida Mater natura vel rerum neceſſitati, vel ſuperfluitati proſpexit.

Non diſpari modo ſuſpicamur de multis aliis, quæ vulgò in diverſam ſpeciem verti creduntur. Alterari poſſe ultronei concedimus, transformari in totum ambigimus. Statutas & plantæ ſuas leges habent, & monſtrorum ipſa generatio non eſt penitus exlex. Creationis etenim, non mutationis naturam redolet perfecta metamorphoſis. Seminum illa turpis immixtio ſuas ſervat motuum & figurarum coordinationes, cognatasque cohærentias, quorum quodlibet ſuo munere fungitur, non violato penitùs primo illi indito imperio, ſed alterato, propter diverſum aliqualiter loci genium, diverſos contactus, intruſasque diverſas, ſed amico plexu moleculas. Hinc monſtra utriusque parentis Naturam ſapiunt. Iisdem & plantulæ, ſi ſpecierum ordinem ſpectes, obſtringuntur legibus, ac animalia. Alterari poſſunt, immiſceri ſemina, non antiquam penitus exuere formam, ſive ſtructuram novam induere. Quandam etiam analogiam habes in metallorum mixturis, ex quibus reſultare videtur nova metalli ſpecies, deletâ veteri, quod falſum eſt, ſi ſtricto modo loquamur. Quodlibet enim rurſus propriis menſtruis ab aliorum conſortio dividitur, ac præcipitatur, priſcumque revocat ingenium. Cautè igitur totales tranſmutationes etiam in vegetabili Regno ſtatuendæ ſunt, ne fiat ſpecierum confuſio, ac inanis multiplicatio, cum criſpæ, crenæ, coſtulæ, vel fibrillarum major laxitas, aut corrugatio poſſit diverſam aliqualiter apparentiam, non novam formam inducere. Ita hominum facies, licet tot lineamentis multiformis humanam ſpeciem non variat. Detorquet igitur, intricat, immiſcet, abbreviat, expandit monſtrifica interdum natura, vel in morboſo ſtatu neceſſitate coacta, vel artis libidine adulterata, vel nimio ſucco dives fibrillas, fiſtulas, areolas, utriculos, non primam illam ſeminum, ſalium, cri-

brorum, ſpirituum indolem, vel ideam penitus immutat, ni perdat.

Ex quibus omnibus deducere eſt, falſam etiam Lenticulæ noſtræ transformationem in plantam Siſymbrio conſimilem, licet feliciori aſpergine, vel uberiori ſoli gremio enutritam, quicquid afferant Matthiolus, ac Dalechampius, cum potius agglomeratam cum Siſymbrio, vel arctè amplectentem viderit, diſtortum etiam forſan Siſymbrium, & ab ordinaria figurâ aliqualiter devium, ob novum incolam ibi hoſpitantem, quod anſam errori dedit. Plantæ enim aquaticæ ſumuntur pro exemplo à Scaligero *l.* ut demonſtret, quod nonnullæ adeò agreſti pollent ingenio, vel, ut ipſe ait, *ruſticitate, ac feritate adeò ſunt indomitæ*, ut nullo modo mutentur. *Ac ſanè* (ſcribit) *aquaticæ plantæ ſatis ſunto pro exemplo nobis. Quo enim cultu fiat melior vel Alga, vel Praſſum, vel Lenticula, vel Salgamazum?* Si non miteſcere, nec immutari poterunt.

Ita malè *uvam barbatam*, tanquam rarum in Naturâ Monſtrum poſuit Lycoſthenes, aliique ſtupidi admirabilis amatores, cum barba illa pendeat à cuſcutâ, ab ejusdem ſemine caſu à ventis delato, Uvæque Botris annexo, ac germinante, ut aliàs animadvertebam, quod elapsâ æſtate Liburni pariter, præſentibus doctiſſimis viris D. D. Marcellino, & Jo. Conteſtabili, cariſſimoque Ceſtono in Ocymo Teſtis floralibus impoſito cernere erat, arte Cuſcutâ velato, quod malè nonnulli credulis, ac imperitis pro Ocymo particularis ſpeciei capillato imponebant. Sed me nimis in longum res abripit provocante materia. Manus ad tabulam.

Naſcitur Lens paluſtris ex proprio ſemine, quod ſub folio in folliculo lateralibus quibusdam in areolis genito latet, donec matureſcat, ſenſimque ſe prodat. Obſervatur variis anni temporibus, ſed præcipuè in ſuis utriculis Menſe Julii, aut Auguſti, & quandoque Septembris, ſi anni tempeſtas non adeò torreſcat, vel ſi Lenticula ſub umbraculis deliteat.

Primis

l. Lib. 3. Theophraſt. de cauſ. Plant.

Primis Autumni, hyemisve frigoribus in fundum aquæ ſtagnantis major pars Lentis deſcendit, limoque ſedet, à quo rurſus primis vernæ tempeſtatis caloribus, cum Cœli clementia frigoris ſævitiem mulcet, ſenſim attollitur, & ſuperficiem aquæ petit, provido ſanè Naturæ conſilio. Hinc lacus, foſſæ, paludes, paucâ, aut ſine viridi cruſtâ hyemali tempore ſqualent, niſi riparum marginibus, aut quisquiliis, radicibus, aliisve herbis ad invicem agglomeratis innatantibus caſu adhæreſcat. Cum enim ſucculenta ſit herbula, fibrisque, ac membranis tenerrimis contexta, ne brumali aſperitate tabeſcat, proviſum eſt, ut primis rigoribus conſtrictæ ejusdem veſiculares capſulæ, quaſi ſpongiformes ſacculi tantum aëris eructent, quantum ſufficit, ut ſpecie gravior evadat aqua, ſicque, propter etiam fortaſſe ejusdem figuram minus expanſam, fundum petat, ibique ab injuriis frigoris ſartatecta degat. Tepeſcente autem rurſus vernali tempore aquâ, dilatantur denuò veſiculæ, pulmonaresve quaſi tracheolæ, tantumque aëris abſorbent, quantum eſt ſufficiens, ut iterum levior aquâ evadens, ſeſeque magis expandens ſumma petat, ibique vireſcat, atque fœtificet.

Nec ſolum Lens, ſed & Lentium ſemina idem fatum ſortiuntur, hinc volupe eſt, citra Lacuum ripas ſedenti, cum radii ſolares aquas concalefaciunt, videre eadem aſcendere, nec non viride, leviuſculum, uliginoſum quoddam fundorum ſedimentum, bullulis hinc inde turgidulum, variasque in fimbrias dilaceratum, quod poſtea tenerrimis plantis, uti terra levis in teſtâ natanti, nutrimentum uberrimum præbet. In illo enim ſuam figunt quandoque radicem, quæ tunc alboviridi colore ſuffunditur. Plures Lentes gregatim uniuntur, uniusque folium alterius marginem ſuperequitans, velut imbricatim diſpoſitum adeò extenditur, ut brevi tempore herbaceo veluti tabulato totam aquæ ſuperficiem occultet.

Die prima Martii obſervationes ordiebar, quà favente aëris tepore ſedem mutabant, & die decima Maji jam ubique, quanta erat foſſa, læto germine vireſcebat. Ubi verò ſolaribus radiis ma-

gis erat obnoxia, cum virore dilutus rubor, & pallida flavedo foliorum dorsum colorabat, quod oculo vitro armato spectatum punctis purpureis in viridi-flavescente cortice tessulatim veluti dispositis exornatum apparebat.

Revoluta folia, quæ in rudem orbem, seu ovalem figuram rotundantur, turgebant admodum inæqualibus, & ferè diaphanis tuberculis, quibus apertis manifestabantur loculi cum exiguis, & ferè invisibilibus granulis, quæ pro primis seminum rudimentis accepi.

Observatâ scrupulosius aquâ inter retiformes illos radicum, & fundi crustæ plexus maxima exiguorum folliculorum quantitas reperiebatur, qui, ut postea didici, nil aliud erant, nisi capsulæ seminum, vel pelliculæ earundem vacuæ, è quibus semen eruperat, vel etiam lentium antiquarum tabefacta folia, quæ postea describam. Turmatim quandoque omnia hæc insimul adsociata vicissim inosculantur, ita ut *Favaginis Marinæ* figuram ferè æmulentur. In nonnullis tamen tum foliolis prædictis, tum folliculis casu non emissam lenticulam vix germinantem aliquando vidimus, quæ vel ob tabum contractum, vel ob deficientiam ambientis albescebat, ut aliis herbis humi sepultis, vel ab aere non perculsis contingit, quæ Receptaculum novorum foliorum, vel seminum esse, me nondum satis edoctum, ac titubantem firmabant.

Ferranti Imper.

Dum Lentium dorsa in lenem tumulum in medio fastigiata Microscopio lustrabam, in erosa cujusdam cute alveolum excavatum inveni, in quo bina exigua ovula coloris albi, tanquam in nido deposita protuberabant, quæ tam enormis parvitatis erant, ut quamlibet nudi oculi aciem etiam acutissimam præterfugerent, è quibus diligenter in vase vitreo aqua pleno proprio in cubili servatis, post octo dies bini agiles, albique vermiculi eruperunt, de quibus in meo *Generali insectorum Opere* fusius agam. In parte etiam inversa folii sæpè variæ erosiones reperiuntur, quæ seminum capsulas dilaceratas facilè mentiuntur, memeque non semel primis diebus harum invento inhiantem decesperunt. Vide Fig. iiij f. d. Tab. 3. Plan-

Plantula hæc Monophyllon eſt in primo exortu, atque rotunda, è cujus centro, quaſi ab umbilico deorſum verſus radix deſcendit. Hæc quandoque ſerpentiformis eſt, & bruma præcipuè, cum caſu aliquo aquis innatat in cincinnos in fine revolvitur. Baſis radicis per folii ventrem variis ſurculis, ac propaginibus divaricatur, quod ſolùm in reſiccatis patet, ut in Fig. ſexta conſpicuum eſt. Quando enim herba virens ſuo turget ſucco, potius quaſi e vaginulæ labris extra monticulos ſemicirculares exit anticam verſus partem dulciter prominulos, ubi ſulcus potius apparet primis eruptionis diebus excavatus. Vide Tab. 2. Dum creſcit folium, figuram ovalem ſortitur, ſenſimque ſine ſenſu tumet lævorſum, atque dextrorſum in parte acutiori, ex cujus marginibus inter corticem ſuperiorem ac inferiorem tandem fiſſura utrinque hiat, ex quarum ſingula ſingulum aliud foliolum erumpit ſub forma verè lenticulari. Vide Tab. 2. Poſtquam mediocrem adepta ſunt hæc mox enata foliola magnitudinem, è medio eorum incipit pariter emergere radix diaphana albovireſcens craſſiuſcula, tenella, obtuſa, horizontaliter tunc curvata, & in prædicto ſulco ſemi-ſepulta. Vide Tab. 2. Emiſſa radice, quæ paulatim perpendiculariter dirigitur, terramque verſus elongatur, in juſtam magnitudinem folia expanduntur, apparetque tunc temporis ab hiantibus primi folii labris adhuc appenſus funiculus, veluti umbilicalis, à quo nutrimentum ſugebat, adhucque forſan ſugit. Vide Tab. 2.

Tab. 1. Figura 6. d. d.
Tab. 2. Fig. 1. f.
Tab. 2. Fig. 2. g. g.
Tab. 2. Fig. 6.
Tab. 2. Fig. 3. & 4. d. g.

Interea hæc folia lateraliter enata aliis foliis lateralibus & ipſa turgent, quæ pariter elutriantur à conſimilibus parenti rimis. Vide Tab. 2. Non ſemper tamen utrinque germinant lateralia hæc foliola, ſed interdum etiam ex una tantum parte prolificant, & ſi utrinque, diverſo quandoque tempore, ita ut unus fœtus adultus appareat, altero vix enaſcente. Id quod curioſè notabam, eſt, folia hæc lateralia nunquam erumpere à folii apice, qui primus lucem vidit, ſed ſemper à parte poſteriori, quæ ultimò emerſit. Rurſus nata folia fœtificant, ita ut circa primum folium, quod alia genuit, ſex & ſeptem parvo temporis inter-

Tab. 2. Fig. 3. c. d. e. f.
Fig. 4. b. c. c.

vallo emicent, ita ut citò videat, penè dixerim, filiorum filios, *& qui naſcuntur ab illis.* His adde, quod progreſſu temporis ligamentum illud umbilicale diſrumpitur, ita ut ſui juris facta, & quaſi emancipata primò nata folia eodem modo nova progenerent, ac portentosè multiplicent. Ex quo clarè oſtenditur, cur tam citò ſoboleſcat, viridique amictu aquas omnes, quas ſemel invaſit, cooperiat.

Vides igitur, Nobiliſſime Domine, quomodo feſtinanter propagetur fœcundiſſima hæc aquarum hoſpes, vel propagari etiam poſſit ſine ſeminum auxilio ſemel à ſemine nata, & quomodo unicum tantum foliolum tot fœtuum feraciſſimum immenſam aquarum molem occupare poſſit. Ita Ficus Indica, vel Opuntia, aliæque plantæ ſucculento folio ditatæ, hac gaudent dote, quod nempè tùm mediante ſemine, tùm ſolis foliis in amico ſolo diſpoſitis radices agant, & plurimæ evadant. Hinc quaſi effugit, quod hujusmodi Plantæ ſunt *Viviparæ, & Oviparæ.*

Quandoque obſervabam, quod folium primiparum flaccefcit tandem in ea præcipuè parte, ex qua fœtus eruperunt; quandoque totum exſiccatur, remanente ſolùm veluti Spongiformi ampullula, nidulante adhuc in una parte viridi prole vix germinante. Hyemali præcipuè tempore plures lenticulæ, quæ fundum petunt, hoc fato laborant, aſcendunt tamen & ipſæ primo vere ſub forma nubeculæ ab Ariſtotele olim obſervatæ, ſobolemque virentem, quæ ante earundem marcorem perfecta erat, produnt, ut ſuperius delibavi.

Folium reſiccatum, tabefactum prius, deinde rurſus aqua turgens, ſi transverſaliter reſecetur, apparet undique cavernulis antroſum, variis veluti laminulis, aut parietibus arrectariis hinc inde diſtinctum, ut in Tab. 2. patet.

Nec ſolum propagatur foliorum beneficio, ſed ſeminum. Adeò eſt cordi Naturæ viliſſimæ hujus plantulæ conſervatio. Sub folio enim celat ſua ſemina in ſubrotundis quibusdam loculamentis, quæ ſupra planum folii, quaſi verrucoſa protuberant, ut in Tab. 3. Fig. 6. b. cc. Tab. 3. cernere eſt. Hæc loculamenta, vel veſiculas ſeminigenas innu-

innuere videtur Mauritius Hoffmannus M. D. in ſua Flora Altdorfina, ubi de Lenticula aquatica mentionem faciens, *Paſſim*, inquit, *in ſtagnis duplex occurrit, foliis majoribus ſubtus rubentibus, & minoribus in veſiculas diductis in fine æſtatis, à quibus radicum filamenta manifeſtiſſimè deſcendunt.* Modo unica, modo duabus pollet veſiculis. Flores non producit, niſi ficuum exemplo, in ventre condantur. Non in omnibus Lentibus reperiuntur, vel quia multæ ex nimia foliorum generatione velut effœtæ tandem ſterileſcunt, vel quia, ut in Cannabe, aliisque ſimilibus aliæ infæcundæ, aliæ ſeminali ſucco graves luxuriant. Lentè ſemen coquitur, atque maturat propriæ placentulæ, atque pedunculo affixum. Elegantiſſimæ in ſuo pericarpio involutum figuræ eſt, oblongis perſimile Melopeponibus, exiguæ adeò molis, ut vix oculis nudis appareat. Sulcatur per longum flexis canaliculis per æqua intervalla diſpoſitis, qui à baſi in mucronem deſinunt, eminentque inter illos diſtincti pulvini arcuato dorſo prominuli, ut Microſcopium minimè fallax oſtendit. Vide Tab. 3. In decem & quatuor circiter ſegmina reſecatur, pulpaque gaudet ſubalbida ſua calyptra, & duriuſcula theca involuta. Folliculus, qui ſemina ſuo ſinu fovet, bicapſularis eſt, quarum quælibet, tanquam vagina ſepto intermedio diſtincta, ſuum granulum ſervat. Hinc in quolibet duo grana ordinaria Naturæ lege præcluduntur. Ejus figura ſubrotunda eſt, uti Tab. 3. patet. Exſiccatus ſulcis ſubobſcurè excavatur, ſequens forſan lunatas ſeminum crenas, nonnullique bifido mucrone divaricantur, ut in Tab. 3. ſecuti numerum formamque ſeminum, tanquam in modulo contentorum. Proprio & folliculi gaudent petiolo, per quem nutritius ſuccus, aerisque moleculæ meant, & remeant. Cum ad perfectam maturitatem pervenere, ſuo jure gaudent, quoniam ligamentis, quibus annectebantur, laxatis, à materno velut ubere diſcerpuntur, hinc clauſis antiquis hoſtiolis, novis adapertis, aliæ circulantis humoris leges, ut in animalibus, ſtatuminantur, ac aliundè victum ac augmentum quærunt. Ab aqua ſcilicet pingui, terra, ſalibus, aliisque neceſſariis particulis ſaturata ſugunt

Tab. 3. Fig. 3. c.

Tab. 3. Fig. 1. a.

Tab. 3. Fig. 2. b.

ſubtiliora ramenta, ut evolvatur incluſum germen, partesque in arctum ligatæ, vel in compendium coactæ expandantur. Ita creſcente ſeminum mole, & deficiente capſularum circumferentia foras ex poſtica parte folii exprimuntur, ut libertatem nacta ſibi vivant, ac ſoboleſcant. Fundum ut plurimùm ſubitò petunt, ut magnæ matris forſan amico calore foveantur, vel pinguiori aut craſſiori ſucco imprægnentur, deinde dilatatis tracheolis, ac aere copioſiore intruſo, ſenſim rurſus aſcendunt. Sic fœta & aereo ſpiritu, & nutritio ſucco ſemina thecam dilacerant; apparetque ſtatim marginatum ſubrotundum foliolum viridi pallore perfuſum, donec firmius factum ſaturatur magis, & crescit. Quandoque vel delaſſata fibrarum in nativis utriculis vi energetica, vel incongruè filamentis marginalibus criſpatis, ſeminum capſula, tanquam in utero retinetur, in quo interdum pullulant; vique tunc facta vel ſibi vias dilatant & exeunt, vel etiam in utero incarcerata progerminant. Imbricatim ut plurimum Lenticulæ per aquas repunt, viridemque telam lento, ut ita dicam pectine, laxoque nodo percurrunt. Fig. 5. thecam ſeminum è folio prodeuntem oſtendit.

Tab. 3. Fig. 5. a. b.

Nec novum eſt in Natura, Præclariſſime Domine, quod aquaticæ Lentes ſemine gaudeant. Datur enim, & alia Lentium ſpecies, in quarum radicibus appenſa ſeminum pericarpia, evidentiſſimè patent. Hæc alia Lentium familia à Bauhino Patavina vocatur, non quod alibi non ſit obvia, ſed quia forſan hanc primò in Patavinis aquis ſtagnantibus obſervavit, ut clariſſimus Botanologus, mihique amiciſſimus Io: Baptiſta Scarella affirmabat. *Sub foliis*, inquit Bauhinus, *ſubrotundis copioſæ lenticulæ aliquando ſingulæ, aliquando ternæ, & quaternæ rugoſo prætenui cortice donatæ adhærent, quibus ſemen copioſiſſimum, minutiſſimum, & flaveſcens includitur. Sapore aqueo conſtat.* Loquitur de illa Lente, ad cujus coſtulas longiuſculas adnaſcuntur utrinque in alæ modum folia denſo agmine mutuò ſeſe plurimùm tangentia ex oblongo rotunda, ſemuncialia, ſuperius ſtigmatis notata, inferius muſco, ut ipſe dicit, obducta, quam Cæſalpinus etiam deſcripſit.

Hiſtor. Plant. l. 37.

Datur

Datur & alia Lens quadrifolia dicta, quæ & ipsa futuræ plantæ numerosa incrementa servat, semuncialibus pediculis cohærentia, & circa ramulorum divaricationes, pediculorumque exortus nixa. Hanc primò acceptam fatetur Matthiolus *m* Jacobo Cortusio, qui postquam eam diligenter descripserit, *Semen*, addit, *profert in racemi modo in ipso Caule intra foliorum pediculos, Lentium ferè effigie, non tamen adeò, ut in Lente compressum subnigrum, & longiusculis pediculis appensum, densum, durumque.* Id quod Bauhinus, Histor. Lugdun. ac Cæsalpinus, ut oculati testes firmarunt, quibus alias addam observationes, si Deus ac Veneti Patres meliora dabunt otia.

Si igitur & aliæ Lentium species non ignotis turgent seminibus, ut auctoritate & facili patet observatione, mirari desinent acerrimi spontaneæ generationis assertores, si & nostra etiam vilis Lenticula inter abjectam nascentium ex putri plebem infimo in subsellio certò certiùs posita, nulli, nisi Anati, cum pumila est' in cibum gratissima, semine & ipsa proprio lasciviat.

Tournefortius, clarissimum sæculi in re herbaria lumen, cautè admodum herbarum, quæ sine semine nasci creduntur, Classem instituit. Inter utrumque solerti dexteritate pendet, nec à se assensum totaliter impetrat, nec delet. Magnorum scilicet virorum in modum nec aliis nimis, nec sibi nihil fidit, sub judice pendentem litem relinquens. *De herbis*, inquit, *n maritimis, aut fluviatilibus, quarum flores, & fructus vulgò ignorantur.* Sperans, scilicet, quod quis aliquando, vel alterutros, vel utrosque cognoscat. Nonnullas etiam hujus arcanæ indolis plantas in albo reliquit, quarum accurata disquisitio, vel lento gradu maturescit, vel nondum satis operosam scriptorum limam experta est. Multa enim usque adhuc latuere vitio temporum, non hominum, nunc meliori fato, temporum usu, hominum industria patebunt.

Nonnulla supereffent enodanda, sapientissime Domine, an nempè Planta hæc vere dici possit *Monophyllon*, licet mediante

m. *In Comm. lib. 4. Dioscor. p. 783.* n. *Inst. Tom. 1. Class. 17. sec. 2. Gen. 8.*

quodam villo, quem *funiculum umbilicalem* vocavi, progreſſu temporis pluribus aliis adhæreſcat foliis, & an rectè appellari queat *Vivipara ſimul, & ovipara.* Sed hæc ſummæ tuæ ſapientiæ, celeberrimo noſtro Viali, præclariſſimis fratribus Triumphettis, aliisque egregiis Artis Botanicæ Magiſtris decernenda relinquo. Quo ad primum, cum quodlibet folium propria gaudeat Radice, ſit prolificum, ſejungatur tandem aliquando à primo genitore, ſuique juris evadat, omnibusque diſtinctiſſimè partibus ditetur, ac genitor, non diſſonum videtur, quod potiùs novus fœtus, vel nova plantula dici mereatur *unifolia*, quam pars alterius. Quo ad ſecundum, cum prædictus fœtus ex aperta folii crepidine, tanquam ex dilatatis vaginæ uteri labris erumpat, qui poſtea eodem modo, ac à ſemine nata planta fœtificet, non irrationale prorſus putamus maternam plantam poſſe dici *Viviparam.* Quod tandem ſit *Ovipara*, vel *Seminipara*, jam ſatis ex antea dictis clareſcit.

Hæc ſunt paucula, quæ oculo teſte vidimus, & quæ ſumus hæſitanter ſuſpicati. Alia rurſus tentamina plus Naturæ, quam artis habentia, moliri eſt animus, quæ alias communicaturus ſum amplitudini tuæ, niſi pudor obſtiterit. Quantum enim mecum verecundiæ tacitæ devoravi, quod te moratus per haſce paginulas peccarim in publica bellorum, pacisque commoda? Sed fas ſit Lenticulæ meæ magno frui patrocinio cæterarum plantarum exemplo, quæ utuntur Sole ſiderum principe ad natales ſuos illuſtrandos, atque fovendos.

Obſervationes, quas ſubciſivis horis ſuſcepi peragendas ejusmodi ſunt, quæ vel dictis robur, vel obſcuris lucem aliquam tentent afferre, vel mearum me prævaricationum admoneant. Diſtinctis in vaſculis aqua plenis varia ad Lentium ortum, & vegetationem ſpectantia nudius tertius immiſi.

Primum continet nuda ſemina æſtatis elapſæ, ut ſcrupuloſiùs obſervem germinationis modum.

Secundum Folliculos cum incluſis ſeminibus.

Tertium Folia Lentium tabefacta nubis ſpeciem referentia, quæ notavit Ariſtoteles. Quar-

Quartum Cruda adhuc evulsi fœtus foliola ex rimis vi extracta, nondum radices adepta, & lenticularis figuræ.

Quintum Folia sola sine fœtibus lateralibus, vel foliolis.

Sextum Lenticulas radicibus penitùs obtruncatis.

Septimum Lenticulas cum radicibus, & foliis aliis circumexistentibus suis umbilicis adhuc annexis.

Sed dum me alio vocant Practicæ Prælectiones, claudam Epistolam Baconis consilio, quo Philosophos relictis generalibus, quæ cæco impetu extra Veritatis semitam plerumque transversim agunt, ad particularia rimandum invitat his verbis: *o Descendant tandem homines ex prælta turri, ex qua Naturam à longè tantum despiciunt, & circa generalia nimium occupati sunt. Si attentiùs, & diligentiùs particularia aspicient, magis vera, & utilis erit comprehensio.*

Patavii Postridiè nonas Februarii Anno 1706.

TABULA PRIMA.

Figura Prima.

Uvæ Racemus floreſcens.

a. *Ramus, vel Palmes Vitis.*

b. b. b. b. b. b. *Quinque Capreoli inter florum pedunculos, ac in racemi costis, unusque in trunco ejusdem.*

c. c. c. *Florum sex stamina Calici adnexa, quorum apicibus flos rosaceus, velutì inversus umbellatim adhæret.*

d. d. d. d. d. *Flores, quibus cecidit umbella cum suis apicibus circa Pistillum erumpentibus.*

e. e. e. *Flores cum petalis adhuc clausis.*

Figura Secunda.

Umbellæ florum polypetalæ, vel flores rosacei.

f. f. *Umbellæ floris pars cavæ.*

g. *Umbellæ floris pars convexa.*

h. *Umbella lateraliter sita.*

Figura Tertia.

i. *Racemus, cui ob tempestatem nimis pluviam ceciderunt flores cum suis pistillis, & pedunculis. Pistillum est ea pars, quæ abit in Uvæ granum*

o. *Lib. 4. de Augm. scient. cap. 2.*

granum ſuccolentum, quatuor plerumque ſeminibus, ſeu gigartis pyriformibus fœtum.

l. l. l. l. *Capreoli quatuor tum in baſi racemi, tum in ſuperioribus ejusdem partibus aucti.*

m. m. *Racemi brachium obtuſum ſine Capreolis, ſicut apex racemi.*

TABULA SECUNDA.

Figura Prima.

a. *Lentis folium inverſum ſine fœtibus, vel foliolis utrinque erumpentibus, & cum radice obtruncata.*

b. *Radix erumpens veluti ab umbilico è centro folii obtruncata.*

c. c. *Pars poſtica folii cum rimis utrinque apparentibus.*

d. d. *Veſiculæ, quibus totum inverſum folium diſſeminatur, quarum beneficio fortaſſe innatat aquæ.*

e. *Sulcus anticam verſus partem, in quo primò radix erumpens jacet.*

f. *Pars antica lenticulæ licet obtuſior.*

Figura Secunda.

Lens, à qua foliola lateralia, ſive fœtus g. g. *erumpunt.*

Figura Tertia.

a. *Lens genitrix cum pluribus foliolis, vel fœtibus circumadjacentibus adhuc funiculo umbilicali adnexa.*

b. *Lenticula, quæ mediante funiculo umbilicali* g. *adhuc Lenti genitrici eſt appenſa.*

c. *Folium laterale ab alio foliolo enaſcens.*

d. *Folium aliud laterale fœtum* f. *emittens.*

e. *Fœtus, ſive foliolum laterale, à quo radix incipit erumpere.*

Figura Quarta.

a. *Lens primipara inverſa cum foliis primis adhærentibus.*

b. b. *Duo fœtus laterales, ſive foliola imbricatim poſita.*

c. *Fœtus, cui radix elongatur.*

d. *Funiculus umbilicalis, cui folia appenduntur.*

e. *Folium Lentis, à quo omnes aliæ eruperunt.*

Figura Quinta.

a. *Lens transverſim ſciſſa, prius exſiccata, deinde turgefacta, quæ cellulata apparet.*

Figura Sexta.

a. *Lens inverſa adhuc adoleſcens, è cujus medio incipit radix emergere, adhuc tamen in canaliculo ſervatur.*

b. *Vas Umbilicale.*

Ta-

TABULA TERTIA.

Figura Prima.

a. *Folliculus Seminum Lentis ſubrotundus.*

Figura Secunda.

b. *Folliculus alter in vertice bipartitus.*

Figura Tertia.

c. *Semen Lentis proprio pericarpio denudatum à folliculo.*

Figura Quarta.

d. *Folium inverſum à vermiculis excavatum ſeu eroſum in* e, & f.

Figura Quinta.

a. *Lens Semen* b. *parturiens.*

Figura Sexta.

Bina folia, quæ utriculos ſeminales oſtendunt.

a. *Folium, quod unicum habet utriculum* b.

c. c. *Folium, quod binos habet utriculos.*

d. d. *Radices, quæ intra folium in varios vermiformes Surculos divaricantur, & qui ſolum apparent in foliis exſiccatis.*

DN. D. GEORGII DETHARDINGII, Sen.
Archiatri Ducalis Megapolenſis
CONTINUATIO PARALLELISMI
ad
MISC. CURIOS. GERMAN. DECURIÆ I.
ANN. IV. & ſeqq.
ad
Anni IV. Obſervat. X.
de
Cardialgia miris ſymptomatibus ſtipata tandem lethali.

NOn ex ſubjecto, ac quidem ex dolorum infenſiſſimo inſultu, cardialgia nomen habet, & magis illud meretur, ſi mortem afferat, id quod in fœmina obſervavi, quæ flore ætatis ferox erat. Hæc ſubito corripiebatur doloribus ſub ſorobiculo cordis moleſtis ex eo loco in oppoſitam dorſi partem excurrentibus, quos topicis utrinque adhibitis ſedare primum ſed fruſtra tentabam,

felicius internè propinatis paregoricis, queis, cum lotium pulta-ceum & chylosum observarem, stomachica blanda addidi, levamen & solamen afferens; pacata mox videbantur omnia, illa foras prodire & officiis suis præesse; quando triduo elapso mensæ accumbens subito iterum gravissimis illis doloribus correpta, sanguine ex naribus prorumpente, prosternebatur, & exanimis concidebat, nec generosissimis adhibitis remediis ex orco revocanda.

Ad

Observat. XXIII.

Præmatura Mensium eruptio.

QUodsi ex mensium eruptione nubiles & generando fœtui aptæ judicandæ sunt puellæ, prout non sine omni ratione communis opinio fert, quid statuendum de illis, quæ si non mox à partu, tamen ætate recentissima menstruatim purgantur? Stupui, fateor, quando aliquando vocabar ad filiolam octennem ex suppressione mensium cachexiæ obnoxiam, utpote cui à quinto ætatis anno stato tempore exactissimè fluxerant, & miratus sum revocatis medicamentorum usu mensibus, omnem cachexiam cessasse, ut cum annis adolescens formosior, viro nupta elegantissimæ filiæ mater sit facta, fortean adhuc in vivis, nisi petechiarum malignitate victa animam reddidisset.

Ad

Observat. XXXVII.

Ulcera Ventriculi.

ELegantissimæ illius Observationis Author monet, vulnera ventriculi alia insanabilia esse, alia lethalia: sed crediderim pariter diversimode ratione lethalitatis de vulneribus & ulceribus ventriculi esse pronuntiandum, & minora vulnera præ ulceribus maximis majus periculum inferre, in utroque fateor tunicarum ventriculi perforatio obtinet, hinc Chyli profusio, ast non in hac æq; omnis lethalitas versatur, sed illam affert deligationis impossibilitas, & quod in vulneribus ventriculi mox post vulnerationem internum ventriculi vulnus externæ plagæ abdominis haud amplius

plius reſpondeat, quin hic exeunte chylo, diſtentus eo antea, collabitur & recedit & ſui obturationem negat, aliter res obtinet in ulceribus ventriculi, utpote in quibus tunicæ ejusdem cum abdominis integumentis coaleſcunt, labia firma conſtituunt, & quia illi haud amplius in tantum recedere licet, quia ſuſpenſus hæreat, chirurgicis laboribus nunquam non hæ continui ſolutiones patent & parent; & tantum abeſt, ut lethalitatem afferant, ut conſolidari neſcia, ſi quæ ventriculo concoctu moleſta & difficiliora ſint tradita, feliciter per has vias eliminari queant, id quod perfrequenter in ſene vidua his meis oculis vidi, quæ ex apoſtemate in regione epigaſtrii aperto ulcus ſervabat à multis retro annis, quod commode ſatis turundâ claudere aſſueta erat, ſed ſi quædam ventriculo moleſta eſſe ſentiret, mox cum εὐφοϱίᾳ eadem excludebat.

Ad

Obſervat. XLVI.

De

Marasmi cura per balneum aquæ dulcis.

EUporiſta famigeratiſſimis panaceis quam ſæpe palmam præripiunt! ſed originem ſuam perfrequenter experientiæ magis ac rationi debent. Illis annumeraverim balneum aquæ dulcis, emaciatis adeò ſalutare (modo non phthiſin maraſmus exceperit) & proficuum illud maximè in puerulis ex ignota, ut ajunt, cauſa marceſcentibus nunquam non obſervavi. Soleo tamen circa illius uſum monere, ne corpus nimium incaleſcat, & in ſudorem diſſolvatur, potius tepido calore fibræ muſculorum titillatæ ſuaviter laxantur, & molliores fiunt, hinc debita iterum ſanguinis copia admiſſa, quæ ſimul copioſius nutrimentum affert & apponit, habitum corporis turgidiorem reddit.

Ad

Obſervat. LXXXII.

De

APHTHARUM remedio.

INventis, novimus, facile eſt aliquid addere, liceat & hoc mihi, quando obſervatio oleum raparum, in quo tantillum ſacchari diſſo-

diſſolutum, tam præſentaneum aphtharum remedium vocat, ut crocum addam, quo felicius remedium hactenus reperire haud potui, ſive oleo e. g. amygdalino, ſive Syrupo convenienti illum miſcuerim.

Ad

Anni V. Obſervat. C.

De

Sudore unius tantum lateris.

PAriter in Viro, ex Muſices peritia multis & mihi commendatiſſimo, ſudorem tantum dextram genam occupantem, ſæpius obſervavi, largius prorumpentem, quo palato magis gratum cibum aſſumit.

Ad

Obſervat. CV.

Ambuſtionis remedia.

OLeum ex manubriis ligneis malleorum frequenter manibus verſatorum, ignis beneficio prorumpens, fateor, medelam affert. Illam quoque præſtat humor ex cochlearibus ligneis, queis coqui utuntur, maxime queis cramben movent, (Kohlleffel) tortura ignis exſudans, aſt pauca quantitate, aſſatione illa ex utroque obtineri aliquid poteſt, ut attendere ad talia vix ſoleam, qui loca ambuſta vitello ovi, lini oleo ſubacto fovere & ſanare ſoleo. Idem ſperare licet ex unguento calcis vivæ cum oleo Roſarum parato.

Ad

Obſervat. CX.

De

Seminis Dauci uſu in Lithiaſi.

INterea, dum vero Lithontriptico Ars Medica caret, in uſum vocanda ſunt magis nota & tuta, quamvis externa illorum facies magnum quid vix ſpondeat. Spectat huc ſemen Dauci, cujus vires ſperato majores, quoties illi confidere volui, obſervavi, maximè in forma pillularum ſuccino pptt. & terebinthinæ junctum: præprimis autem majori calculo excluſo arenulas adhuc

huc in viis urinariis hærentes hoc remedii genere tuto, cito & jucunde eliminari, crebra experientia motus, affirmo.

Ad

Obſervat. CLXII.

De

Deglutitione diverſimode læſa.

DEglutitionem fieri ope fibrarum muſculoſarum Oeſophagum cingentium, extra dubium eſt, & in aprico; haud tamen æque patet ratio, qui nunc ſolida, nunc fluida felicius ventriculo tradantur; momentum aliquod in rigiditate epiglottidis reſidere crediderim. Singularem in Viro quodam Nobili obſervavi cibandi modum, qui ſolida nullatenus, ne micam panis ante ventriculo poterat tradere, quam fluidis viam paraſſet, & hæc tamen ſorbillanda erant, humectatis verò viis menſa accumbens, ſine omni ulteriori remora, quem volebat cibum, ſat larga quantitate capiebat.

Ad

Obſervat. CCVII.

Innoxia Opiatorum deglutitio.

CReſcunt paradoxa ex indefeſſa exemplorum collectione: hinc opii innoxiam deglutitionem roborare volo exemplo Ægroti perilluſtris, qui nocturnos dolores, ſomnum arcentes, uno alterove opii grano ſedare aſſuetus, nunc ex ℈j. vix tantillum ſolatii percepit, aſſumere verò & hunc cogitur, convulſivis artuum motibus cœteroquin obnoxius.

Ad

Anni VI. Obſervat. XXIII.

Epileptica à Spectro.

ESt aliquid, cum Matthia Unzero l. 1. de epilepſ. cap. 16. §. 11. epilepſiarum cauſis, Diabolicas machinationes addere, aſt, quid urget, ut Diabolo morbos ſacremus, qui creatura eſt, ſuis limitibus incluſa, quos vel transgredi vel naturalem rerum ſeriem à Deo conditam, invertere nequit, ubi faciliorem ætiologiam & ſenſibus magis perviam ſtructura corporis humani monſtrat?

Quis vel leviori œconomiæ animalis notitiâ imbutus non intelligit, membrorum concuſſiones & actionum animalium functiones tunc vitioſe fieri, quando anima ab objecto, quod ſibi non modo moleſtum ſed funeſtum judicat, ſive internum fuerit ſive externum, omnibus viribus ſe liberare ſatagit, quotquot ſibi ſunt à ſervitiis ad officia, ad opem ferendam cogit, qui non blanda, quod aſſolent, ſed maxima vi & copia juſto frequentiori, huc illuc tendunt, in membra ruunt, & reciproco in ſe ipſos motu injurias ſibi inferunt & accipiunt; unde clades major, quando muſculorum fibræ texturæ tenerioris, tot impulſibus vel ſuſtinendis vel, quod è re foret, cohibendis impares ſunt. Quæ inde fluit ratio, convulſiones quare in infantibus, puellis, imo adultis ſexus ſequioris frequentiores ac in ſexu maſculino, latius deduci poſſet, niſi mallem ſubnectere hiſtoriam puellæ decennalis, quæ curioſis & fixis oculis, contemplans jam mortuam, diu antea ſibi famulantem & familiarem ancillam, loculo impoſitam, ſubito corripiebatur epilepſiâ trecies, imo ſexies de die recurrente, ut ad ſpithamæ altitudinem, ſupina in lecto quandoque evehereetur, fruſtra deprimentibus illam adſtantibus, nec penitus illa exſpiravit, donec pubertatis annos ingreſſa viro nupſit & partus nonnullos tulit.

Ad

Obſervat. CI.

De

Venæ ſub linguâ ſectione funeſta.

QUoties non mors & leviora, ut prima facie ſeſe ſiſtunt, mortalium conſilia intempeſtiva penſat? Ex revulſione intempeſtiva, quando venæ ſub linguâ inciduntur, funeſta metuit Obſervationis citatæ Author Percelebris, & exemplo doctas concluſiones roborat: Quidni ex hæmorrhagia ſectarum venarum raninarum, uti audiunt, funeſta æque certò judicaremus? nullis quippe ligaturis, certiſſimum quod ego novi hæmorrhagiarum repagulum, hic locus eſt. Tragœdiam idem conſpexi in Adoleſcente optimæ tum quidem ſpei, peractam, cui venæ modo dictæ,

dictæ, quod febri malignâ decumbebat, incidebantur, tanto quippe flumine manabat sanguis, ut quicquid ex Nitro, Vitriolo aut ingratioribus stypticis ore retineret, sistere haut potuerit, fortean in ferro candente medela fuisset, ast jam ad nomen illius remedii contremiscebant omnes, & applicationem detestabantur admodum, Adolescens vero ille brevi temporis spatio obrepente svavi somno, diem obibat placidissimè.

Ad

Observat. CXIV.

De

Singulari Ilei curatione.

QUod remoræ in intestinis hærentes, à succo pomorum Borsdorffianorum avide & in largâ quantitate hausto fuerint ruptæ & expulsæ, ac à fluido ileus medelam acceperit, attentionem vel inde meretur, quia Practicorum cohors non ad fluida æque, nisi gravissimum pondus obtineant, ac ad solidiora confugere in ilei cura solet. Unde est, quod globuli vel curiosius ex Antimonio vel simplici modo ex plumbo fusi ad deglutiendum propinantur: Et sunt, qui illis pro majori robore & feliciori descensu jungi volunt aliquot drachmas Mercurii, quamvis paucis hic modus verus constet. Non sine tacito subrisu observavi Pharmacopœum, cui talis modus in formula præscriptus erat, ultra horæ spatium globulum plumbeum & argentum vivum in mortario, quo coirent, frustra exercentem, donec ex amici suasu saliva inuncto & madefacto globulo, non equidem drachmam, quæ præcepta erat, sed scrupulum Mercurii illi maritaret, an nitro exhibitus iste globulus cursum feliciorem obtinuerit, comperire haud potui. Mihi ex praxi innotuit, globulos ex melle ad duritiem coëto paratos, & cum oleo olivarum exhibitos, sæpius ileum feliciter solvisse.

Ad

Observat. CXVIII.

De

Puero cum 6. digitis in utraque manu nato.

VI imaginationis, ut vult Cel. Author allegatæ Obſervationis, Puer ille cum 6. digitis in lucem protractus eſt, & ita ejusdem ætiologia aliquomodo patet. Aſt quæ ratio & quî fit, quod in Familiæ, quam apprimè novi, & quæ mihi conſanguinitate juncta eſt, ultimus vel ultima natu ſexto digito in manu utraque dotatus in lucem prodeat? Adhuc dum ex illa vivit, qui cicatrices in propriis manibus (mox enim poſt partum digiti illi reſecari ſolent) & oſſa digitorum filii ſui ultimi aſſervata, oſtendere cuivis poteſt. Qui ſpiritum maſculinum nil magis addere ovulo fœminino contendunt in imprægnatione ac calorem in excluſione ovi gallinacei, habent, in quo ſe exerceant.

Ad

Obſervat. CXLIII.

De

Podagra contagioſa.

QUod huic Annulario ex emptis Podagrici veſtibus contigit, ut cruciatibus pedum dolorificis vexatus mercaturam ſatis caram lueret, id novi obtigiſſe cuidam, qui ocreis, pellibus interius obductis, queis pedes ſuos Conſularis Dignitatis Vir, Podagræ Cliens & ſubditus devotiſſimus, munire aſſolebat, per breve quamvis iter indutus, morbum illum & ſimul omnium riſum ſibi acquiſivit.

Ad

Obſervat. CXLIX.

De

Singultu diuturno.

SIngultum, ſive ad ſymptomata depravatæ reſpirationis cum Platero, ſive ad expultricis facultatis ventriculi læſiones cum aliis referas, aberrare haud videberis, cum ſubjectum ſuperius orificium ventriculi à diaphragmatis fibris carneis cinctum & clauſum. Idem certo modo de eructatione dixeris ſingultum æmulante: illâ Piſcator jam per annum laborat, tam frequenti & gravi, ut ne verbulum proferre poſſit, quin ſingulæ ſyllabæ ructu intercipiantur, & ſalutando mira iſta loquela omnibus terror ſit.

Ad

Ad Obſervat. CLVIII.

De nullo Panis Eſu.

MErentur exempla in Obſervatione illâ allata, hominum ſcilicet, parciſſimo pane veſcentium, conſiderationem, maxime quia ἔυσαρκοι prædicantur & optimæ ſanitatis, ex pane vero, ſi aliunde, fermento ventriculi pondus ingens accedit. Aſt in ſtuporem me ſæpius egit conſuetudo Viri, qui equituum Magiſter erat, ſed ad majora adhuc natus: Hic corporis robore quosvis militiæ labores à juventute ſuperaverat, & adhuc dum ſuſtinebat, ſed non tantum nullo veſcebatur pane, ſed, quod mireris, in hujus locum ſurrogabat lardum præpingue, hoc omnibus cibis immenſa cupiditate pānis inſtar jungebat, & neceſſariam ejus quantitatem ſemper ſecum vehebat. Facilius ratio pateret, ſi macriori delectatus fuiſſet, ex ſalinis enim particulis, quas fumus concentrat & auget, fermento vis accedere potuiſſet, aſt ab oleoſis, queis pinguior lardi pars abundat, quis non ſpiculorum ſalinorum, in quibus liquidi menſtrualis virtus reſidet, retuſionem, aut ſi mavis involutionem metuiſſet, ac appetitus ruinam.

Ad Anni VII. Obſervat. CXCIX.

De Antipathiæ exemplis.

QUi omnia antipathiæ exempla colligere vellet, haberet, quod ageret: naſcuntur nova, cum novis individuis; magis deſudaret, qui Æthiologias illarum adjicere ſuſtineret, adeo inſolita, adeo incongrua quandoque averſandi ratio eſt. Novi, qui odore corii bubuli recentis, vulgo friſch Juchten / admodum recreantur, novi, queis ille animum ſolvit. Fæmina hujus urbis menthæ non modo fragrantiam, ſed rubetæ quamvis abſconditæ, præſentiam ſudore colliquativo luit. Alia non ad adſpectum, ſed ad nomen Foliorum Lauri contremiſcit. Qui laqueum ſuper mensâ penſilem modo lenis accedat motus, intueri ſalvo animo nequeunt, novi uno plures, ut & fœminam natantes in vino Citri cortices abhorrens.

Ad Obſervat. CCIV.

De Abortu Venæſectione impedito.

QUod de Pueris conſtat, primo aſpectu illis horrida, frequentiori contrectatione & uſu amica & gratiſſima quandoque reddi, id ſalvo comparationis tertio, in negotiis Adultorum, ſenum aliquando, ſed etiam in re medica obtinet. Nolo in robur illius fata medicamentorum chymicorum recenſere: attendamus modo ad Venæſectionem in gravidis adhibendam, quæ quondam inter res prohibitas locum obtinebat, & augebat catalogum rerum fœtum expellentium, aſt hodienum maximo cum commodo utero gerentium adminiſtratur, imo intermiſſa & fœtum & Medici conſcientiam gravat, & onerat. Gratiam ex ejus ſuaſu non levem obtinui, & vivit adhucdum fœmina, quæ ter abortum medio geſtationis tempore paſſa, quartum gravida, venæſectione inſtituta feliciter Mater ſalutata eſt.

Ad Anni VIII. Obſervat. XXIII.

De Mictu ſanguinis copioſo, ſine detrimento ſanitatis.

SI quando Medicus titulum, quod ſit fidelis Naturæ miniſter, ambire, & reapſe tueri, intendit, ſe talem præbeat, neceſſe eſt, in obſequio hujus variis moliminibus, quæ pro ſalute ſua tentat & profert, præſtando, dum vias ipſa novit alias impervias. Stupemus ſanguinis excretiones per nares, per aures, per dentis alveum, per digitos, imo per verticem factas, ſi quando in fœminis tributum lunare non juſtè perſolvitur vel vaſorum hæmorrhoidalium ſtrictura in viris viam negat, ſpectatorem hic potius, vel blandum monitorem agere decet, quam rigoroſum exercendo imperium omnia intempeſtivis adhibitis correctionibus turbare ac perturbare. Confirmat mentem meam ſanguinis profluvium, quod ſpectavi cum lotio prodire in viro jamdum ſexagenario, cui, quia ſine notabili virium decremento excludebatur, nullam medicinam facere volui, & Patiens, quamvis id per ſesquiannum perduraret, haud ægrè inde unquam habuit.

Ad

Ad Obſerv. XXV.

Puella fluore albo laborans.

SImilem uteri coryzam largiter profluentem, in puella ſeptimum modo annum ingreſſa, præmiſſo eccoprotico, aromaticis adhibitis feliciter ſuſtuli.

Ad Obſervat. LVII.

De Hippomane.

QUia Obſervationis allatæ Cel. Author, varios varie de Hippomane ſentire dicit, & eſſe innuit, qui planè illud in dubium vocent, referre liceat, quæ ego circa illud obſervaverim. Tria aliquando ſimul mihi dono data ſunt, quæ accuratè contemplans, cum figurâ primâ, Obſervationi prædictæ annexâ apprimè convenire videbantur, mox illa pro aſſervatione commodiori, & quo deinceps in pulverem, adeò in partus difficultate decantatum, redigerem, foco pro blandâ exſiccatione appoſui; aſt vix ignem ſenſerant, cum farinæ inſtar fermento ſubactæ turgeſcerent, & in molem eveherentur, duplo primam ſuperantem, cultro poſt exſiccationem illa diſſecando, interiora reperi plurimis capſulis, hinc inde diſtenta, nidoroſus verò odor naribus perquam erat moleſtus. De viribus nil certi ſtatuere adhuc poſſum.

Ad Obſervat. LXXIX.

De Aqua rubicunda.

QUoties non vulgus in prodigia credenda perquam mobile, modo conſpecta aquâ rubrum æmulante, in ſanguinem hanc abiiſſe, & infelicia quævis ſignificare, plenis buccis & animis timidis, clamitat? Laudem vero Viri docti merentur, qui aquis, metamorphoſin ut volunt talem paſſis, viciniores in cauſas formæ & rubedinis inquirunt, & his detectis ridiculum vanumve metum & omnia ſiniſtra tollunt. Annus eſt, & quod excurrit, quando pariter urbs noſtra perſonabat tumultuaria voce, in vicino pago Zehn, milliare à Guſtrovio diſtante, paludem in ſanguinem abiiſſe, & quævis infauſta regioni huic ſignificare. Invitabantur facile illuc & concurrebant undique ſpectatum credu-

 duli;

duli; ego quia lecto ex morbo detinebar, impleri aqua ista miraculosa lagenam vitream & mihi afferri curavi, quo experimentis in rei veritatem inquirerem; Ast non adeo multis opus erat, sola quippe quiete per noctis spatium fundum rubram terram occupasse, superstantem vero aquam instar alius, claram & limpidam vidi, terra illa sibi relicta ochram referebat, quâ fundus paludis gauder, nec multo post ipsam paludem priorem faciem limpidam assumpsisse comperi, sic terror in risum desiit.

Ad Observat. LXXXVI.

De Lacte in mammis Virorum.

NOn obvia quia sunt exempla Virorum lac fundentium, adeo mammarum usus in subjecto potiori post partum negligitur, addidisse liceat, illis, virum dum viveret Reginæ Succiæ Christinæ rebus præfectum, corporis torosi, cujus mammæ pro suo lubitu lactis optimæ notæ fundebant largam satis quantitatem & tantam, ut si lactandi negotium illi vel propria lubido vel necessitas commisisset, satis instructus illo officio fungi potuisset.

Ad Observat. IC.

De Amygdalis quibusdam animalibus nocivis, & epate Gallinaceo vitioso.

NOn vulpibus modo juxta Dioscoridem, non gallinis tantum ex Observatione Authoris, sed & psittacis amygdala amara lethalia esse, experientia didici, imò amygdala dulcia aliquando Psittaco mortem intulisse, comperi; & quoniam præternaturalem magnitudinem epatis gallinacei adjecit, & in figurâ delineavit Author memoratus, pariter subjungo, me in Gallo repentè mortuo, reperisse epar stupendæ magnitudinis, & libram civilem pondere adæquans.

Ad Anni IX. Observat. XX.

De Vomitu cruento innoxio.

LArgissimum sed pariter innoxium vomitum sanguinis patiebatur vir Serenissimo quondam nostro à consiliis, sed quia hic

hic crebrius recrudeſceret, hinc terrore ſat moleſtus eſſet, illum ad inſtantes ejus ſollicitationes venæſectione prævia, unicâ doſi ſtegnotici mei pulveris commode ſuſtuli, pro potu commendans lac tepidum & pro lambitivo Looch de Portulaca; quod medelæ genus feliciter mihi ut in hoc ſic in aliis ægrotis vomitu cruento laborantibus ceſſit, nec fefellit in Virgine quâdam, quæ ex obſtructione menſium cruenta tali vomitu ſolebat corrip, inſequente fluxu lunari.

Ad Obſervat. XXXVI.

De ſuccino foſſili.

PRout Ambra ratione originis ſuæ & geneſeos Phyſicorum animos & ratiocinia dividit, pariter ſuccini (quod ambar citrinum nonnulli vocant) generatio illis rebus naturalibus annumeranda eſt, quæ nondum liquent. Non leve autem negotium curioſis faceſſit, repertio iſtius in terris à Salo longè diſſitis, imo albedine ſua, quam à Salis marini ſocietate alias petunt, marinum ſuperantis. Imo affirmaverim, foſſile ſuccinum albedine ſuperare illud, quod in litoribus communiter obvium: opifices certè ex colore utrumque dignoſcere aſſolent, & obſcuriori & luteo colore marinum, foſſile vero, quod den Sand-Stein vocant, albedine grata pellucidum eſſe affirmant. Ipſe ſervo foſſilis iſtius fruſtum in agro Stargardienſi, & quidem in nemore piceis arboribus referto, repertum, puriſſimum & candidiſſimum, pondere ʒβ.

Ad Obſervat. LVI.

Hæmorrhagiæ remedia.

FAcio equidem cum illis, qui ſordida & vel nomine ingrata medicamenta è foro medico releganda eſſe contendunt, cum ſuppetant in tanta materiæ medicæ farragine parili virtute, minori ſpurcitie commendabilia; aliquando tamen ſi hæc non ad manus vel morbus protractionem nullam concedit, & invitus ad illa accedere coactus fui, & teſtari poſſum, ſtercus ſuillum tum in uteri hæmorrhagia abdomini vel in narium fluxu his appoſitum

positum vix unquam fefelliſſe. Eundem tamen effectum ſæpius præſtitit ſuccus expreſſus urticæ minoris paululum edulcoratus, item aqua Burſæ paſtoris haud vulgari vero modo deſtillata.

Ad Obſervat. LXIII.

De Fungis microcoſmicis.

FUngum ſupra genu pedis dextri, & tumore & dolore ad modum ingratum, in viro litterato vidi, qui tandem ſponte dehiſcendo referebat carcinoma immedicabile; in conſilium & auxilium vocatus, linteis cathæretico liquore prius imbutis iterumque exſiccatis locum affectum deligare juſſi, & quia præter omnem ſpem caro fungoſa ſubſideret, & nil reſtitaret præter pedunculum è centro prominentem & hunc filamentis lineis conſtringere curavi, qui in fugam ſe contulit, nec ſui veſtigium, cum altero mane pars affecta deligaretur, reliquit, & facilè ſic fuit ultimam manum imponere, ut pes peractâ curâ ad officium ſat commode rediret. Dimidium anni, dum hæc ſcribo, elapſum eſt, ex quo nil quicquam moleſti in illa parte ſenſit Æger, jam vero ipſe mihi refert, ſe tumores quosdam tuberoſos in femore ſiniſtro, manu percipere poſſe, an hi tandem in fungos excreturi ſint, tempus dabit.

Ad Obſervat. LXXVII.

De Febri quintana.

FEbrientium licet plena ſint omnia, & morbus hic ſatis quotidianus ſit, hactenus tamen ſi verum fateri volumus, nondum extitit, qui ſolidas periodorum febrilium & juſtas reddiderit cauſas, quas non tantum in fluidis, utpote quæ hîc injurias accipiunt, ſed in ſolidarum partium ſtaſi quærendas quoque eſſe judicaverim; in præſens ſubjunxiſſe ſufficiat, febrim quintanam, quam in conjuge Conſulis quondam Straleſundenſis D. S. obſervavi, ſed quæ tertio jamdum ſolvebatur paroxyſmo.

Ad Anni X. Obſerv. CXXIX.

Strepitus Oſſium.

UT ſymptoma in ſcorbuto, allegat ſtrepitum oſſium, Eugalenus libr. de ſcorbut. haud vero ejus rationem ſubjungit, ſi

ſuſpi-

ſuſpicioni locus, crediderim ſtrepitum oſſium oriri, quoties glandulæ mucilaginoſæ, quæ naturâ lympham plorant pro motu articulationum adeo neceſſariam, ab officio in tantum quieſcere coguntur, quod ſanguinis moles juſto craſſior paucas particulas laticis ſui dimittit (quam ſanguinis craſin ſcorbuticis admodum familiarem, Veteres dixere temperamentum melancholicum) mucagine vero deſtituta oſſium capita i. e. cartilagines, dum proximius collidunt, ſonum excitant; accedit pondus conjecturis meis ex methodo medendi, dum ſymptoma illud cedit, ſimulac ſic dictis remediis antiſcorbuticis i. e. talibus, quæ incidere, attenuare, obſtructiones tollere potis ſunt, maſſa ſanguinea fluidior facta eſt. Sed ſint conjecturæ, affirmare hoc poſſum, me methodo dicta ſtrepitum oſſeum ſuſtuliſſe in Virgine quadam, quæ nulla membra nec digitos quidem contrahere vel extendere poterat, quin creparent.

Ad Obſervat. CXLIV.

Calculus ſub lingua.

SErvo calculum talem, qui prævio tumore & hoc rupto è linguâ prodiit, cujus magnitudo ſuperat nucleum olivæ, ſubſtantia dura ſatis, color vero fuſcus eſt: an ille tumoris, vel tumor calculi parens fuerit, non dixerim, nec enim ante tumorem quicquam moleſti in linguâ ſenſerat Patiens, qui Bajulus erat.

Ad Obſervat. CLXXI.

De ſene dentiente.

LUbet augere Catalogum ſerâ ætate dentientium exemplo Virginis nobilis, cui ſexageſimæ natu molaris ultimus naſcebatur, quem Sophroniſterem vocare Anatomici ſueverunt. Sera ſic ſatis ſapientia!

Ad Decadis ſecundæ
Ann. I. Obſervat. XXXVII.

De injectis per faſcinationem.

BIennium circiter elapſum eſt, quando in urbe Neo-Brandenburgenſi, ex apoſtemate poſteaquam in brachio dextro ægro-

ta sat atroces dolores sensserat, lanceola aperto, Chirurgus diversis vicibus protraxit fragmenta ossium, lanas, lapides, paleas, herbarum sibi ignotarum caules, libras betulæ, stramina, segmenta pennarum, frustulum sarmenti lanâ obvolutum, sed quibus exemptis vulnus commodè consolidatum est, & misera illa ad pristinam sanitatem rediit.

Ad Obsservat. XLIV.

Ovum in Ovo.

UTinam tandem curiosa, quam Dn. Rosinus Lentilius, Medicus Nôrdlingensis, Vir ex ingenuitate & eruditione solida omnibus notus, composuit, & prælo paratam tenet, Oalogia, lucem aspiceret, quam ipse Autor ut inéditam cum cordolio sæpius se aspexisse in Miscellan. Medic. Practic. Lib. 1. refert, & cujus Ichnographia in appendice A. I. Dec. 2. Miscellan. Nat. Curios. allata, omnibus viris doctis, salivam movit! nullus enim dubito, quin illa, quæ circa ovorum genesin explicandam adhucdum desiderari possunt, ubertim exposuerit, & eo faciliores ætiologias, si quando à semitâ rectâ deflectunt, monstraverit. Ad hæc spectant, quæ in Rarithecio meo servo bina ova, non sese, quod aliquando contingere novimus, includentia, sed sibi invicem beneficio tendinis apte cohærentia.

Ad Obsservat. LXXXI.

De stercorum egregia in nonnullis virtute.

QUid mirum, quod stercora hodie Medicis sordeant, quorum labor ad majorem Arti Medicæ conciliandum nitorem collimat; jam dum Galenus lib. 10. de simpl. Medicam. facultat. Xenocratis librum carpsit, qui talia in tractatu de utilitate ex animalibus percipienda commendat, & illorum quædam detestanda esse, alia legibus vetita, acerbe monuit. Nec tamen omnino hodie desunt tales, quos stercoranismi Therapevtici propugnatores dixeris, adeò vel integra, ut Pharmacopœi solent in officinis collocata medicamenta appellare, corpora inde exstruunt. Mihi Oraculi instar chara & sacra sunt illustris Curiosorum Naturæ

Præsi-

Præſidis D. Schröckii in ſcholio notatæ obſervationis allata verba, quibus ſordidis ejusmodi Medicum abſtinere jubet, niſi ſumma neceſſitas voluerit, aliis remediis plane deſtitutum talia ſuadere. His in anguſtiis laudare poſſum non in narium modo ſed & uteri hæmorrhagia, imo in quartana, ſtercus ſuillum, equinum cum vino calide propinatum in atrociſſimo colicæ dolore, in quartana felis excrementa, & ad alvum ſolvendum ſtercus paſſerum.

Ad Anni II. Obſervat. CXLI.

De Mortui manu, quæ ſtrumam curavit.

EAdem ætiologia erit effectuum à contactu manus demortui Eoriundorum, quamvis prima facie videantur diverſi, nec niſi terror & quæ nobis horrida videtur mortis imago illam quam obſervamus medelam afferet. Obſervavi ganglon angulum minorem oculi dextri, virginis vultum admodum defœdaſſe, ſed frequenti manuum emortuarum contactu plane diſparuiſſe. Equidem fuere, qui idem medelæ genus in exſpiratione nævorum maternorum tentarunt, ſed dubio admodum eventu.

Ad Obſervat. CXLV.

De hæmorrhagia ex ictero nigro lethali.

PRoceſſerat in generoſo quodam Viro quartana, diu excrucians, quando ille remediorum pertæſus, genio denuo indulgendo ſpiritus vini frequentiſſimo hauſtu oblectatus, mox ictero nigro correptus fuit, ſed quam Hæmoptyſis excepit graviſſima, & ſimul finem vitæ fecit.

Ad Obſervat. CLXXIII.

Urinæ incontinentia.

OUod quotidie in morbis chronicis obtinet, quando non ſtatim Medico auſcultant, ut vago tandem conſilio ægroti horumque cognati in remedia ruant, quæ ſors imo ſomnia, & quæ his pejora ſuggerunt, hoc in mictu involuntario præſertim obtinet, imo ac ſi ſordidum hoc malum, non niſi ſordidis tolli poſſit, vix in alia quadam ægritudine iſta à Medicis commendari & laudari videbis, ac in urinæ incontinentia. Quaſi ſignatura ſatis

cœteroquin fallax in hoc morbo aliqua possit: Ita videas, omnes ferè practicos celebriores vesicas ovillas, caprinas, piscium pudenda, ventriculos brutorum &c. nunc tostas, nunc coctas, nunc in fumo exsiccatas &c. commendare, ne Timeo quidem excepto, si ejus armamentarium consulas sanitatis. Liceat hinc & mihi remedii genus addidisse, quod ex incinerata talpa paratur, & temporibus vespertinis ad ʒβ. pondus exhibetur, non semel enim illius salutarem usum offendi.

Dn. L. ROSINI LENTILII
Parallelismus ad Ann. VIII. Dec. I. Ephem. Cur.
Ad Observat. XI.

QUam fallacia sint etiam *Lithotomorum* peritissimorum in pronuncianda de *calculorum cysticorum quantitate* judicia, tot observationes loquuntur, & B. mei Affinis Dn. *Maskosky*, *Archiatri Wirtenbergici & Physici Göppingensis* quondam celeberrimi fatalis casus loquitur. Hic etenim diu Tortorem in vesica suum patientia plus quàm adamantina sustinens, cum denique ne per momentum quidem ab internecinis cruciatibus immunis viveret, reclamantibus utcunque necessitudine junctis *Lithotomum* admisit. Hic stylo in vesicam immisso calculum utique & adesse affirmavit, & allisione Dn. ægro quoque perceptibili demonstravit; assignata illi ovi gallinulæ virginis quantitate. Cùm Senex venerandus ultra quam septuagenarius, viribus ad operationem sustinendam se satis pollere sentiret, quidvis potius, quam immanissimos ultra duobus, pati decrevit, seque *Lithotomi* novaculæ subjecit, animo ad usque miraculum alacri & imperterrito. Vulnus infligitur, calculus prehenditur, sed eheu frustra per vulnus extrahitur. Tantum erat Operatoris robur, ut tres forcipes ænei incurvarentur, quin alii ad discerpendum in frusta calculum fabrefacto petra, mœstis adstantibus, illuderet. Sanguinis interea largum profluvium, spirituum dissipatio, multum Dn. Patientem fatigabant, imò *Leipothymiæ* vitæ periculum minitá-

nitabantur. Ille nil quidquam animo fractus inter preces Confessarii placidè exspiravit. Abdomine post mortem & hinc urinaria vesica apertis, *calculus* prodit *stupendæ magnitudinis, ovalis, non exacte rotundus, sed aliquo modo depressus, siliceus, in quo forcipis vestigia, colore fusco, uncias octo pendens.* Tantus autem erat, ut angustior deprehensa fuerit ea pelvis, quam ossium Coccygis & pulvis compages ad transmittendum intestinum rectum, urethram & genitalia formavit, quam ut illinc saxum transmitti posset. Heu, quam opportuna tunc nobis contigisset *ossis pubis* ea dilatatio, quam in muliebri partu quidam commenti sunt! Apparet inde, quam minime chirurgicis de quantitate calculorum renunciationibus fidendum sit, quippe qui non raro & misere decipiantur, & miseros, quamvis inviti, decipiunt.

In totidem annorum venerandi Senis, Dn. *Danielis Haakii*, Pastoris in Imperiali *Bopfinga* per 53. annos vigilantissimi, vesica repertus, ærique incisus nobis communicatus fuit, ovalis calculus pondere ʒvβ. exæquans. Cæterum in mentem mihi venit, historia calculi vesicæ ovi anserini magnitudine in octogenario Medico, qui nunquam de calculo conquestus erat, adducta ab Henr. ab Heer obs. 26. p. 294 cum B. Affinis mei fatalem calculum conspicarer. Calculus vesicæ ʒxiiβ. pendens & alii grandiores exhibentur An. 8. Dec. 2. *obs.* 87. *Ephem. nostr.* Alius quadrantem libræ ponderans in *Amstelodamensi* Fabro, quem ipse sibi exsciderat Ann. III. Dec. I. observ. 192. Calculi prægrandis Icon exhibetur Ann. II. Dec. I. Obs. 140. & 142. Alius ʒiiij. ponderans in utero mulieris repertus in *Act. Angl.* 1666. *Octobr.* §. 4. ʒij. pendens in vesica nephritici *Ann.* IV. *Dec.* III. *Ephem. Cur. obs.* 110. Calculus in scroto miræ magnitudinis *Ann* V. & VI. *Dec.* III. *obs.* 253. Ingens à muliere ejectus *Ann.* VI. & VII. *Dec.* I. *obs.* 7. In vesica canis repertus ℔iiβ. ponderans *Append. ad Ann.* V. & VI. *Dec.* III. p. 99.

Ad Observat. XIV.

Acidulas Gœppingenses immensam *ascaridum* copiam cum urina per genitalia pepulisse à muliere horrendis antea torminibus afflicta, notavimus in *Bethesda Göppingensi* nobis obstetri-

cantibus ante 17. annos in lucem edito, *cap.* 15. p. 256. quod idem alia quadam parallela hiſtoria ibidem confirmatur. Et, quis ſcit, an Tænia illa pituitoſa, quæ per easdem acidas è pene cujusdam Juvenis eximia longitudine prorepſit; aliquid *verminoſi* non fuerit? vid. *Bethesd. Göpping.* p. 258. *Lumbricos* per penem multos excretos, & inter alios maximum inſtar viperæ *Zodiacus medico Gallicus* Ann. 1. p. 71. exhibet, & nos in *Præfecto* quodam *Palatino Neoburgico* dolores nephriticis ſimiles frequenter patiente, cum urina cruenta *Höchſtadii* obſervavimus, totamque hiſtoriam recenſuimus in *Miſcell. noſtr. Tom.* II. *Part.* I. Plura *vermium cum urina excretorum* exempla *vid. Ann.* IV. & V. *Dec.* I. *Ephem. Curioſ. obſ.* 156. *Ann.* III. *Dec.* I. *obſ.* 28. *Pechlin. obſ.* 18. *lib.* 1. *Vermis* per muliebria mulieris ſeptuagenariæ prodiens deſcribitur *Ann.* V. & VII. *Dec.* III. *Ephem. Cur. obſ.* 208. Viri *verminoſi* hiſtoria, *vermes* per alvum & urinam reddentis exhibetur in *Act. Med. Hafn. Vol. III. obſ.* 11. *Vermes* vivi hirſuti &c. in *febribus malignis* cum urina excreti *Ann.* V. & VI. *Dec.* III. *Ephem. Curioſ. obſ.* 95. 123. *Ann.* IV. *Dec.* III. *obſ.* 2. Hiſtoriam elegantem viri *mictione cruenta* laborantis, cui poſt exhibita amaricantia antiſcorbutica tres vermes ſanguine turgidi & ſplendeſcentes ad longitudinem papilionum excluſi, tradit *Veſti Diſput. de Miction. cruent.* habita *Erford.* 1686. *th.* 10.

Ad Obſervat. XXII.

FLuxum *hæmorrhoidum* in Mulieribus & infantibus notat *append.* ad *Ann.* V. & VI. *Dec.* III. *Ephem. Cur.* p. 99. *Hæmorrhoides menſtruæ* in fæmina, quoties gravida eſſet, etiam cum menſtruis ceſſantes *Ann.* IV. & V. *Dec.* I. *Ephem. Cur.* p. 281. *Hæmorrhoidum* in pueris Exempla *Ann.* IX. *Dec.* II. *obſerv.* 124. & *Schol. Ann.* IV. *Dec.* III. *obſerv.* 5. In Femina quadam quovis plenilunio fluxiſſe, cum menſes novilunio fluerent, obſervavit *Dol. Encycl. Med. Lib. III. c.* 10. *p.* 519.

Ad Obſervat. XXV.

FLuoris *albi* in puella primo à nativitate octiduo notati meminit *obſerv* 140. *Ann.* VII. & VIII. *Dec.* III. *Ephemer. Curioſ.*

In

In filiola ſex annorum curati Hiſtoria exhibetur in *Act. Med. Hafn. Vol. I. obſ.* 13. In puella itidem octenni & ſeptenni notatus à *Pechlino lib.* 1. *obſ.* 34. In ſexenni *Ann.* III. *Dec.* I. *Ephem. Cur. obſ.* 114. In *Decenni* apud *Dolæum Encycl. Med. Lib.* V. *cap.* 4. *p.* 889. Annon detur quædam differentia & an ejusmodi puellarum *fluor* ſit æquiparandus *fluori albo* mulierum aut adultarum? annon potius coryzæ quædam ſpecies? diſquiri meretur.

Ad Obſervat. XXXIV.

ALiquas mulieres ſine valetudinis ulla noxa menſibus plane deſtitui, *Bayle* notavit *Diſſert. Med. I. p.* 31. Et nos Exemplo mulieris 30. annorum, ſterilis quidem, cætera ſaniſſima confirmavimus in *miſc. noſtr. Tom. I. p.* 237. Cui propterea pellentia Medicamenta, niſi forte *acidulas*, propinare diſſuaſimus, cum ſanguis per menſes excernendus abundare debeat, apud omnes autem abundare debere, neceſſum non videatur. Cur igitur aquam ex pumice? Rarius eſt concipere & parere, quæ nunquam menſes fuderunt. Exempla tamen tradunt ejusmodi mulieris bis puerperæ *Ephemerid. noſtr. Ann.* III. *Dec.* I. *obſ.* 137. Sex liberorum matris, quæ præter *menſes* nunquam profluentes in partu quoque nec aquarum effuſionem; nec lochiorum eſt paſſa, *ejusd. Ann. obſ.* 265. Aliam ejusdem commatis *Ann.* VII. & VIII. *Dec.* III. *obſ.* 19. & 41. Plura recenſet *Bohnius Circul. Anatom. phyſiolog. progymnaſ.* 16. *p.* 242. Adhuc rarius, fluere menſes non niſi gravidis, quale tamen exemplum proſtat in bis memorati *Ephemerid. Ann. obſ.* 384. quemadmodum autem teſte eodem *Bohnio loco citato* menſium incipientium, & ceſſantium termini impenſe variant, ita & nobis viſa mulier, cui anno æt. 29. nulla à præcedanea, aut ſubſequente vel levicula etiam moleſtia lunulæ fluere deſierunt; viſa autem nobis 18vo à menſium emanſione anno, robuſta & obeſa, ipſique ne quid Emmenagogi unquam caperet, ſuaſi.

Ad Obſervat. XXXV.

IN *Sardinia* reperitur *araneæ* genus, ſolifuga dictum, patrio nomine *Bargia* vel *Vargia*. Dum iciunt hominem, corpus

totum intumescit cum inquietudine ac tremore spasmodico. Medela est defossio in fimum calentem aut in clibanum immissio, quoad calor tolerari potest, quod ni mature fiat, intra paucas horas moriuntur; ut est apud *Boccon obs. curios. XVI. p. m.* 352. Itidem curiosus auctor recenset hujus *Solifugæ*, quin & Scorpionum morsum, expedito sanari illito oleo istius insecti, per immersionem vivorum in olivum parati & suspicatur eodem pacto sanari posse *apum*, *vesparum*, *crabronum* ictus, dum ejusmodi insectorum olea in promtu habeantur. Applicatio Lapid. *Cobras*, (qualem *Ottingæ* in ædibus Jesniticis vidimus) araneararum & ipse morsibus medetur, teste eodem *Boccono loc. cit.* De *folio salviæ* ictibus *apum* imposito *vid. etiam Muralt. Hippocr. Helvet. p. m.* 139. ℞. *Ther.* ʒβ. *caric. no. iij. ol. scorpion. aranear. ana* ʒβ. m. f. *Cataplasm.* contra insectorum venenatos ictus. *Quem pupugit serpens, is sumat fœtum asinæ albæ, eumque dilaceret, & morsui imponat. Talmud Schabbath fol.* 109. 2. *& ex hoc Pfeiffer, in Talm. th.* 25. *An.* 1701. *Durlaci* vidimus æstate mulierem capite & oculis prætumidis, in medio frontis observabatur *punctura vespæ*; summa aderat inflammatio cum dolore vix tolerabili. Dabantur intus *alexipharmaca*, *theriacalia*, & quæ *febribus inflammatoriis*, quarum typum morbus præ se ferebat, opponi solent: Foris *Gangræna* jam præsens, cura summa Dn. *Zachmanni*, *Chirurgi & operatoris* percelebris sublata: Cutis totius frontis intra paucos dies ad cranium usque vel ossa frontis abscedebat, & multis abinde septimanis demum ex orci quasi faucibus eripiebatur ægra, relictis tamen in fronte fœdis cicatricibus. Eodem tempore petitus ictu tali laterum coctor juvenis in dextra colli parte: Tumor surgebat immensus, totam dextri pectoris regionem occupans, valde terribilis. Idem eodem tempore rustico cuidam contigit. Omnes tamen per DEI gratiam, licet ægre, cute semper abscedente, curati. Credibile est per certos annorum circuitus insectorum morsus magis noxios ac venenatos esse, quasi tunc prædita essent Sal. vol. acriori & magis corrosivo. Nos in ea sumus opinione, creata cum-

primis

primis à *ſapientiſſimo mundi Conditore* plura inſecta, ut atomos deleterias & impuras, contagiones peſtiferas alioqui producturas ceu conveniens ſibi pabulum attrahant ex aëre, ſicque ab ejusmodi miaſmatis aëra purificent, ut innoxia ſit ejus in hominum juxtim atque pecudum corporibus reciprocatio: ſic ut curioſius inquirere deſinant in cauſſam; cur DEO ſit viſum, inſecta, quorum adeò nullus ſit in orbe uſus, ut multis potius modis nocerant, creare?

Ad Obſervat. XXXVII.

T*Erroris ſpeciem*, *Scanto* dictam *Siculis* familiarem *Boccon.* recenſet p. 471. quo correptus nauta quidam *Diarrhœa* per biennium laboravit, ſingulis nyctheméris 6. vel 7. ſedes paſſus. *Diarrhœa* trimeſtris *vino libanotidis coronariæ* ſublata, teſte *Velſch. Hecatoſt. II. obſ.* 51. Cutis laxa, alvus adſtricta, alvus laxa, cutis adſtricta: hinc ſudoriferis etiam diuturnæ *Diarrhœæ* compeſcuntur, quod in Nundinatore *Haarburgenſi lignorum decocto* perfeci. *Vid. etiam Hoffm. in Pot. Schol. ad obſ.* 62. *Cent. II. Helmontianum* à *Dn obſervation.* auctore laudatum ſpecificum ex *ovi vitellis ad duritiem coctis*, cum & nos optato ſucceſſu non ſemel dare viderimus, ſiniſtre tamen cedit in *Diarrhœa critica*, hoc modo ſuppreſſa; cujus exemplum *vid.* in *Dec. I. Ann.* 10. *Ephem. Cur. p.* 125. *Diarrhœam* ſolo *plantaginis ſucco* curatam notat *obſ.* 137. *Dec. II. an. X.* qualem & nos præter pulverem *pachynticum*, *jure plantag. latifol. medicato* diuturnam curavimus, cujus hiſtoriam recenſebimus, Deo volente, in Jatromnematis noſtris. Mirum *Diarrhœas* quoque *Endemias* contigiſſe, quale quid de *Indis Orientalibus* legitur in *diſput. de Morb. endem.* §. 12. & de *Hybernis* prædicat *Boyle util. philoſ. experim. p.* 335. *Vid. miſcell. noſtr. Tom. I. p. I. p.* 151. & 158.

Ad Obſervat. XXXVIII.

CUrandus nobis ante octennium obtigit Muſicus quinquagenarius à tempore jam longo *Idericus*. In regione lienis erat tumor durus, quem ratione ſitus & aliorum Phænomenorum

Scirrhum

Scirrhum Lienis judicabamus. Inter alia datæ *pilulæ* ex *Gum. Ammoniac. myrrh. Gentian. aſell. ppt. Sal ſuccin. vol. Merc. d.* quibus cum per quatriduum uſus eſſet, dentes dolere, Gingivæ intumeſcere, nobisque nil tale quid opinantibus ſaliva prodire cœpit. Reprobe penſitata *ptyeliſmum* minime inhibendum eſſe rati, eum potius injuncto regimine, debito promovimus. In totum iſte *tumor diſparuit*; æger ad ſe rediit, imò in publicum prodiit. Sed exacto ne quidem ſemeſtri *aſciticus* factus, redeunte paulatim iſto tumore duro, fatis ceſſit.

Ad Obſervat. XLVII.

D*Entibus* in *Indiis* magnus honor habitus. *Odontolatreia* Inſulæ *Ceilon* deſcribitur à *Roger.* in der offnen Thüre zum verborgenen Heydenthum l. 1. c. 4. *Denti* namque ſimiæ Templum exſtructum notat in *Pico d'Adam*, isque vera latreia cultus, ſicut univerſa *India* orientali ſanctius nil haberetur. Sic & *Peruviani* ſibimetipſis tres è ſuperiore, totidemque ex inferiore maxillis dentes extrahere Deaſtroque *Soli*, ceu ſacrum offerre conſueverunt, ut eſt apud *Arnold. append. ad Roger. cap. 39. p. m. 992.* & in *Succatrà* ſacerdotes *dentes inauratos* geſtant eodem teſte *c. 26.* Uti vero puellum triduanum *dentire* rarum eſt, ita rarius, repertum ſex menſium abortum *dentatum*, *teſt. Ann. V. & VI. Dec. III. Ephem. Cur. obſ.* 268. Alium, qui 4. in partu *dentes* ſecum tulit, recenſet *Ann. IX. Dec. II. obſ.* 52. Filiolus noſter primogenitus 16. ætatis ſeptimana binos inciſores protruſit, fato beate functus, poſtquam 22. ſeptimanas cum continuis clamoribus vixiſſet. Alias ſerius *dentientium*, vel certe *dentes* novos ætate provectiore progenerantium hiſtorias hinc inde legimus. Exacto demum *ſeptennio Annus Ephem. ultim. allegat. in ead. obſervatione*; *it. obſ.* 212. *ejusdem anni.* Nos haud ita pridem in Matrona nobili 36. circiter annorum *ſapientiæ dentes* Gingivam terebraſſe obſervavimus. In viro 53. annorum prognatus *dens molaris Ann. I. Dec. III. Ephem. obſ.* 28. In Sene 81. annorum *teſt. Act. Philoſ. Angl.* 1666. *Jan. §.* 10. ubi ſimile propemodum quid recenſetur de Vetula 75. annorum. Aliis poſt 118. 120. annos

nos; quo de vid. *Ann. III. Dec. II. pag.57. Eph.Cur.* vel novi prodierunt *dentes*, vel alii, imo nonnunquam omnes perfecte regenerati sunt. Vid. *Ariſt. l. de Gen. anim. Cardan. de rer. varietate Lib. VIII. cap. 43. Sennert. Prax. Lib. II. part.* 1. *cap.* 10. *Schott. Phyſ. cur. p.* 576. Quidam in anno magno climacterico conſtitutus ſtupendo *dentium* obruitur *dolore*, ſuccedit *febricula*, omniaque dentitioni infantum ſolennia ſymptomata triduoque poſt nova *dentium molarium* ſeries *Ann. I. Dec. III. obſ. ult.* Cum *dentibus* naſci exitioſum cumprimis fœminino generi putatum. Sic *Valeria Regum Romanorum* tempore dentata in lucem edita, *Seſſapiæ*, Urbi olim florentiſſimæ exitio fuit. *Plin. Hiſt. nat. Lib. VII. cap.* 16. quo itidem teſte Filio *Pruſiæ*, *Regis Bithyniæ*, loco *dentium* unum os continuum in ſuperiori maxilla fuit. Noſtris temporibus *Galliæ Rex*, quem dentatum in lucem editum prodiſſe referunt, non uni *Urbi florentiſſimæ*, ſed pluribus, imò toti propemodum *Imperio Romano* exitioſus fuit. Cur animalia reliqua dentata naſcantur, homo non item, ratio eſt, quod *dentes* in homine recens nato, quippe ſolidiores cibos non aſſumente, nullo ſint uſui, imò potius impedimento. Hinc & verus ablactationis terminus, dentium eruptio, quo indice ſolidiorem ſibi cibum poſcere videtur natura. Et ante hoc tempus infantibus ejusmodi cibum recte præbere vetat *Primeroſ. de vulg. err. p. m.* 102. Cuidam dens tantus fuit, qui in 100. *dentes* alios dividi potuiſſet; *Auguſt. de Civitat. DEI cap.* 9. Prænaturam *dentium* eruptionem, uti cauſſas internas, febriles præcipue ebullitiones, promovere poſſe non negaverimus, ita *turundis* utplurimum adſcribendum putaverim, quibus nutrices & matres mollitiei deditæ, parvulorum oſcula claudunt, ejulatusque ſic impediunt. Aquis puta ſaccharatis macerant panes aut domeſticos, aut biscoctos linteisque illigatos exſugendos infantibus præbent, quorum *Gingivæ* per ſe teneræ continuis iſtis ſuctibus extenuantur magis, ut hinc juſto maturius *dentes* ex alveolis prodeant. Sed & prolectus ex iſtis *turundis* ſuccus in puſionum ventriculis aceſcens convulſionum auctor exiſtit, unde

per accidens, qui mature *dentiunt*, infantes brachybii evadunt.

Ad Obſervat. XLVIII.

SUpra & intra *meninges* alibi quoque calculos repertos recenſet *Illuſtr. Franc. in Lapicidina Capitis* §. 39. *ex Weppero, Cattierio, Veslingio, Blaſio, Bartholino, Hildano*, quamvis & hanc noſtri Dn. *Auctoris* ibidem *obſervationem* alleget. Si in omnibus corporis partibus nulla hactenus excepta; reperti ſunt calculi, quod intra meninges etiam inveniantur, adeo mirum non eſt.

Ad Obſervat. XLIX.

SImilem hiſtoriam dedimus ad *Ann. VII. Dec. II. Ephem. Cur. Obſ.* 237.

Ad Obſervat. LXI.

PHthiſicos conſummatos non temere alio peregre decurri poſſe, ni vitam ſibi abbreviare velint, recte ſtatuit *Exc. Dn. Auctor*, & eventus comprobavit. Idem & hic ante ſemeſtre circiter accidit *Scribæ* cuidam *Marbacenſi*. Nam hic à ſeptem circiter jam menſibus affectu *phthiſico* correptus, ſic ſatis adhuc validus *Stuttgardiam Sulza* delatus fuit; ut affectui medicaretur. Sed per aliquot menſes hic commoranti, cùm adhibita varia levamen adeò nullum intuliſſent, ut *alvi fluxu colliquativo* ſuperveniente, in deterius omnia potius vergerent, in mentem denique venit ægroto, ſe *Marbaci*, in patria quippe ſua, promtius convaliturum. Ab hoc propoſito nullis ſe rationibus etiam è *Theologia* petitis, dimoveri patiebatur. Sic enim animo conſequendæ in patria valetudinis inſederat opinio, ut hic adhuc commoratus aquam fontanam pro potu ſibi *Marbaco* afferri curaret, hanc aquam noſtra *Stuttgardiana* ſalubriorem identidem prædicans. Ego denique ſic mecum ratiocinatus ſum. Fortaſſe *noſtalgia* ſimul bonus ille Scriba laborat. Conclamatum quidem eſt cum ipſo, morsque certa, ſive hic maneat, ſive aliorſum devehatur. Sin ultra renitimur, ſibi propterea Stuttgardia moriendum eſſe cauſſabitur, quod *Marbacum* delatus non fuerit:

Phar-

Pharmacis omnibus invitus utetur, querelarum finis non erit. Prognoſtico dato in vecturam conſenſi cum Domino *Collega Medico ordinario*; dantur abeunti, quæ fortaſſe in via viribus deficientem reficere poſſent. Lecti & pulvinaria circumcirca rhedæ obvoluta, hisque mortis Candidatus imponitur. In via parum incommodi ſenſit. Altera poſt Adventum die *Marbaci* exſpiravit, hic ſine dubio, morbi ſignis id indicantibus per menſem adhuc vitam pertracturus. *Phthiſici* confirmati cum rhedis vehuntur, concuſſione valida id efficiunt, ut exaſperetur *tuſſis* & pituita bronchiis pulmonum magis incuneata, ſicque expectoratione impedita, *dyſpnœa* augeatur, unde ſuffocatio accietur, ne dicam de ſpirituum in ſe paucorum per motum ejusmodi violentum prodiga magis diſperſione. Aliter ſe res habet, ſi primi ſint, vel medii quoque gradus *phthiſici*, ſic enim à mutatione locorum & aëris interdum levari malum, imò tolli *Britannorum* eſt *praxis*, qui *Phthiſicos* ſuos *Caletum* in *Gallias* relegare ſolent, quorum multi valetudinem recuperant, teſtibus *Mortono* & *Sydenhamio*. Quæri poſſet: An bona conſcientia Medicus in *Phthiſici* noſtri profectionem conſentire potuerit? Circumſtantiarum diverſitas vel negativam vel affirmativam tuetur.

Ad Obſervat. LXXIX.

EJusmodi aquæ rubicundæ è foſſis opidorum ſcaturientis plures hiſtoriæ in *Wirtembergia* noſtra ſemet obtulerunt.

1. In opido *Beilſtein* tale quid obſervatum reperitur in *Schwelins* kleiner Würtembergiſchen Chronick p. 314. cujus verba ſic ſonant: Im 1583. Jahr von dem 5ten ungefehrlich biß auf den 17ten Auguſt. ſind im Würtembergiſchen Städtlein Beilſtein im Stadt-Graben daſelbſten umher / erſchröckliche Blut-Quellen entſprungen / welche zu gewiſſen Stunden vor- und nach Mittag ſtätig über ſich gequellet zuſammen wie Blut / welches man unterſchiedlich dermaſſen geſehen / daß es das andere Waſſer im Graben gefärbt; von vielen Perſonen / die Verwunderungs wegen dahin gezogen / mit Gläſern und andern Geſchirren aufgefangen / an vielen Orten hin und wieder geſchickt / vom Vogt daſelbſten an die hohe Obrigkeit berichtet / da-

rauf ihr Fürstl. Gnaden diese wunderbahrlich zuvor unerhörte Blut-Quellen durch Hn. Georg Gadner/ der Rechten Doctor und Fürstl. Rath ꝛc. besichtigen und erkundigen lassen; derowegen solches für ein Wunder Zeichen und Warnung Gottes gehalten worden. Wie dann Hr. Jac. Heerbrand/ der heil. Schrifft Doctor und Prof. zu Tübingen/ hiervon in seiner Buß-Predig Meldung thut; Es bedeute Krieg und Blut-Vergiessen. Latine sic sonant: Eodem anno sc. 1583. à 5. circiter usque ad 17. Aug. in fossa oppidi Würtenbergici, *Beilstein*, circumcirca scaturierunt horrendi fontes sanguinei, qui certis horis ante & pomeridie è fundo versus aquæ superficiem continuò sublati sunt instar veri sanguinis, reliquam fossæ aquam colore rubicundo tingentis. Ab innumeris hominibus, qui miraculum hoc spectatum illuc abierunt, lagenis vitreis aliisque vasis aqua hac excepta, hinc inde in alia loca transmissa fuit. Præfectus loci cum ad Serenissimum rem omnem detulisset, Consiliarius Ducalis, D. *Georgius Gadner*, illuc ablegatus fuit, ut oculis eam arbitraretur, & in circumstantias solerter inquireret. Scaturigines istæ cruentæ pro ostento & admonitione divina habitæ. Motus hinc Dn. *Jac. Heerbrand*, *Profess. Theol. Tubing.* in concione quadam pœnitentiaria, minitari DEUM bella & cædes judicavit.

II. Ante plus, quam decennium eædem scaturigines in *Schorndorfiensi* fossa observatæ, Exc. Dn. D. *Jægerus*, Physicus loci dexterrimus, tunc quoque temporis ad *Collegium Medicum Ducale* in hanc sententiam scripsit: De fossa nostra sanguinem scaturiente sine dubio, sicut alibi, sic & *Stuttgardiæ* relationes miras divulgatas esse conjecto. Proinde meum esse duxi, ut ad amplissimum *Collegium Medicum* succinctam hujus Phænomeni historiam decenter exararem. Nimirum 20. Aug. (quamvis, ut aliqui recensent, idem jam ante septimanas aliquot fuerit observatum) in certa quadam parte exterioris nostræ fossæ, in qua pisces asservantur, notalibis tractus aquæ rubeum colorem ostendere cœpit, reque studiosius observata, scaturigo quædam è fundo ascendens visa, eodem plane modo, quo sanguis è vena pedis

dis pertusa sub pelvi aqua calida plena sursum scaturire videtur. Ab illo tempore eadem *Tinctura* è pluribus fossæ locis, radiis potissimum solaribus ea illuminantibus, quod intra horam circ. 10. & 11. antemeridianam accidere solet, quamvis relationes non omnes sibi consentiant, ex fundo quasi scaturiens observata. Re verò penitius inspecta clarebat, hanc rubedinem cremoris instar cœno, qui ubique ferè magna altitudine, in fossæ fundo cumulatur, quasi incumbere, vel induci & à leviſſima motione aquæ vel etiam ipsiusmet cœni sursum tolli, aquasque supremas claras colore suo tingere; sic ut eminus mustum rubrum mentiatur. Tincta hæc aqua hausta tentamine primum facto retulit dilutiorem *Laccæ Tincturam*, & intra dimidium horæ spatium pigmentum rubrum in tantilla quantitate in vasis fundum delapsum est. Odor est fracidus, proprius aquæ lacustri stagnanti naribus adversus, sapor nil peculiare exhibet. Pondus aquæ tinctæ limpidam haud admodum exsuperat. v. g. mensura dimidia aquæ tinctæ ponderabat ʒxxxvij limpidæ vero ʒxxxvi. Tametsi Tinctura non semper eadem sed pro varietate temporis & loci nonnunquam dilutior, interdum magis saturata. Tentamina quædam socias manus applicante *Pharmacopæo* cum aqua hac tincta instituere non intermisi, cui fini *duas Amphoras Wiirtembergicas* haurire jussi. Post 3. circ. horarum quietem, duabus tertiis, quæ interim claruerunt, decaulatis, reliquum Pharmacopolio illatum fuit; Mane per iteratas decantationes liquorem tinctum ad 20. *circ. mens Wiirtemberg.* reduximus, hujus *mens.* viij. ex Vesica ad Medietatem destillavimus, prolecta aqua existente limpida, lacustri odore cum pauco supernatante quasi unctuoso cremore. Residuum in vesica *omni simul rubore omnique fœtore spoliatum* erat, coloris obscuri turbidi, ut in destillatione aquarum simplicium fieri solet. Destillatio ex arena nil aliud plane, quam prior ista, exhibuit. Tentavimus igitur liquorem per varias *præcipitationes* & spiritibus acidis Sulphur. Vitrioli, Nitr. instillatis, rubor confestim, relicto liquore, in forma *præcipioli bolaris* facillime resolubilis fundum petebat, ea solum cum distinctione, ut sedimentum ab in-

ſtillato ſpiritu Sulphuris pallidius eſſet. Solutio Aluminis colorem parum immutabat minus adhuc Ol. Tartari *per deliq.* poſt aliqualem moram tamen liquores clareſcentes *Tinƈturam* ſub forma *mucilaginis flocciformis* in fundum deponebant, velut in ſuccis expreſſis ; ex levi vero motu denuò reſolubilis & liquori *Tinƈturam* reddentis. *Deƈoƈtum Gallarum* liquorem faciebat turbidum, craſſum inſtar *lixivii antimonialis*, cum ſedimento primo rubro poſt flaveſcente. Omnia hæc Tentamina liquorem ſapore & odore priſtino non exuebant, excepto acore à deſtillationibus neceſſario reſultante. Per evaporationem omnia avolabant, ſicut in aqua ſimplici, excepto levi cremore nigro ſummitati ollæ adhærente. Quæ per filtrationem nacti ſumus, hic in originali, quod ajunt, transmittimus à 60. ad minimum *menſuris Würtembergicis* relicta, neque ingratum futurum exiſtimavi, ſi *Tinƈturam* ipſam per poſſibiles ſubſidentias & frequentiſſimas decantationes, ex magna aquæ quantitate ; qua potes ſaturatiſſimam redditam & collectam, curioſæ veſtræ contemplationi ſiſterem.

P. S. Scaturigo colorati liquoris in foſſa locum mutare ſolet, ita quidem ; ut quo modo loco fuerat, alibi erumpat, priſtinum tamen locum iterum recuperando: ſic & in vaſis Tinctura rubicunda paullatim evaneſcit. Ab initio enim Pharmacopœus tantum illius collegit, ut literas rubras pingere potuerit, intra paucos autem dies *tinƈtura* penitus defecit, ut præter maſſam nigricantem in parva quantitate nil reliqui manſerit, quale quid in evaporatione ollæ adhærere ſupra memoratum.

De hac igitur Tinctura inſolita, & hominum memoria in foſſa noſtra antehac nunquam obſervata, unde ea ſuſceperit originem &c. quid judicandum, ea doctioribus decidenda meritò relinquo, ſatis habens, vi tentaminum ſupra narratorum *Tinƈturam* magis realem, naturalibus mutationibus obnoxiam, licet rara curioſitate non carentem quam miraculoſum vel ominoſum portentum agnoviſſe ; quamvis propterea *Theologis*, occaſionem ad vitæ Chriſtianæ monita hinc arripientibus, adverſari non ſuſtineam. Hactenus Dn. D. *Fægeri* Relatio.

Poſtea

Poſtea verò, quam in fine Ann. 1703. cum *parallelismum* hunc jamjam meditari cœpiſſem, à viro hoc dexterrimo transmiſſa *obſervatione Elsholtiana*, in quantum cum *Schorndorfienſi* conveniret, per literas cognoſcere averem, non tam ab ejus humanitate relationem jamjam notatam, ſed & ea, quæ pone ſequuntur, circa principium Ann. 1704. obtinui.

Quam *de aqua noſtræ foſſæ ſanguineo rubore oculos ſpectatorum percellente*, hiſtoriam nuper à me flagitaſti, *Collegio Medico*, quod *Stuttgardiæ* eſt, *Ampliſſimo* r. t. prolixiori calamo deſignatam, hic ſub priſtinis formalibus transmitto. Patebit exinde, me vel tacente, potiſſimorum articulorum convenientia & differentia; ne tamen petitioni Exc. tuæ, quæ mihi pro imperio, deeſſe videar, ſigillatim reſpondebo ad potiſſima in *obſervatione Elsholtiana* memorata, & quidem in hiſtoria 1. occurrit *modus ſcaturiginis*: Apparuit equidem noſtra ſub ſpecie ſanguinis ex vena pedis inciſa, in aquâ undulantis itidem pollicis magnitudine in tribus, nî fallit memoria, locis, iisque non ſimultanee, ſed hac ſeptimana hic, altera illic, ebulliens, tingebat inſuper noſtra extemplo, & quidem multo majorem aquæ circumferentiam, horisque meridianis & ſole verticali diu tincta permanebat, tandem verò ſenſim fundum petens, *cremoris rubri* inſtar ſubſidebat.

2. Ordinariè quidem ab hora 9. 10. ad 12. vel tertiam pomeridianam Tinctura hæc, non tamen excluſivè, ſed quocunque tempore ventis, lapidibus injectis, vel etiam baculo ſaltem ſuperficiariè agitata apparuit ad tempus, paulo poſt fundum denuò repetens.

3. Qua Experimenta: Cum ſanguine animali probam non inſtitui, nec corticum arborearum ſcobi, ſed radices arundinis vulgaris copiosè in foſſa creſcentes, ut & flores plumoſæ ſimilem ſatis *Tincturam* aquæ dederunt, haud diu tamen durabilem, attamen etiam ſubſidentem ſeu præcipitatam.

4. Colatura dedit ſimile ſpiſſamentum brunnum, gummeum

meum quasi, ast in tam exigua quantitate, ut examini ulteriori, quod sperabam, subjici nequiverit; hinc Chartam ipsam Colatoriam cum Epistola t. t. *Stuttgardiam* transmisi.

5. Quid destillatio per arenam & vesicam, nobis monstraverit, recitat Epistola; fœtorem, quem in residuo magmate humani propè stercoris æmulum Exc. D. *Elsholtius* percepit, nos non advertimus, sed lacustrum, putridum, naribus adversissimum, & ordinarium, quem habent, si

Vitium capiunt, ni moveantur aquæ.

6. *Lacca pictoria* dedit nobis pariter *Tincturam* nostræ maximè conformem, convenientibus itidem omnibus circumstantiis ibidem memoratis.

7. Qua elevationem, easdem ferè conditiones observavimus, excepto tempore, cum nobis semper horæ meridianæ alterationem aquæ tam domi asservatæ, quam in fossa monstraverint.

8. Tandem ratione gradus non eadem semper visebatur Tinctura, sed jam dilutior, jam saturatior, diversis temporibus pro ratione Solis, Ventorum, apparebat.

Ex hoc puncto adhuc memorabile annotandum duco, quod Pharmacopœus noster, junior *Palm* (cujus opera in toto hoc negotio usus sum) ex aqua fossæ tincta, per multas decaulationes (post expectatam semper subsidentiam) concentrata literas aliquot vel potius monita devotionem spirantia (suo usus Sensu & judicio) chartis inscripserit, hinc inde transmissa; Scriptura hæc ex rubro violacea primo pulchra satis, aliquot mensium spatio valdè pallescens, hac ipsa tamen hora manifesto, licet non adeò saturato, rubore adhuc videri potest.

9. Qua judicium: *Animale Regnum* excludere videtur præter allegata experimenta, Colatura in linteis nullam *Tincturam* ostendens, quod alias experimentum in *Urina* & aliis liquoribus rubicundis, an ex sanguine color deducendus, quibusdam placet.

10. *Minerali* origini obstare videtur levitas particularum tingen-

tingentium, quam elevatio meridiana, ſubtilis & vix ulla corporeitas; quam Colatura nihil ferme, præter colorem tangibilis vel terreſtris, ochrei in charta bibula oſtendens, immò evaneſcentia totalis in foſſa & notabilis ad pallorem declinatio in Scriptura refellere videntur.

II. *Vegetabilium* naturam potius redolere, tam modo dicta, quam cum *ſpiritibus* & *liquoribus*, *acidis*, *ſalinis*, allegata in Epiſtola, experimenta, nec non evaporatio; *arundinum ſimilis Tinctura*, totiusque coloris in foſſa paulò poſt totalis obliteratio an perſuadeant? Doctioribus decidendum relinquo, ego tenuitatis meæ conſcius nodo huic *Gordio* ſolvendo me imparem lubentiſſimè profiteor.

III. Menſe *Junio* 1707. plane idem in foſſa Oppidi *Palatini*, *Eppingen* dicti, obſervatum. Relatio talis eſt: Hodie i. e. 18. *Junii*, mutata eſt aqua in foſſa *Eppingenſi*, quæ, quo clarior & limpidior fuit, eo nunc rubicundior eſt, ſic ut iſte liquor inſervierit huic Epiſtolæ ſcribendæ, & tota foſſa adeo rubris aquis ſcater, ut mœnia inde tincta conſpiciantur. Aqua hæc ſanguinea ſcaturire cœpit antemeridiem hora 9. & quidem è 30. circiter locis profluit craſſitie brachii: quando ſuperficiem aquæ tetigit, diſſilit, quaſi pulverulenti quid in ſe contineret, ſed colore prorſus ſanguineo. Piſces iſti foſſæ innatantes à principio fugerunt iſtas ſcaturigines, refugium omnes ad latus foſſæ in extremitate ejus quærentes, ſed quamprimum aqua rubens totam ſuperficiem obtexit, retrogreſſi propemodum omnes moriebantur. Quid hoc ſit ominis, & quid inde expectandum, DEUS novit. Mœror & pavor nos univerſalis inceſſit, & quotidie huc ultra mille extranei miſeriam hanc ſpectatum ad nos confluunt.

IV. Eodem tempore idem viſum in foſſa *Giiylingenſi*, quod eſt oppidum *Würtembergicum*, haud procul *Eppinga* ſitum. Præfectus loci rem geſtam transcripſit, miſſa ſimul hujus liquoris lagena, qui *vinum rubrum Tyrolenſe* exacte referebat. Scriptura hoc liquore exarata primum eleganter rutilavit, ſed color ſenſim palleſcere cœpit.

Notabile, ſcaturigines has omnes menſibus æſtivis contigiſſe nec diu duraſſe. Certi quid determinare arduum; cumprimis illi, qui præſens omnia curioſis oculis non perluſtravit. Non diſplicet tamen αὐτόπτε exc. D. D. *Jægeri* judicium.

Ad Obſervat. LXXXI.

SPicam *ſiligineam è pectoris abſceſſu* in ſervo aulico *Hohentrüdingano*, prodiiſſe dictam, his manibus palpavimus, & cum ipſo ſervo locuti ſumus, ante hos 10. annos; qui & ipſe talem ſpicam improvidus deglutiverat.

Ad Obſervat. LXXXIV.

V*Ariolas* in illis, qui paulo ante *Luc Fæda* laborarunt, exitioſas eſſe, An. 1705. in quodam Nobili 24. ann. vidimus.

An. 1707. ſub anni cunabula *variolæ* hic *Stuttgardiæ epidemice* graſſabantur. Moriebantur plures ob peculiarem malignitatem illis ſociatam: plurimi verò, aut non, aut malè curati. Nam *variolarum* cauſſa *Medicum* accerſere plerique operæ pretium non eſſe exiſtimant. Præbent *decoctum lentium* & *vinum rubrum*, præterea nihil. Filiola quædam habebat quamplurimas, ſed depreſſas, nec poſt eruptionem vel appetitus redibat, vel ſymptomata mitigabantur. Cùm omnia nihilominus in vado eſſe cenſerentur, puella ſuis unguiculis pedes & cumprimis ſuperiorem tarſi partem utrinque nimium ſculpendo plurimas excitavit puſtulas nigras, quas preſſo pede *Gangræna*, hinc mors ſecuta.

Filiolus $3\frac{1}{2}$. ann. ante eruptionem vehementer me non admodum perculſo vomuit, cum verò poſt eruptionem *vomitus* nullatenus ceſſarent, parum fauſta ominabar. Quinto nempe die ab acceſſu *vomitus & dejectiones ſanguineæ* quam plurimæ eæque fœtidiſſimæ, poſtea mors cita. Sanguinis evomebatur, & cacabatur propemodum incredibilis quantitas & dejecti fœtor teterrimus.

Filiola $8\frac{1}{2}$. annor. *varioloſa* marceſcentibus jam puſtulis genas

nas unguibus ſcalpſit, quarum ſiniſtra fuit inflammata. Vetula quædam *unguentum* per 11. dies applicavit; gena hinc ſiderata abſcedente ab oculi ſiniſtri inferiore palpebra usque ad mentum omni carne, cum parte maxillæ ſuperioris & dimidia portione utriusque labii, dentibus ſimul iſtius lateris omnibus evulſis, ut pateret inſpectus usque ad fauces. Curata fuit puella, ſed facie nunc monſtroſa, qualem in vita non vidi, quamvis plures viderim, quibus *Carcinoma* faciei partem exederat. Vidimus etiam tunc in aliquibus *puſtulas* peſſimi moris, paucas, ſed, periculi plenas, quippe lividas & foveas tantum non nigras ſibi fodientes; *alexipharmacis* in-& externis magna cum ſollicitudine, ac *ſphacelus* irreperet debellandas. Plures erant Infantes, quorum *Variolæ* plane non ſuppurabantur, ſed, cruſtæ ſolæ, ſquammarum facie, ſuo tempore ſine pure ullo decidebant.

Ad Obſervat. XC.

HÆc obſervatio, ſi vera eſt, miraculo non caret. *Talpa* videtur eſſe animal brevis ævi. Mirum ſi per 15. annos, in hominis, cumprimis ventriculo, ſuperſtes exiſtat, cum teſte *Alberto*, per 2. vel maximè 4. horas extra terram ſupervivere non poſſit, quid dicamus de habitaculo minus idoneo, *ventriculo* hominis, cibos potusque varios, *talpæ* non convenientes, ingurgitante, ſalſos præcipue, acidos, fumo conditos, quales in iſtis regionibus utplurimum aſſumuntur. Ne dicam de *fermentatione* & aliis. Quidſi μυριοτεχνίτης hic etiam credulis illuſerit? *Talpa* naturali inſtinctu & exercitio ſemper fodicat, ventriculum non perfodiſſe intra tantum temporis ſpatium miriſſimum. Semper ſurſum tendit, cur exitum è diverſorio ingrato, calidoque vaporario per os nunquam quæſivit. *Talpæ* anatome exhibetur in *Ann. II. Dec. I. Ephem. Curioſ. obſ.* 57. & apud *Muralt. Clav. Med. p. m.* 556. Ignoſci mihi velim, ſi non tam facile credam.

EXPERIMENTA
Circa Culicum generationem
à
PETRO PAULO à SANGALLO, Florentino,
facta,
Atque ad
III. DN. FRANCISCUM REDUM
perſcripta,
Florentiæ Anno 1679. Italico ſermone edita,
nunc Latinitate donata,
Atque ab
Exc. D. D. JOSEPHO LANZONO, Profeſſore & Protornedico Ferrarienſi communicata.

Illuſtriſſime Domine!

CUm aliquando in æſtate veſperi circa templum S. Mariæ floridæ cum Amicis nonnullis deambularem, &, quoniam omnes Philoſophiæ ſtudio pro viribus incumbebamus, de rebus Philoſophicis amice; & procul à more eorum, qui non ſciendi, ſed contendendi animo inclareſcere volunt, diſcurreremus, Culices aliquot ſtridendo nos circumvolitarunt, nobisque de iſtorum parvulorum volatilium natura prolixius differendi anſam dederunt; nam, uti *Plinius lib. XI cap.* 2. ſcripſit: *In his tam parvis atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? Ubi tot ſenſus collocavit in culice? & ſunt alia dictu minora. Sed ubi viſum in eo prætendit? ubi guſtatum applicavit? ubi odoratum inſeruit? ubi verò truculentam illam & portione maximam vocem ingeneravit? qua ſubtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura? diſpoſuit jejunam caveam uti alvum, avidam ſanguinis, & potiſſimùm humani ſitim accendit? telum verò perfodiendo tergori, quo ſpiculavit ingenio? atque ut in capaci*

paci cum cerni non poſſit exilitas, ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter ſorbendoque fiſtuloſum eſſet. Tam acutum illud eſt, tamque dextrè ad pungendum eo utitur, ut non ſolùm teneras humani corporis carnes, ſed ſolidiſſimum etiam bubulorum, boum & elephantum corium penetret, imo leones ipſi, animalia tam robuſta, ab eorum tædioſiſſimis puncturis tuti non exſiſtunt, à quibus ut ſe liberent, (uti narrat *Ammianus Marcellinus*,) profundiſſimis Meſopotamiæ fluminibus ſe immergere coguntur. Verùm, quod majorem conſiderationem meretur, natura, ut parvum hoc animalculum magis admirabile redderet, non ſolùm ſenſibus externis, ſed internis etiam locupletare voluit, id quod optimè obſervavit & eleganter deſcripſit celebris quidam Arabs in *parte 2. ſui libri de mirabilibus creaturarum & variorum inter eſſentias* inſcripti. Hic itaque Arabs, qui eſt *Doctor Zaccharias Ben Muahammed Ibn Mahmud*, qui cum natus ſit in civitate Casbin in Perſia, communiter vocatur *Elchazuinus*, aut ceu alii habent, *Alchazuinus*, talia de culice differit: *eſt ibi animalculum, quod in parvo ſuo corpore figuram elephantis habet, & omnia quæ natura elephanti conceſſit, etiam culici dedit, ſuperadditis inſuper alis. Intuere ejus ſtaturam, quæ tam parva eſt, ut ubi volitat, vix oculis comprehendi queat; conſidera porrò caput, quod revera vix caput præſentat, & tamen in illo potentia videndi & audiendi reſidet; cogita binc, quæ cerebri in tam parvo capite moles eſſe queat, & nihilominus quinque facultales internæ ibi reſident: eſt ibi ſenſus communis, qui animalia obvia percipit; eſt imaginatio, quia dum carni animalis inſidet, proboſcidem ſuam ei intrudit, quod parieti adhærens non facit; eſt intellectus æſtimatio, qua optime diſtinguit eos, qui perſequuntur, & qui non perſequuntur, ab illis, non ab bis fugiens; eſt memoria, propter quam, ubi particulam ſanguinis ex vulnere ſuxit, mox aufugit, conſcius dolorem ſe hoc modo excitaſſe, & ſic vindictæ illius, quem offendit, ſe eſſe expoſitum; eſt vis cogitationis, ex qua fit ut cedat, quando humanæ manus motum ſentit, ſciens ab ea ſe offenſum iri, ſubito autem, eâdem ſe*

retrahente, ad priſtinum locum revertitur, dum quod ipſi exitium minabatur, receſſiſſe cognoſcit. Hoc modo ſermones mutuos miſcendo dum progrediebamur, unus ex nobis ſubjunxit, Dominationem Veſtram rarum quid & mirabile in celebri ſuo *libro de experimentis circa generationem inſectorum*, de culicibus annotaſſe, nempe quod animalcula hæc in illa ipſa perfecta ſtatura naſcantur, quam per totam vitam conſervant; unde curioſum ſuum deſiderium expoſuit propriis oculis videndi, num experientia revera confirmaret id, quod Dominatio Veſtra recenſuit. Prorſus non dubito, alius noſtrûm regeſſit, eſſe rem veriſſimam, quam *Dn. Franciſcus Redus* propoſuit, quia tale quid in aliis etiam inſectis volantibus fieri video, & ſpeciatim, ut de muſcis ſileam, ſæpe & attentè vidi, quod, ubi folliculi ſerici papiliones pariunt, hi ex folliculo in perfecta magnitudine exeant, quæ augmentum non admittat. Mihi, qui ex memorato libro falſitatem opinionis illorum evidenter cognovi, qui inſecta ex materia aliqua, quæ putrefacta diſponatur & habilis fiat, ut in animalia viva transmutetur, naſci credunt, nihilominus quoniam aliquæ adhuc impreſſiones, quas primis à Præceptoribus in pueritia accepi, mihi remanſerant, nonnihil tamen ſuſpicionis de hac generatione, inprimis culicum ſupererat. Unde eandem, prout ex *Ariſtotele* fui inſtructus, Amicis meis exponere volui, qui præterquam quod animalia ex materia putrida ſupra terram naſci aſſerit, in plurimis inſuper locis, talem generationem quoque in elemento aquæ inveniri docet, prout inprimis hoc in *cap.* 19. *libr.* 5. *hiſt. animal.* affirmat, culices nempe ex illis vermibus naſci, qui aſcarides vocantur; aſcarides verò ex luto, aut ſedimento puteorum, vel alio quovis loco, ubi aqua colligitur & ſtagnat. Ab opinione *Ariſtotelis* non diſſentit *Ulyſſes Aldrovandus lib.* 3. *de inſect. cap.* 5. ſcribens, quosdam culices ex cadaveribus putrefactis, alios ex putri materia, quæ in fundo ſtagnorum & paludum reperitur, aliosque ex herbis & arboribus generari. Multos deſuper, nec non de aquæ & terræ differentiis diſcurſus inter nos movimus; tandem verò concluſum fuit, vanos

nos utplurimum & inutiles esse syllogismos; conjecturas & plausibiles rationes, ubi duce experientiâ, comite judicio & ingenio in veritatis cognitionem veniri potest.

Quare cum opportunum æstatis tempus esset, non inconveniens fore propositum fuit, si aliquis nostrûm, veritatis hujus eruendæ causâ experimentum institueret; id quod mihi, utpote annis minori & curiosiori fuit commissum. Hoc etiam, qui penitus consentaneum reperi illis, quæ à Dominatione Vestra cum tanta diligentia, sedulitate & doctrina scripta fuerunt, nunc recensere audeo, certus eadem humanitate & protectione suscepturum iri, qua mihi studiisque meis favere hucusque placuit.

Die igitur 20. M. Junii hujus anni 1679. largam quantitatem illius aquæ apportari curavi, quæ quasi stagnans in vivariis versus collem Imperialem sitis invenitur. Hanc in vase vitreo aperto, sex digitorum transversorum altitudine, in ædibus meis libero aëri exposui, eandemque quantitatem in alio simili vase optimè clauso locavi; & postea continuâ observatione vidi, vas apertum culices aliquos circumvolitare, propterea que intentionem meam posse me obtinere certo speravi; neque hac meâ spe excidi, quemadmodum d. 24. dicti mensis vermiculos aliquos natare ibi deprehendi, tam minutos, ut vix oculis patuerint, nec figura eorum distingui potuerit, quamvis admodum probabile sit, ob aquæ refractionem & vasis quasi rotunditatem eosdem majores quam revera erant adparuisse; cum interea altero in vase clauso vermis nullus hactenus comparuerit, licet multi culices illud circumvolitaverint & ingressum tentaverint. D. 23. vitrum, in quo vermiculi isti natabant, chartâ foraminulis pertusâ à me clausum fuit, ne, si fortasse culices ibi producerentur, avolare possent, antequam eosdem observassem. Diebus seqq. sensim crescendo, d. 10. M. Julii ad eam magnitudinem pervenerunt, ut eorum externam figuram optimè videre potuerim. Hi utplurimum ex decem segmentis vel annulis componuntur, qui quo magis ad caudam accedunt, eò magis etiam in magnitudine diminuuntur. Primus annulus, qui capitis officium præ-

stat,

ſtat, aliquantum major eſt cæteris omnibus, inque parte anteriore aliquid oblongum habet, aut rugam, in qua os eſt, quod in continuo motu eſſe videtur, atque in medio duorum cuſpidum vel recurvorum corniculorum juxta ſe poſitorum comparet. In altera extremitate, quæ caudæ loco exſiſtit, antennula viſitur, paulò craſſior, ubi cum corpore vermis jungitur, & paulatim ſubtilior evadens, usque dum tenuitatem imperceptibilem nanciſcatur, nec in unum cuſpidem, ſed in duos inſtar amplioris furcæ terminatur, uno ad dextrum, altero ad ſiniſtrum latus inclinante. Cæterum totum corpus minutiſſimis, diverſæ longitudinis pilis tegitur, quorum longiores horizonti ſunt paralleli. Verum quia minutias tales commodè & clarè deſcribere nequeo, meliorem in modum, quantum fieri potuit, culicis figuram, eamque multo majorem, quàm revera eſt, ſiſtere volui, qualem ſcilicet microſcopium unico lente inſtructum monſtravit, *numeroque* 2. Tabula exhibet.

Vermes igitur iſti, aquæ innatantes, variè ſe agitant, potiſſimum verò à fundo vaſis rectà ad aquæ ſuperficiem, non tamen more animalium antrorſum, ſed retrorſum, caudâ nimirum prævià tendunt, atque ubi ſummitatem aquæ attingunt, ibidem parumper, & cum cauda bifurcata ei quaſi immobiles adhærere videntur, reliquo corpore pendulo, & capite deorſum ſpectante, ubi verò ad natandum redeunt, maxima cum celeritate id exequuntur.

Interea corporis mole usque ad d. 20. Julii creſcere continuarunt, quo die aliquos figuram, colorem, motumque, antennulâ nempe illâ caudæ bifurcatâ diſparente, & in dorſo juxta caput duobus ſupra memoratis corniculis prodeuntibus, mutaſſe vidi, colorem inſuper, quem antea nigricantem cinereumque habebant, jam candidum & quaſi pellucidum ſunt adepti; in motu, à fundo vaſis ad ſuperficiem aquæ, ad ſemicirculi figuram inflexi lentiſſimè aſcendebant, aut ut melius dicam, ferebantur vel impellebantur, eo prorſus modo, quo in aqua corpus aliquod minus grave, quàm aqua ipſa eſt, quaſi ſuſpenſum aſcendit: ubi

verò

verò dorso summitatem aquæ attigerunt, immobiles ibi paululum morabantur; sed ubi ad fundum remeare volebant, magnâ & vehementi velocitate id faciebant, & semicirculum suum dilatabant, ad modum arcus sagittam emittentis. Horum figura *numero* 3. præsentatur.

Diebus sequentibus omnes reliqui vermes, jam unus, jam alter, in eandem figuram, colorem & motum se transformarunt, ita ut d. 26. Julii omnes eâdem ratione fuerint mutati; & sic ad primum usque diem Augusti perstiterunt, ubi primum culicem enatum vidi, reliquis successivè eodem modo comparentibus, ita ut d. 6. Aug. omnes essent enati, & ex eorum folliculis sive aureliis chrysalidibusve, aut, ut rectius dicam, vermibus excluſi, siquidem dorsum vermis in superficie aquæ hærentis per longum findebatur, atque ex ea apertura culices erumpebant, qui in elemento aëris se volvendo avolabant, & sex suis pedibus in sicco vitro, aut charta, qua vitrum erat coopertum, se firmabant, exuviis interea partim supra aquam, partim in ea natantibus, omnibus tandem ad fundum secedentibus. Culices verò in illa ipsa magnitudine comparebant, qualem communiter videmus, quando cum tanto fastidio per domos & hortos strepitosè circumvolant. Unde verissimum est, animalcula hæc in illa ipsa magnitudine nasci, quam in reliqua sua vita conservant, prout optimè Dominatio Vestra in dicto suo *libro de insectis* scripserat. Sicut vero omnia reliqua animalia in ætate sua perfecta incrassari aut macrescere, & consequenter in suo corpore aliquam dilatationem aut diminutionem pati possunt, ita & culices parumper secundùm ubertatem aut defectum nutrimenti, crescere vel diminui posse verum est; nec minùs certum, ventrem culicum ovis prægnantium magis turgere quàm marium, aut femellarum, quæ ova jam pepererunt.

Culices qui, uti dixi, 5. vel 6. dierum spatio nati fuerunt in vitro occluso, ob alterius alimenti, præter aquam, defectum, etiam intra sex dierum terminum mortui fuerunt.

Intra quod tempus tamen alii culices non obierunt, quos

in alio vitreo vaſe naſci curavi, quia huic, aquâ prius ſenſim depletâ, aliquas res, cortices peponum, cucurbitarum, pyrorum, ficus maturos, ſummitates teneras arborum, pro eorum nutrimento, utque bibere poſſent, parvum vaſculum vitreum aquâ plenum immiſeram; qua diligentia vitam plus quàm per integrum menſem conſervarunt; in quo tempore corpora eorum creviſſe nunquam deprehendi. Hoc tamen monere debeo, quòd primi iſti culices, quamvis omnes quinque vel ſex diebus poſt nativitatem ſine cibo mortui fuerint, nihilominus poſtmodum abunde obſervaverim, terminum hunc mortis non tam certum eſſe, quia reiteratis aliis experimentis citius tardiusve eos obiiſſe didici, cum, quantum cognoſcere potui, ad vitæ majorem minoremve longitudinem, locum in vitro largiorem vel exiliorem, & temperiem aëris magis minusve calidam, multum contribuere, ita ut in vaſe capaciori, & loco calidiore vitam longiorem, quàm in vaſe arctiori & loco frigidiori ducant. Quod etiam in vermibus, qui culices producunt, evenit, qui nempe celerius temperie calida quam frigida creſcunt, atque ad culices generandos apti fiunt, ita ut, ſi radiis ſolaribus exponantur, vix credi queat, quàm citius creſcant, ſecus in umbroſo loco, ſi detineantur; prout non minus celerius incrementum ſumunt & craſſiores evadunt in aquis lutulentis & impuris, quàm in limpidis; id quod accidit, quia in illis plus nutrimenti neceſſarii, quàm in his inveniunt. Et interdum ubi in locis multùm frigidis, aut etiam admodum claris aquis detinentur, multis diebus ſine augmenti ſigno remanent, ac tandem emoriuntur, nec ad culicum productionem apti redduntur.

Non ſolùm ad aquas puras & inprimis corruptas, culices pro vermium horum generatione advolant, ſed etiam lubentiſſimè in aquis, quibus paululum vini fuit immixtum, eosdem producunt; unde haud difficulter intelligi poteſt, cur aqua in illis puteis, quibus fortuitò aliquid vini fuit infuſum, quandoque vermineſcat; cujus rei certitudinem experimentum ſequens ſæpe inſtitutum mihi præbuit: d. 13. Auguſti aquam putealem magnis

dua-

duabus vitreis cucurbitis infudi, paucâ vini rubri quantitate superadditâ, unam earum apertam reliqui, & alteram chartâ duplici perfecte occlusi: In hac nunquam vidi aquam verminosam evenisse, in illa verò d. 23. Aug. totam aquam minutissimis vermibus plenam observavi, qui de die in diem crescebant, & eorum aliqui die ultimo præfati Mensis caudæ antennam deponere, ac semicirculum supra memoratum facere cœperant, ex quibus d. 3. Sept. primos culices enatos conspexi, quin d. 13. omnes jam evolutos deprehendi. Sed d. 14. cum in aliud vas vitreum aquam majori vini quantitati permixtam infudissem, & vas apertum reliquissem, nunquam ibi vermes enatos vidi, fortasse quòd ob temporis frigiditatem culicum generatio desierit, vel nimium vini immiscuerim.

Hucusque abunde mihi satisfeceram circa certam & indubitatam notitiam, quòd vermes isti nativitatem suam ex seminibus aut ovis in aqua contentis sortiantur, quia in aquis occlusis nunquam animalcula talia oriebantur. Et hæc certitudo confirmabatur, cum Dominationem Vestram mihi sæpe retulisse recordarer, quòd tempore Sereniſſimi Magni Ducis Ferdinandi secundi, glorioſæ memoriæ, magno huic Principi diverso tempore diversæ aquæ species ex diversis & longinquis, ac quasi â nostro mundo divisis regionibus fuerint allatæ, ob nobilem curiositatem, qua ipse in famosa Academia del Cimento diversum earum pondus examinari volebat; & tamen aquæ istæ optimè in vasis vitreis conclusæ nunquam verminosæ evaserunt, etiamsi longissimas navigationes, magnas climatis diversitates, & iter sub linea æquinoctiali expertæ fuerint: in aula enim Toscana tunc diversis temporibus aqua Jordanis, Nili, ex puteo Meccæ, & aliquibus prope Constantinopolin fontibus, ex vicinia Goæ, insula Ceylan, Insulis Philippinis, ex portu Brasiliensi omnium Sanctorum, Lacu dulci Mexicano, Insulis nonnullis Antillis, fluviis Hispaniæ Manzanares & Tago comparuit.

Ast magnum me tenebat desiderium deveniendi in cognitionem horum ovorum & seminum, quomodo, & quando à cu-

licibus in aquam fuerint projecta, ideoque omnem possibilem diligentiam, semper tamen frustraneam adhibebam; & jam de felici eventu desperabam, cum fortuna me eò conduceret, quò multo studio pervenire non poteram; siquidem aliquando in pergula horti ad S. Thomam Aquinatem exspatiatus, magnam vulicum copiam intrantem & exeuntem conspexi ex ingenti concha, quæ aquâ repleta erat, & irrigandis viridarii istius plantis inserviebat; propterea videre gestii, an illa in aqua aliquid esset, quod ad propositum meum dignam observationem suppeditaret; & certè supra aquam plurimas variæ magnitudinis naviculas, quarum majores latitudine & longitudine semen peponis non excedebant, natare vidi; naviculas nominavi, quia figuram parvarum navium repræsentabant, similes illis, quibus in nostro flumine Arno utimur: supernè erant concavæ, & per longitudinem in duas extremitates æqualiter incurvatas terminabantur, corpusque earum plenum erat subtilissimis planis, mirabili ordine uno juxta alterum posito, atque inter unum & alterum planum spatio aliquo vacuo manifestè comparente; quarum figura, quantum fieri potuit, *numero* 1. sistitur.

Viso tamen eleganti & curioso opere, cogitare cœpi, quid esse id posset, & cui usui à natura esset destinatum, simulque eodem tempore navicularum illarum natationem & motum supra aquam observavi, vix enim summam aquæ superficiem cum sola extremitate carinæ suæ, ut ita dicam, tangebant, ex omni minimo aëris afflatu, aut halitu, aut qualibet alia minima ac imperceptibili aquæ motitatione, aut ubi earum aliquas digitis capere volebam, taliter ab eis auffugiebant, ut sensu quodam pollere viderentur; & non solùm sic recedebant, sed aliquando contrario successu velociter versus digitos accedebant, quando horum extremitate superficiem aquæ tangebam. Dum curiosis talibus & contrariis motibus harum natantium navicularum intentus eram, atque in memoriam revocabam, quæ circa mutuas accessiones & fugas corpusculorum natantium didiceram in *cap* 9. *& subseqq. propositionibus* in doctissimo *libro de motionibus naturalibus à gravi-*

gravitate pendentibus, edito An. 1670. à celeberrimo & nunquam satis laudato *Dn. Joh. Alph Borello*, in eadem aqua nonnullos minimos vermiculos obſervavi, eandem figuram, colorem & motum cum illis habentes, quos ſupra à culicibus naſci dixi; unde mox cogitare cœpi, an naviculæ illæ fortaſſe ſemen & ova culicum continerent, atque ut certior fierem, unam eorum ſumſi & aquæ puriſſimæ in cyatho inditam ſolis radiis expoſui, ubi in breviſſimo tempore naviculam in minimas particulas diffractam vidi, quæ partim in fundum deſcendebant, partim per aquam ferebantur, atque in ipſa aqua ſubito conſpexi enatos 30. vel 40. iſtorum vermiculorum tam minimorum, ut oculis vix comprehendi potuerint, & fortè non comparuiſſent, niſi perpetuus eorum motus & pelluciditas aquæ, aërisque ſerenitas multum contuliſſet.

Propter hoc aliaque porrò inſtituta experimenta certior planè factus ſum, naviculas has intra ſinus ſuos, i. e. ſpatia planis interpoſita culicum ova continere; & maxima cum admiratione vidi, poſſe ex culice naviculam prodire, quæ ipſo culice multò major adpareat; unde naviculas haſce admodum parvas & contractas debere excluſas fuiſſe cogitavi, quæ poſtea vel ab ingreſſu aëris, vel fermento aliquo in eis contento rarefiant & dilatentur; idque etiam ipſismet oculis didici, obſervando, quòd ſemper ampliores redditæ, & usque ad aperturam ſuam, inque minutiſſimas, & inviſibiles quaſi particulas diſſolutionem, dilatatæ fuerint; ex qua apertura immediatè minutiſſimorum ovorum ſemini peponum ſimilium, aut ſaltem parum diſſimilium excluſio ſecuta fuit. Si forſan curioſus naturalium rerum indagator experimenta hæc readſumendo, non adeo examuſſim conformia meis deprehenderet, recordetur, me hîc non enarrare id, quòd neceſſariò circa ortum culicum ſic evenire debeat, qui tantùm indicare volui, quid oculis propriis conſpexerim, atque ſi parvulas has naviculas in aqua ovulis imprægnata obſervare ei non contingeret, nollem falſitatis ab eo incuſari, cum ſaltem in loco eas deprehenderim, ubi maximus culicum numerus fuerat; ne-

que etiam omnibus horis ibidem videbantur, quia paucis momentis, & maximè quando calor magis viget, evaneſcunt, prout cum omnibus illis accidit, quas in concha horti S. Thomæ vidi, quarum multitudine licet aquæ ſuperficies propemodum tecta eſſet, poſt pauca momenta nec unicam amplius cernere potui; quin & inſuper evenire poteſt, ut non ſemper prædictæ naviculæ, ſed interdum ob caloris æſtivi vehementiam ſola ovula, aut forſe etiam vivi in aquam à culicibus fuerint excluſi, prout Dominatio Veſtra in libro de generat. inſect. id fieri indicavit, quæ aliquando ova, aliquando vivos vermiculos parturiunt.

Duo culicum genera, figurâ aliquantum differentia, à ſupramemoratis vermibus naſci obſervavi, ceu numero 4. & 5. videri poteſt. Indubitatò dicere nequeo, an generis, vel ſexus ea ſit differentia, i.e. quòd unus culex ſit maſculus alterque fœmella. Illud tamen pro certo adfirmare valeo, tertium etiam eſſe culicum genus à prioribus diſtinctum, quod ſæpe in aquis, quas datâ operâ inverminare feci, deprehendi; & hi culices ejusdem quidem cum prioribus ſunt figuræ, ſed multò minores, & alas rotundiores, coloremque ferè nigricantem obtinent, atque à vermibus planè ad modum reliquorum duorum naſcuntur, qui tamen colore intensè rubro & cinnabarino prædiți ſunt. An mageni iſti & craſſi culices, qui per nemora vagantur, quartum aliquod conſtituant, vel cum reliquis conveniant, aut ſaltem quòd à majoribus oriantur, ob deſuper non factum experimentum, dicere nequeo. Scio interea culicibus non eſſe annumerandas, quod multi autores fecerunt, muſculas illas, quæ ex arboribus populis & ulmis oriuntur, cum magna in figura, nativitate & transmutatione ſit differentia, illæque muſculæ utplurimum domos non intrare nec ideo dormientibus, ſecus ac culices faciunt, tam faſtidioſæ eſſe ſoleant.

Ad culicum hanc moleſtiam avertendam diverſi autores multa ac varia remedia medica docuerunt. *Plinius* veſpertinam corporis totius cum oleo abſinthii inunctionem laudat; *Æmilius Macer*, aut quisquis ſit author verſuum, qui ſub ejus nomine circum-

circumferuntur, fortaſſe ignorans culices vinum non abhorrere, univerſi corporis vino immerſionem ſuadet, in quo abſinthium infuſum & coctum fuerit. Alii faciem, manus & brachia ſalivâ, poſt cuminum maſticatum, illinere docent; & quidam recentiorum idem cuminum maſticare, & poſtea cum vino albo generoſo miſcere, ſicque eodem ad feneſtras, januas & totam domum, cum ramuſculis viridibus & frondoſis conſpergendas uti præcipit. *Auctor* libri *de medicamentis ſimplicibus ad Paternianum*, qui *Galeno* tribuitur, ſuccum fructuum tamariſci, aut eorum decoctum cum aqua factum commendat. Alii capitis & totius corporis decocto rutæ, aut nigellæ, aut conyzæ, additâ pro majori efficacia multâ vitrioli & carbonum juniperi quantitate, madefactionem laudant; id quod pulchram ſcil. faciem conciliare perſuaſum habeo. Eſt qui omni veſperâ cubitum iturus, capitis ad pedes usque illinitionem cum mixtura ex oleo, aceto & ſalvia, aut ſi ſalvia diſpliceret, ejus loco turis pulvere compoſita proponunt. Græci qui de agricultura ſcripſerunt, ſerto ex foliis cannabis contexto & aquâ conſperſo lectum circumdare, proficuum eſſe referunt; & quidam vir egregius vult, ut non procul à capite, & ſub plantis pedum ſpongiæ aceto humefactæ reponantur, ſimilisque etiam in tecto ædium ſuſpendatur, & quod mihi conſideratione dignum, vel ut rectius dicatur, ridiculum videtur, eſt, quòd, dum rationem reddere conatur, propter quam talis ſuſpenſa ſpongia juvare queat, dicat, culices ad eam omnes advolaturas eſſe; nec enim conſiderat, ſi hoc verum eſſet, culices etiam caput & pedes ejus, qui conſilio hoc uti vellet, circumvolitaturas eſſe. Alii ad ſympathiam aut antipathiam rerum, vel potius ſuperſtitionem recurrendo, pilum equinum in medio domus ſuſpenſum remedium infallibile eſſe ſcribunt, credentes fortaſſe, verum eſſe, quod *Apollonius Tyaneus* cum ſuis incantationibus (uti *Tzezes* refert,) effecerit, ut in urbem Antiochiæ & Conſtantinopolis nunquam culices perveniant. Suffumigia ab Autoribus propoſita, tot & tanta ſunt, ut *Mago Ismeno*, & *Bojardi* ac *Arioſti* Sibyllis tot non innotuiſſe atque in

uſu fuiſſe credam. Omnes hæ nugæ, quamvis à credulo vulgo pro veris habitæ, prorſus ſunt inutiles, & plusquam ipſi culices moleſtæ. Contra quæ inſecta egregiam defenſionem illud ſolum & unicum præbere mihi videtur, quod ab antiquis Ægypti piſcatoribus inventum fuit, nempe bonum conopeum, quod totum lectum circumdet, & noſtro tempore ex ſubtiliſſimo Bononienſi velo paratur. Unde talibus de remediis plura proferre ſuperſedeo.

Atque ut Epiſtolam hanc finiam, ea quæ ſcripſi, in compendium ſic contraho: Culices non ſponte ex putredine naſcuntur, ſed ex ovis maternis, quæ ſunt perexigua & ſeminis pepo-num figuram habent, atque in cavitate cujusdam folliculi, naviculam referentis continentur. Hæc non in ſicco ſupra terram aut arborum frondes, ſed in aquas ſtagnantes excluduntur, ex quibus totidem vermes prodeunt, qui poſtquam per aliquot dies in aqua natarunt, & majores evaſerunt, figuram mutant, atque poſt aliquot dies folliculum disrumpentes culices prodeunt, qui quamdiu vivunt, eandem, quam à nativitate habent, magnitudinem ſervant. Si hiſce meis experimentis aliquam veritatis notitiam ſuggeſſi, felicem me nominabo; ſin deceptus in aliquo fuero, rogo, ut Eruditi condonare velint, credantque, ſaltem me non deceptum fuiſſe, dum Deum æternum Creatorem, tam in minimis quàm maximis rebus colendum eſſe conſidero. Quibus Dominationis Veſtræ manus humiliter deoſculor. Florentiæ d. 4. Nov. An. 1679.

Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ

devotiſſimus & obligatiſſimus Servus

Petrus Paulus de San Gallo.

Exc.

Exc. Dn. LIC. GUILIELMI KERGERI Epistola

A. 1704. *d.* 5. *April. Lignitio*
ad
Nob. D. D. MICH. ERNEST. ETTMüLLERUM, Prof. P. Lipsiensem missa,
De
Surdo-Mutorum cura.

Excellentissime, Experientissime Domine,

Fautor plurimum honorande.

QUod Literis Tuis exoptatissimis responsoriæ meæ tardius succedant, excusabis benevolè, dum malui præsentibus nundinis Lipsiæ tecum prolixius colloqui, quàm literis debitâ brevitate connectendis respondere. Ultimum tamen coactus impræsentiarum facio, postquam morbosus Proteus me inopinatò arripiens fecit differre propositum iter, donec sanitate mihi redditâ idem perficiam, ubi fortè potius Berolinum quàm Lipsiam transiturus præsentes responsorias differre nolui ulterius. Primum ergo merito miror, Te mihi assentari, Curiosorum notitiâ dignum fore laborem meum, quem surdo-mutam puellam docendo impendi, cum tamen dudum ipse noveris sine dubio, eundem susceptum jam ante Seculum, à Petro Pontio, cujus Valesii liber de Sacr. Philos. editus Anno 1590. meminit, & descriptum esse in Pauli Bonnetti Reduction de las lettras y arte para ensennar à ablar los mudos edit. Anno 1620. hispanicè, postmodum à Joh. Wallis Anglo in operibus Mathematicis, Grammaticâ Anglicanâ, Epistolâ ad Rob. Boyle in Actis Philos. Anglic. & Ephem. Nat. Curios. à Franc. Mercur. ab Helmont, ab Holdero & Sibscotâ anglicè, à Franc. Lana italicè & accuratiss. à Joh. Conr. Ammanno aliquoties latinè & belgicè, cujus solam methodum in Tr. de Loquelâ

mihi ſuffeciſſe docenti annoto. E quibus, imo pluribus aliis, ſatis patet, rem hanc ſufficienter eſſe jam vulgatam. Quapropter omnino miratus ſum quosdam Theologos, adhuc Caſibus Conſcientiæ difficilioribus annumerantes modum agendi cum Surdo-Mutis de Rebus Chriſtianæ Religionis, qui potius Caſus eſt difficilis patientiæ; cum Rudol. Agricola jam docuerit, Surdo-Mutum ſcripturæ beneficio æquè ac loquelâ mediante alios intelligere ſuosque ſenſus exprimere poſſe, cujus rationem quoque Cardanus dedit, quodque ipſa ſana ratio cuivis facilè perſuadet: nullus enim dubitat, doceri poſſe omnem, ſi modo viſu & ratione gaudeat, Muto-Surdum, ut ſcribat, ſcriptaque intelligat, licet non loquatur, id quod non requirit tantum exercitium diſcentis, docentisve patientiam, quantum requiritur, ut diſcat loqui aliosque loquentes viſu intelligat, quamvis & hujus poſſibilitatem in Belgio clariſſ. D. Ammanni viventes Diſcipuli olim ſurdo-muti, nunc loquentes, abunde teſtantur, meque propria docuerit poſt patientiam laborum frequentiſſimorum Experientia Curioſitati meæ ſatisfaciens. Deſideras porro, vir Excellentiſſime, cum Te noſſe aſſeras neminem, qui vernaculam Germanorum linguam, cujus difficultates probant Exterorum diu in Germania viventium hæſitantia, miræ phraſes, multaque Pronunciationis vitia, hâc operâ docuerit: ut integram Methodum cum omnibus circumſtantiis & difficultatibus annotatis Chartæ committam. Enimvero cum nec titillatione digitorum prurientium, cui atramentum typographicum medetur, me laborare ſentiam, nec abundem otio, qui temporis brevitatem impendendi multarum Veritatum Phyſ. Med. Chym. Mechan. per experimenta probandarum & probatarum Inquiſitioni non ſufficere ſæpe doleo: differam potius prolixam Delineationem Artis hujus in tempus commodius, deſtinandam potiſſimum utilitati Vulgi, iisque qui ſubtilitates Doctrinæ hujus capere non poſſunt niſi per exempla prolixiſſimè demonſtratas; plurimi vero Muto-Surdi ſunt pauperes plebique annumerandi. Judicio meliori prædítis & Divitibus, è quorum parvo numero

pauci

pauci quoque Muti obſervantur, minus foret neceſſaria hæc Delineatio, quàm ſcilicet ipſi è libris conquirentes hâc de re editis haurire poſſunt, quæque in iis deſunt propria praxi & ſpeculatoria Meditatione ſæpius ſupplere, quamvis, expertus hunc Laborem, judicem, pauciſſimos ſufficienti patientiâ fore inſtructos, quâ plurima vincant Impedimenta. Tuo tamen deſiderio ſatisfacturus brevibus lineis tentabo multa concludere; omiſſis nempe methodis aliorum jam luci publicæ conceſſis, recenſendo potiſſimas difficultates eorumque remedia, quæ iis oppoſui difficultatibus ſpeciatim Linguæ Germanicæ, cujus Cultura hactenus neglecta vel frigidè tractata fuit; quod pariter de Anglicana dicendum, cujus pronunciatio nobis æque difficilis eſt ac pronunciatio noſtræ Linguæ Exteris pluribus, cujus ratio patebit melius è ſequentibus.

1. Lingua Germanica ſecundum Dialectorum varietatem variè pronunciatur, nulla vero dialectus pronunciat accurate prout ſcribit: doceatur ergo pronunciatio ſcriptioni convenientiſſima, ne confuſio & anomaliæ tædioſum faciant Diſcentem.

2. Ob neglectam hucusque orthographiam (quæ, ignotâ formationis ſonorum minutâ differentiâ pronunciationem valde mutante, fuit omnino impoſſibilis, unde in pluribus derivatis vocabulis literæ primitivorum nominum ſunt retentæ, mutato nihilominus ſono ſeu pronunciatione derivatorum) quædam literæ variè ſcriptæ eodem modo pronunciantur e. g. ai / eu / ei etc. v / f / ph etc. quædam aliter ſcribuntur, aliter leguntur e. g. ph / ſt / ſp / c ante e / i / etc. *e* quod nunc legendum eſt ut ä longum, nunc ut ä breve, nunc ut ö longum, nunc ut *e* breviſſimum: Et ſanè unica hæc litera difficillimè legitur, cumque ſonus & ſcriptura literarum ä / ö / e / ſæpiſſime confundantur, difficillime regulis malum hoc coërceri poteſt, optimè vero accuratiori impoſterum orthographiâ corrigi, vel interim Mudo-Surdus doceri, ut proferat ſonum medium.

3. Germanorum vocales aliæ ſunt longæ, aliæ breves, aliæ breviſſimæ.

4. Vocales eædem duplicatæ proferuntur uno ſono, non duplicato, ſed longo.

5. ȟ in eâdem ſyllaba ſequens, vocalem præcedentem producit.

6. Duæ vel plures Conſonantes vel ſemivocales, eædem vel diverſæ, ſequentes in eâdem Syllaba vocalem præcedentem corripiunt.

7. Differentia hæc ſoni longi, brevis, breviſſimi, in linguis orientalibus diſtinctius notata, quàm in plerisque Europæis, ſi negligatur, maxime confundit corrumpitque pronunciationem, quare poſt multos errores differentiam hanc notavi notis proſodicis —ᴗ (id quod muſicis 𝅘𝅥𝅯𝅘𝅥𝅯𝅘𝅥𝅯𝅘𝅥𝅯 accuratius fit) puellæque ſurdomutæ manu elevatâ aliterque tempus requiſitum cum ſucceſſu optimo monſtravi, unde multo accuratius legit quam antea, more nobis ſolito.

8. Accentus docetur monſtrando elevationem & depreſſionem laryngis, de quo regulas conſcriptas brevitatis & anomaliarum causâ prætereo; fundamentum ejus eſt, ratione vocabulorum polyſyllaborum, biſyllaba habere accentum in penultimâ; præpoſitivas particulas monoſyllabas be/ ge/ ver/ zer/ breves eſſe, reliquas fere omnes longas, polyſyllabas proprium habere accentum; hinc pleraque vocabula compoſita duplici gaudere accentu &c. quæ non niſi prolixius deſcribi poſſunt.

9. Conſonantes eædem duplicatæ bis formatæ non duplici ſono pronuntiantur, ſed uno longo.

10. Quædam literæ majorem poſtulant impetum exſpirati aëris, quædam minorem.

11. Plures obſervationes minutasque literarum germanicarum differentias, quas notavi, prolixam poſtularent deſcriptionem, quam evitaturus ſequentem Tabulam conſcripſi, cujus ſingulæ literæ variè ſunt docendæ; quod quomodo fieri debeat, quivis, easdem formando propriis loquelæ organis, aſſumto ſpeculo, obſervans formationem earum debitumque tempus, experiri poterit, cui judicium & patientiam ſufficientem impendere placet.

12. Com-

12. Combinata Pronunciatio ſyllabæ multarum literarum rapidiſſime pronunciandarum, exteris plerisque æque ac Germanorum Infantibus & Surdo-Mutis difficilis eſt, ſatis frequens tamen exercitium hanc aliasque difficultates certiſſimè ſuperat.

Tabula Convenientiæ & Diſcrepantiæ Literarum German.

aa äh ee ih öh uh ai au oi uy

ah á eh ie oo u ay aw oy ui

Ruſticor. potiſſ.

a e öh üh o áu

Final. & ante ſemivocales vel Conſonant. duplicatas.

ö y ei
i ey
ú eu
ew
w ów

el em en eng er es eſch ſp & ſt

ll mm nn ng rr ſſ ſch ſhp | ſchp

l m n nck r

ez ex ck pp th ff

z x k p tt f

z ks q bb dt ph

tſch chs g b d v

Rapidiſſ.

h in unâ eâdemq; ſyllaba ſequens vocalem rarò vel nunquam legitur.

qu chr pf
qv fr
fv

c ante t
e/i/y. et
c ante a/ä/o/ö/u/ü/l/r/.

ß initiantia & poſt particulas præpoſitivas.
ſ
ſ
ß

ch
i quod ſæpe falſe ſcribitur loco i.

Notandum porro eſt, quod non minus ſit difficile loquelam vel Scripturam intelligere, quam pronunciare vocabula, ob multas phraſes ſuperfluas vel ineptas.

1. Igitur plurima Nomina Rerum, quæ Rationi quidem non verò ſenſibus externis ſunt obvia, demonſtrari non poſſunt, ut intelligat eadem Surdo-Mutus; niſi prius ſufficientem copiam nominum memoria teneat, quæ res denotant ſenſibus patentes, tunc enim denominationes Rerum ſenſibus non obviarum poterunt deſcribi relativè, oppoſitivè, negativè, per ſimilia, circumſtantias varias &c.

2. Subſtantiva, quæ ſenſibus quotidiè occurrunt vel depingi poſſunt, monſtrentur in vulgari Puerorum Orbe picto, vel copio-

piosius im Teutsch-Lateinischen Wörter-Büchlein mit kleinen Bildern/ Nürnberg 1683. f. 8. vel alibi depicta.

3. Adjectiva & Participia, Substantivis, quibus maximè propria sunt, juncta intelligentur.

4. Verba usitatissima sunt ea potissimum, quæ sunt anomala & auxiliaria, gestibus monstrari poterit eorum significatio, qui à Surdis optimè disci possunt.

5. Pronomina, Adverbia, Præpositiones, Conjunctiones, Interjectiones colligantur synonymice, e. gr. du/ dir/ dich/ etc. und/ auch/ desgleichen etc. nein/ nicht/ um/ weder etc. sic enim longè compendiosius intellectâ unius taliusmodi vocabuli significatione per exempla, intelligentur simul reliqua collecta, multumque labor discentis docentisque minuetur.

6. Syntaxis, Phrases &c. doceantur exemplis mediantibus frequentique usu, melius quam Regulis. Multa superstunt alia specialiora, quæ brevitati nunc studens omitto, quæ inter est modus colloquendi gestibus, quem Linguæ universalis vicarium me docuit Puella surdo muta, quique sanè mihi multoties magnam fecit delectationem, auxitque patientiam, quapropter forte commodior occasio tempusque sufficiens facient aliquando, ut eundem majoremve repetam laborem, curiositati meæ satisfacturus inquisitione Notitiarum nobis connatarum mentisque ob loquelæ defectum multis loquentium præconceptis opinionibus parum turbatæ &c. Soror mea, quæ jam docendo puellam surdo-mutam me sæpe juvit, eamque, me profecto, ulterius reddet docendo magis loquacem, sibi proposuit, ejusdem sororem pariter prorsus surdo-mutam docere, ubi magis adoleverit, aptiorque per ætatem erit doctrinæ; unde colligemus sine dubio plures hâc in arte observationes, quibus datâ commodâ occasione aliorum forte accedent Labores, quibus integram Methodum docendi Surdo-Mutos prolixè communicavi, quosque putabam satis fore patienter hanc operam exercitaturos. Placet addere paucis notos usus hujus Artis reliquos, quos Cl. Ammannus recenset, quique sunt, emendare Loquentium vitiosam loquelam;

juva-

juvare Surdos non ſimul Mutos, ut alios oculis intelligant, non utentes auribus; Infantes pauciſſimo tempore docere, ut bene legant ſcribantque; alios muſſitantes vel remotos viſu intelligere; genuinamque omnium linguarum Pronunciationem delineare melius poſſe: quibus profecto ſatis commendatur hæc doctrina, quæ ut vulgo magis aliquando innoteſcat ſolatiumque exhibeat Surdis Mutisque, quorum plurimi nunc ob propriam paupertatem, multam temporis jacturam, Conſanguineorum ignorantiam, Docentium deficientem patientiam &c. miſeri deſeruntur, faciam ſpecialiſſimâ Delineatione totius Methodi, aliarumque Linguam Germanicam illuſtrantium obſervationum congerie, quando mihi Tempore magis abundare licebit. Excuſabis me benevole, ſi Compendii ſtudium meaque feſtinatio Tibi non prorſus ſatisfaciant, meque Favoris Tui reddes certiorem, addendo reſponſoriis Tuis deſideratiſſimis nova quædam Literaria Phyſico-Medica, judiciumque de Autore & poſſibilitate nuper promiſſæ Bibliothecæ univerſalis Medicæ. Vale faveque

T. obligatiſſimo

L. Guil. Kergero.

REALIS de VIENNA

Meditatio de gravitatis & cohæſionis cauſa.

KEplerus hodierni mechaniſmi primus cum Gilberto auctor cauſam gravitatis credit affectationem unionis magneticam; quæ ſententia ſi quid imperfecti, nil certe abſurdi continet: Carteſius ducis Kepleri & promotor & corruptor ſolum ſolis vorticem docet gravitatis cauſam; quam opinionem Keplerus ut invenit ſic abjecit, quia ex ea gravia ſub polis horizontaliter caderent: Alii alias cauſas adſignant. Verior videtur hæc: Terra tanquam ſuffocatus (olim verus) ſol debilitatos adhuc vibrat radios; æther neceſſario cum impetu ſuccedit, protruſæ ſubtilis materiæ locum repleturus, ut videmus in igne, & ut procul dubio fit in ſole, qui inde vivit: Ætheris hic lapſus ſpecioſa ratione gravi-

gravitatem: colliſio delabentis ætheris & aſcendentis (è terra) luminaris materiæ, compreſſione cohæſionem & duritiem; aſcenſio illa lucis terrenæ, perpendiculum plantarum & arborum in montium etiam hypothenuſa, &c. efficit.

Geocoſmum autem noſtrum olim fuiſſe aliquem ſolem, ſatis prodit 1. ingens aeris quantitas, quæ tanta non eſſet, niſi lux terræ eam protruderet: 2. vaſtus nubium oceanus, aliæque exhalationes, 3. ignivomi montes, 4. plantæ ad perpendiculum terræ ſurgentes omnes, 5. major verſus polos, quam æquatorem gravitatio, ſive creſcens corporum gravitas creſcente loci latitudine; cum ſcilicet terra lucem ſub æquatore fortius quam ſub polis evibret, hinc æther verſus polos violentius irruat; ut pendulorum longitudo varianda pro latitudine loci prodit: Sola enim Neutoni ratio de majore & minore climatum vi centri fuga fortaſſe vix ſufficit. 6. Carteſii adſenſus, & felix inde diluvii explicatio, quam è Keplero recte collegit; Keplerus enim docet, lunam æque à terra ac à ſole terram emiſſis ſpeciebus magneticis abripi, primarios planetas corticibus aliquot involvi, imo lumine aliquo gaudere proprio; quæ omnia ſubterraneos ignes ſeu priſtinos ſoles arguunt: Ex his Carteſius ſolarem telluris ſtatum, diluvii derivationem aliaque myſteria ſua didicit, licet ſubtiles Kepleri vortices in craſſiores perverterit, quibus terræ etiam vertigo à ſolis rotatione proflueret: quod tamen falſum, quia ſic terra ab ortu verſus occaſum rotanda erat, quæ tamen ab occaſu verſus ortum rotatur, à proprio procul dubio, ſuperſtite in viſceribus igne.

Sche-

SCHEDIASMA

De

PARREIRA BRAVA,

Novo Americano Calculi remedio;

Ad

Illustrem Academiæ Leopoldino-Imperialis Natur. Curios. PRÆSIDEM

Dn. D. LUCAM SCHRöCKIUM

scripta

à

MICHAELE FRIDERICO LOCHNERO, D.

ГОСПИТАЛЬ
ИСКУССТВ ЛИДЕРИКО

и

Dr. D. ГЛЕСИУ ЭСНИКОСКИПИ

Адъюнкт-профессор Гейдельбергского университета

и

Полный университетский сотрудник

БАНКЕЙ ВИЛЛАЖ

ИЗДАТЕЛЬСТВО

ILLUSTRIS CELSE.

INgratiſſimus merito eſſem, ſi prorſus inſignia Tua in me merita, ſilentii peplo involverem. Poſtquam enim Tibi, VIR SUMME, placuit, poſt obitum B. Hermetis noſtri, (cujus Animulæ nunc cœli incolæ æternum bene, corpori vero tot ærumnis, tot calamitatibus defatigato, terra levis ſit:) de novo Ephemeridum Directore, cui in colligendis, & publicæ luci exponendis obſervationibus Academiæ noſtræ, cura committi poſſit, agitare conſilia; Illuſtris Thomaſius noſter,

- - delicium quod maximus ardet Apollo,
Pectus quod Charites, quod Musas continet omnes,

mei mentionem injecit, Tuique favoris parārium se præbuit; atq; ita factum est, ut me immerentem plane, & hac de re ne cogitantem quidem, Adjunctorum Academiæ numero inferere, munusque, quod Thomasius noster Amicorum mellitissimus jamdudum meruit, mihi conferre volueris. Neque hìc adhuc Tuus favor substitit: cum ènim Ephemeridum Academicarum Centuriis novis, utinam ex Tuo & Academiæ voto excudendis, lubens volensque opem commodassem & operam, in curarum me adsciscere consortium, tandemque Directoris munere, supra meritorum sortem mè beare, & tot favoris ac benevolentiæ documentis, quibus penè succumbo, cumulare dignatus es. Tantum enim abest, ut dignitates illas, quas plena manu liberalitas & affectus Tuus mihi admetitur & confert, promeruerim unquam, unquam speraverim, ut potius me planè indignum æstimarim: humeros certe operi, tenuitatis meæ probe conscius, subtraxissem & digniori cessissem, ni in consummatissimum Tuum judicium & prolixam liberalitatem peccare, atque labores Academicos mihi collatos subterfugere

gere voluiſſe viderer. Suſcipio igitur, VIR EXCELLENTISSIME, molem negotii, cui me deſtinaſti, ſummâ alacritate, cum nil ardentius optem, quam ut operam, diligentiam, nervos viresque omnes emolumentis Academiæ promovendis impendere, ſemperque Tua juſſa capeſſere poſſim; utque publicum gratiſſimæ erga Te, VIR SUMME, exſtaret mentis τεκμήριον, hoc de Parreira brava levidenſe Schediasma offero, & Tuo inſcribere Nomini Tutelæque audeo; utinam virtutum tuarum tam perenne, quam affectus cultusque mei ſincerum monumentum. Equidem ſi fata ſuſceptis laboribus adſpiraſſent, Myrmecologiam meam, cujus ſynopſin dudum Dec. II. Ann. VIII. exhibui, quæque jam per XX. & plures Annos in ſcriniis latet præli carceres expectans, deprompſiſſem: cum vero calamitoſiſſimis hiſce temporibus, ſumptibus & impenſis parcant Bibliopolæ, ſpes omnis de edenda Myrmecologia, in ſpongiam forte incubitura, irrita eſt facta. Hanc igitur opellam, ad averruncandum ingrati animi crimen, elegantiori deſtitutus Argumento interim offerendam cenſui, probe licet agnoſcam, hanc nitore illo & elegantia deſtitui, quam Academiæ

miæ noſtræ leges deſiderant, ingeniumque Tuum cultiſſimum expoſcit; quis enim comti quid, quis exaſciati & limati, quis id, quod deroſos ſapiat ungues, à me expectet, cum omnibus, qui me norunt, notum, totam diem, noctisque ſæpius bonam partem, catenatis praxeos ſollicitudinibus deſtinatam eſſe, ut fœtus hic luci expoſitus inter ejulatus dolentium, inter ſuſpiria ægrotantium, inter lacrymas adſtantium adoleverit. Scribendi autem hoc negotium eo tantum fine ſuscepi, partim, ut Tibi, PRÆSES VENERANDE, Academiæque noſtræ ſplendidiſſimæ conſtaret, deficientibus licet viribus, voluntatem tamen promtiſſimam in negotioſiſſimo otio inſerviendi non deeſſe; partim ut novo hoc munere auctus, lemmatis Academici probe memor, pluribus Dn. Collegis plane otioſis, debili licet lumine, præmonſtrarem viam, cotisque vice fungerer

— — — — — *acutum*
Reddere quæ ferrum valet exors ipſa ſecandi.

Vale, STATOR Academiæ noſtræ, qui ſi juſta ſalutiferæ Arti ſuppeterent pretia, debitusque haberetur honos, a Vindeliciis tuis, & tota Germania illud promeruiſſes, quod Græ-

Græcia olim decrevit Hippocrati, Darius Democedi, Ptolemæus Erisistrato, Augustus Antonio Musæ, Claudius Aruntio, & ut nostris seculis sim propior, Verona suo Syphilidis debellatori Fracastorio. Te, Ἄνδρα πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, Hygeia ipsa servet, Tibi pro Tua salute Academia nostra mecum vota nuncupat. Vale iterum iterumque

O! & præsidium & dulce Decus

nostrum, & favere perge

Tuo

Norib. ipsis Cal. Februar.
Anno 1712.

Periandro.

Anni

ANni aliquot jam elapsi sunt, cum Chiliarcha ex Anglorum gente, colico dolore excruciatus, meam sollicitasset opem, non sine doloris acutissimi promtissimo levamine, quem alias diro huic malo obnoxius, per plurimos dies sensserat. Pristinæ sanitati restitutus, cum in lumborum regione idea doloris haud adeò acuti supereſſet, illumque calculi judicarem sobolem, & huic quoque hosti pellendo destinarem remedia, ille ad nutum hactenus obsequiosus sumere renuit, & remedium sic satis generosum ad omnia Calculi Renum & Vesicæ mala averruncanda in promtu sibi ipsi jam esse regerit; me instante & urgente tandem inquit:

Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quære fugam morbi,

in hac, quam mihi simul exhibebat, radice, auribusque meis tunc temporis barbarum nomen adjiciens, Parreiram bravam vocabat. Omnibus, quotquot novum hoc Pharmaci genus monstrabam, & nomen planè ignotum erat & radicis efficacia. Menti obversabatur illud Arati:

Πάντα γὰρ ἔπω
ἐκ Διὸς ἄνθρωποι γινώσκομεν, ἀλλ' ἔτι πολλὰ
κέκρυπται. Τῶν αἴκ' ἐθέλῃ γ' ἑσαυτίκα δώσει
Ζεύς.

Omnia nondum
Ex Jove mortales cognoscimus, occulit ille
Plurima, dum lubitum fuerit, quæ tradet.

Domum redux excussi fere omnes, quos in meo librario penu habui, Historiæ naturalis loculos; sed opem omnem & operam perdidisse rebar, cum altum hac de radice ubique esset silentium. Mancam & mutilam materiæ medicæ notitiam sic expertus, nullam judicavi Artis cognitionem jucundiorem, quam rerum naturalium

ralium ex Indiis aliisque orbis olim incogniti partibus allatarum ulteriorem diſquiſitionem, qua ſine æſtu, ſine ſudore, ſine mora venari licet tot abditiſſima miracula,

& ire per omnes
Terrasque tractusque maris cœlumque profundum,

& perſpicue ex iſtis elicere, quod DEUS ſit, & quam immenſa ejus Bonitas, tot ac tanta hominibus exhibendo naturæ bona ac dotes. Certè ut militis nomen non meretur, quem quid arma ſint, aut quomodo tractanda, latet; ſic nec Medici nomine dignum reor, exacta luxuriantis quotidie materiæ medicæ deſtitutum notitia.

Tandem cum pene deſperarem, Dn. Pometus in Libr. Gallice inſcripto: l'Hiſtoire generale des drogues Libr. II. chap. XIV. p. 69. Radicis bujus deſcriptionem, Inventores, exhibendi modum, pretium, Iconem, aliaque exhibuit: Cui vero plantarum ordini hæc Parreira brava foret accenſenda, luculam accendit exiguam & planè fatuam. Cum enim Parreiram bravam, vitem ſignificare ſylveſtrem pronuntiaret, quicquid de vite ſylveſtri à Botanicis annotatum, examini ſubjectum eſt. Subiit mentem recordatio uvæ Tamineæ Plinii, quam in Braſilia quoque repertum dari Cl. Bontius in Hiſtor. Medic. & Natur. Ind. oriental. Libr. IV. cap. XVII. affirmat, quæ eadem eſſe videtur ac cevalchichitique Hernandis, vel vides de la Isla Eſpannola Lop. de Gomare; ſed reperi hîc, quod pueri in faba. Sic quoque cum Labruſca virginiana Muntingii, vite vinifera fol. incano ſubtus, fructu variegato Commelini aliisque, quæ Claſſi vitium ſylveſtrium inſeruntur, res ceſſit, ut nil planè ſolatii, pro radice Parreira, hiſce ex fructibus obtinuerim.

Cum præterea laudatus jam Pometus Mexicani ſoli alumnam hanc plantam prodidiſſet, Mexicanam illam plantarum Animalium & mineralium Hiſtoriam à Franciſco Hernandez in Indiis

compilatam, dein à Nardo Antonio Recchо in volumen digestam, denique à Joh. Terentio, Joh. Fabro, & Fabio Columna (prob! quantis in Historia naturali illustranda luminibus) notis & additionibus illustratam Romæque Ann. 1651. *in Fol. impressam, oraculi loco futuram confisus, avide totam percurro. Invenio quidem sylvestrem vitem ceval chicaltic Libr. IV.* c. 39. *p. m.* 128. *cujus tamen descriptio ad nil minus, quam Radicem Parreiram bravam quadrat; nec cocozmatl sive luteum Tamatli, urinaria mirabilis dicta, cum nostra radice quoad plantæ structuram & partes externas comparari poterit, licet quoad efficaciam, in affectibus quoque calculosis, Renumque & Vesicæ morbis laudem promereatur, cum urinam mire evocet, arenas & pituitosa excrementa pellat, atque quicquid urinarios meatus obstruit, expurget & trabat: quod exemplo Episcopi Cordubensis, quem Mantuæ Carpentariæ gravissima urinæ suppressione affectum, hoc remedio veluti per miraculum liberatum ajunt, illustratur. Sic irrito labore hac Mexicana Historia perlustrata, nec volam inveni nec vestigium, quo animus sciendi hac in re cupidus satiari potuerit, quod in Joh. Eusеb. Nierenbergii quoque Historia naturali, Mexicanas Plantas comprehendente, contigit.*

Id quod Mexicana vero negaverat, Brasiliensis tamen naturalis Historia exhibuit. Consului primo Iter Brasiliense Neuhofii, in quo plurima naturæ κειμήλια reperiunda, quæ frustra alibi quæsiveris, ab aliis planè intacta & intermissa. Ex illo illustris Rajus stupendis operibus Willugbejanis nonnulla intulit, sed maximè dolendum est, hunc naturæ thesaurum ob linguæ, in qua scriptus est, apud nos ignorantiam, & Bibliopolarum incuriam, linguæ hujus libros nobis invidentem, in librariis Tabernis non prostare. Prodiit autem hoc sub titulo: Joh. Nieuhofs gedenkweerdige Zee en Land- Reise &c. beneffens een bondige Beschryving von gantsch Neerlands Brasil, zo van Landschappen, Steden, Dieren, Gewassen, als draghten Zeden en Godsdienst des Inwoon-

ders

ders &c. verçiert met verſcheide afbeldingen, na t' leven aldaar getekent Amſterd. 1682. in Fol. Licet opulentum hoc quoque Braſilienſis Hiſtoriæ naturalis Promtuarium non ex voto illud, quod de Radice Parreira brava quæſieram, ſed Herbam de Cobra tantum p. 205. ſuppeditarit; ad Piſonis tamen & Marggravii volumina ablegabat, & Plantam Luſitanicè dictam Erva de noſſa Senhora *exhibens, digito quaſi monſtrabat viam ad Caapebam, radicis hujus veram nutriculam; ceu ex ſequentibus lineolis, ulteriori & uberiori Plantæ hujus & radicis examini deſtinatis, palam fiet. Molimur equidem in illuſtranda novi hujus Medicaminis Hiſtoria, opus partim invi ſum, cum auribus jam obverſetur illud, quod Alexis apud Athenæum ſuggerit:*

Ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παροῤῥῶμεν συγγενές.
Aliena amamus, proximum contemnimus.

Partim haud quidem arduum, plurimis tamen difficultatibus, cum paucos præeuntes habeamus, involutum; nihilominus, uti ſpero, utile non ſolum, ob ſolatium in renum & veſicæ morbis affectos redundans, ſed & jucundum, maxime cum neceſſitas urgeat, ut, quo durius & ferius hoc morbi genus eſt, mecum

acrius omnes
incumbant generis lapſi ſarcire ruinas.

PARREIRÆ BRAVÆ
Patria & Nomen.

PAtriam Parreiræ si nosse cupis, terrarum partem illam nomino, quò

Primus in ignotum penetravit Americus orbem,
Inventamque suo terram de nomine dixit,

præcipue vero Provinciam occidui hujus orbis nobilissimam penè, ast simul crudelissimam, Brasiliam puto, ubi

alios hominum mores miramur & urbes,
Corporaque humanis fœde distenta medullis,
Infamesque dapes, & qualia fercula fratri
Coxit & immanes Atreus detrusit in artus.
Hic belli laus summa viris, in viscera victos
Condere, & invisos discerpere dentibus hostes,
Ne toti noceant, vel ab ipsa morte resurgant.

Radicis nostræ Planta, secundum Pisonem & Marggravium, hujus regionis alumna, nec solo semper pingui fertilique gaudet, sed arenoso sæpius, inculto, imo frutetis, ut ex Plinii eloquio, *ne sylva quidem, horridiorque naturæ facies medicina careat, sacra illa parente, rerum omnium nusquam non remedia disponente, homini ut Medicina etiam fieret solitudo ipsa.* Vocatur Lingua Brasilienſi vernacula CAAPEBA, de cujus vocis Etymo plura & certiora proferrem, si Pegnesi accola, Brasilienſem fluvium Maranhaon degustassem. Terminationem *peba* huic linguæ maximè familiarem esse, plurima probant verba, e. g. Accorapeba piscis, Boipeba serpens, Jajarapeba vipera, carapopeba lacertulus; in regno vegetabili adhuc plura occurrunt: Ivapeba frutex, Jurapeba, Mandupeba, Mandiipeba, Vrupeba, Vipeba aliaque. Noli frontem hîc corrugare Lector; extra Latium & Græciam sumus. Non solis veteris orbis populis concessum voces condere, etiam penes Americanos est vis & norma ad placitum sua efferendi; liceat Barlæi

festiva

festiva verba, quæ in Histor. rer. gestar. Com. Mauritii in Brasilia habet, hac in re facere nostra.

An vero vocabulum Caapebà cum accentu in ultima, sive caapéba in penultima sit pronuntiandum, latet Πολυμαθέσατ@ certè Hadr. Relandus in Dissert. Miscell. P. III. Diss. XII. de Lingu. Americ. p.m. 179. ex Grammat. Ling. Brasilic. Joseph. de Anchieta notat, *verba Brasilianorum maximam partem accentum habere in ultima.* Addo ex Clar. Marggravii Histor. Brasilienf Libr. VIII. c. 8. p.m 275. *Quæ desinunt in a, partim habent in ultima, & notantur eodem accentu, partim in penultima, & notantur acuto.*

Regnum illud ditissimum Mexicanum
(*Cum nusquam terrarum opulentia tanta,*
Ut peregrinari reliquis videatur in oris,
Heic fixisse statam Regina Pecunia sedem)
inter reliquas naturæ gazas hanc quoque radicem Brasilienfi præstantiorem, promere, Pometus testis est dans l' Histoire generale des Drogues l. c. Si vero ex me nomen verum quis quærat, plane in ancipiti hærens, nil determinare audeo Plurima certe cum planta volubili diuretica, sive Itzac caonene pilli Nardi Anton Recchi in rer Medic Nov. Hispan Hist Libr. IV. c. 24. p. 119. habet communia, in plurimis discrepat; eandem planè scenam in Herba Tlalantlacoa cuitla pilli Libr. VIII. cap 34 invenies, de quibus in sequentibus plura. Cum igitur tot difficultatibus res sit immersa, necesse est, ut veteri me, circa denominationem veræ Plantæ Mexicanæ, Radicis Parreiræ bravæ parentis, expediam formula, ἐ καταλαμβάνω, ἐχ ὁρίζω

Nec Virginia quoque, Anglicæ coloniæ multitudine, copia rerum naturalium, soli ubertate, omniumque ad victum & amictum necessariorum frequentia, felicissima Provincia, hac destitueretur radice, si convolvulus Mexicanus Cl. Bannisteri & excell Plukenetii cum Caapeba Brasilienfi in una eademque classe foret, & forte Cipo de Cobra radix erit, la Racine du serpent à sonnette dicta, quam ceu veram contra serpentis hujus mor-

ſus panaceam deſcribit, & easdem, quas Cipo de Cobra, virtutes attribuit, novus Virginiæ Encomiaſtes in Libello Gallicè inſcripto: *l' Hiſtoire de la Virginie &c. par un Autheur natif & habitant du Païs.* Amſterdam 1708.

Hiſpani & Luſitani Mexicanæ & Braſilienſis Provinciæ Domini, jugum incolis, & rebus nova imponentes nomina, hanc radicem *Parreiram bravam* dixerunt. *Parra* enim in Hiſpanica Lingua *vitem* denotat, hinc *Parra depatio de caſa*, vitis compluviata, ſecundum Ælium Nebriſſenſem Interpretem Regium in Dictionario Hiſpanico. Sic apud Botanicorum Coryphæum Hans Sloane in Catalog Plantar. Inſul. Jamaic. occurrunt, *Parras ſalvajes Ovied.* Item *Parras ſylveſtres deſta nueva Eſpania, que Ilman debualchichiltic o Totoloctli Xim*: Item *parrales como los de Caſtilla de Juan Gonzales de Mendoza*; quæ denominationes omnes vocem *Parra* agnoſcunt matrem, æque ac *Parreira brava*; quam terminatio *era* vel *eira* Luſitanicam prodit: Sic *Erva Cidreira* planta vocatur, quæ citri odorem æmulatur, vid. Piſo Hiſtor. natur. Braſil. Libr. IV. c. 57. p. m. 242. *Viſqueira* herba, quæ viſcoſitate manibus & veſtibus adhæreat; Idem de Facult. ſimpl. Lib. IV. c 72. p. m. 105. Cauſam & rationem, cur vitem ſylveſtrem dixerint & Hiſpani & Luſitani, ex Pometo ſæpius laudato hauries: *Quelques Perſonnes m'ont aſſuré, que cette raçine eſtant dans terre pouſſoit des branches charges de feuilles tout à fait ſemblables a la vigne, qui rampent le long des murailles, ou des arbres. C' eſt pour ce ſujet que les Pourtugais, qui ont apportée de Mexique, luy ont donné le nom de Parreira brava, qui ſignifie en Francois vigne ſauvage ou batarde.* Latio donata hæc verba, hunc ſenſum exhibent: A nonnullis certior factus ſum, hanc radicem terræ commiſſam, & germina & folia protrudere, vitibus, muris & arboribus affixis, per quam ſimilia. Hanc ob rationem Luſitani, qui primitus eam Mexicano ſolo extulerunt, nomen Parreiræ bravæ impoſuerunt, quod vitem ſylveſtrem vel ſpuriam denotat.

Ad

Ad vocem *Brava* devolvimur. Feroces in lingua Italica bravi nominantur, & quia effrenes cicuribus ferociores sunt, ideo Hispani Animal indomitum, nondum mansvefactum Taurum, Equum, Leonem, & id genus alia, bravo appellant, sec. Celeberr. Octav. Ferrar. Orig. lingv. Ital. p. 64. 65. Adjungit eruditiss. Menagius nell' origini della lingua Italiana in lingua Italica vocari vache brave, istas vaccas, quæ licet sint domi natæ, semper tamen in sylvis diebus noctibusque permanent, nunquam ad stabula, priusquam hyems ingruit, redeuntes, quod in Alpibus quoque Helveticis fieri solet. Hæc denominatio à brutis animantibus quoque ad plantas sponte nascentes sive sylvestres derivata: sic *Nana brava* dicitur Ananas sylvestris apud Marggrav. Hist Plantar. Brasil. Libr, I. cap. 16. p. 33. *Tujoba brava & Mangara brava* Pison. Histor. Brasil. Edit, prim. p, 95.

Mr. Froger *dans la Relation du voyage aux cotes d'Afrique* nostram radicem vocat *Para-ayra-brava*, sed nihil moror istam nominis deformationem, quam fortè Etymologiæ produxit ignorantia.

Lucidissimum quondam Academiæ nostræ Leopoldinæ N. C. sydus Excellentiss. Menzelius in eruditissimo opere, quod nomen gerit: Πίναξ βοτανώνυμος πολύγλωττος καθολικὸς, sive Index nominum Plantarum universalis, ad vocem Caapeba addit *Perexil do mar* Theatr. Brasil. insimulque Marggravium p. 14. citat, qui Plantæ Perexil l. c. quidem sub imagine crythmi marini non spinosi mentionem injecit, de Caapeba autem, quam p. 25. Lib. I. c. 12. describit, ne gry quidem addit, id quod à Pisone quoque factum p. 243. Edit. sec Hæret hic aqua, nec video, quomodo plantæ nimium quantum distantes conjungendæ; nisi nomen forte Caaponga, quæ Perexil do mar denotat, cum Caapeba confusum. Vid. Pison. Edit. 2. p. 243. Posset tamen rem omnem de planta Caapeba & Caaponga sive Perexil do mar dirimere, & extra controversiam ponere, absconditus hactenus Naturæ Thesaurus in Bibliotheca Potentissimi Borussorum Regis ἀνέκδοτος delitescens;

The-

Theatrum rerum naturalium Braſiliæ, earum nempe, quas Cl. Piſo & Marggravius nondum ediderunt. Juſſu illa Principis Mauritii Naſſovienſis in Braſilia coloribus oleagineis in Chart. maj ad viva exemplaria ſunt depicta, & ab Excell. Menzelio juxta ordinem Piſonis & Marggravii diſpoſita, IV. Voluminibus incluſa, quorum Primum continet imagines quadrupedum II Avium. III. Piſcium. IV. Vegetabilium. Utinam exorare ſe pateretur Regum Sapientiſſimus, ut hunc Perſicas Gazas longè ſuperantem Theſaurum literato orbi impertiretur.

Synonymon Caapebæ vocabulum eſt *Cipo di Cobras.* Vox *Cipo*, vel *çipo*, *Cepo* in lingua Luſitanica & Hiſpanica plantas ſcanſiles, repentes, clematites, convolvulos, maxime vero vitem deſignat. Sic *vitis brachiata* Hiſpanice *Cepo con brachos* audit ſec. Ælium Nebriſſenſem, & à Gallis quoque *Cep de Vigne*, vitis vocatur: Cum igitur Caapeba nunc vicinas arbores ornate conſcendat, nunc humi inſtar colubri repat, ob ſimilitudinem Cipo de Cobras, à Luſitanis nomen obtinuit. Sicuti vice verſa ſerpens çacaboa à Luſitanis *Cobra di Cipo* nominatur, quia colore & figura climaces illas chordarum inſtar humi repentes æmulatur. Vid. Piſon. Hiſtor. natur. Braſil. L. V. c. 1. p. 279. Edit. ſecund. nam in prima editione nomen Cobra di Cipo ſerpenti Boitiapo impoſuit, cum tamen in ſecunda editione, nullam hujus nominis fecerit mentionem in deſcriptione ſerpentis Boitiapo.

Derivant nonnulli vocem *Cipo*, *Cepo* & *Cep à Capo.* Veteres enim Latini radices Vitis vocarunt Caput Vineæ, uti ex Virgilio & Columella elucet. In Legibus XII Tabularum occurrit: TIGNOM JUNCTOM ÆDIBUS VINEÆQUE CONCAPES NEI SOLVITO. Ubi concapes, idem eſt ac ſi dicas depactum & defixum terræ ad vineam ſuſtinendam Concapes, primicapes, præcapes, deincapes, ancapes, omnia à capite deſcendunt; hodie princeps, præceps, deinceps, anceps. Vid. pluſcendunt; hodie princeps, præceps, deinceps, anceps. Vid. plura apud Scaligerum Not. in Pompej. Feſt. p 192. Ingenioſiſſimus Menagius autem originem vocis *Cipo*, *Cepo* & *Cep* à vocabulo

Cippus

Cippus deducit, quod antiqua Gloſſaria κόρμος ſive Truncus interpretantur, dans les Origines de la Langue Françoiſe. Nonnullis vox *Cipo*, *vinculorum ſpeciem* deſignat; inde fortaſſe eſt, quod à Gallis Americanas Inſulas inhabitantibus omnes ſcanſiles Plantæ ſepibus & arboribus adrepentes, & agglutinatæ quaſi, *Lianes* vel *Lienes*, appellentur à voce Gallica *lier*, quod eſt ligare & vinculis conſtringere. Cum Botanicorum pauciſſimi, harum plantarum, quæ nomine *de Lianes* & *Lienes* apud Gallos Americanos veniunt, meminerint, binos produco teſtes Hiſtoriæ Indicæ Naturalis Scriptores fulgidiſſimos Rev. P. Plumier & Dn Rochefort. Cum vero primus, cujus opus ſub Titulo: *Deſcription des Plantes de l' Amerique avec leur figures Chart. Auguſt. Fol. ex Typographia Regia An.* 1693. *Lutetiæ impreſſum*, ob raritatem exemplarium non in omnium manibus ſit, conſultum duxi deſcriptionem ipſiſſimis inſerere verbis; maxime cum Caapebam huic Claſſi expreſſe inſerat.

Les François des Isles de l' Amerique appellent indifferement Lianes toutes ſortes des Plantes, qui rempent ſur les hayes ou ſur les Arbres, en les diſtinguant pourtant, ou par leur figures, ou par leur vertuë, comme la Liane à ſerpent, à cauſe qu' elle eſt fort efficace contre leur morſure, la liane a dent de ſcie, parceque ſes feuilles ſont decoupées, comme les dents d'une ſcie; la Liane brûlante, à cauſe qu'elle eſt fort brûlante & cauſtique, & ainſi des pluſieurs autres. Ils donnent ce nome de Liane à ce ſorte de plantes, du verbe lier, parce qu'ils ſe ſervent de quelques unes, comme de Cordages, tant pour la conſtruction de leurs Maiſons, qu'ils nomment vulgairement caſes, que pour fortifier les barrieres, & pour pluſieurs autres uſages. Il y en a pourtant, a qui donnent plus particulierement le Nom de Liane, qui ſont celles, que les Caraibes appellent Meregovia, les Braſiliens Murucuja, les Eſpagnols granadilla, & nos François Fleurs de Paſſions. &c. i. e. Galli, qui Inſulas Americanas inhabitant, ſine ullo diſcrimine Lianes vocant, varias ad ſepes & arbores repentes ſcandentesque plantas, eas tamen invicem, vel à figura externa,

vel ab efficacia & viribus distinguentes. Sic Liane de serpent, Liane serpentum, (ignoscite huic vocabulo Ciceroniani Manes) obtinuit nomen, ob virtutes, quas contra earum morsus exhibet: liana serræ vocatur, quod folia acutos serræ dentes æmulentur; Liana urens audit, ob vim causticam, quam exserit, & sic de cæteris. Nomen hoc hisce plantis à verbo lier, lat. Ligare inditum, cum nonnullis funium loco inserviant, ab aliis ad construendas ædes, quas vulgo Casas appellant, ab aliis ad obices ponendos, ne quis irruat, aliosque usus destinentur. Reperiuntur tamen, qui potissimum Lianæ nomine illas designant plantas, quas Caraibes, Antillarum Insularum nativi Incolæ Meregovia, Brasilienses Murucuja, Hispani Granadilla, & Galli Florem Passionis Dominicæ vocant. Posterior à nobis in rebus Indicis instar oraculi consulendus est vir multum terris jactatus & undis *Dn. Rochefort dans l'Histoire naturelle & morale des Isles Antilles de l'Amerique Edit. second.* 1665. *Chap XI. Articl.* 3. *p. m.* 125. *Il y a plusieurs espéces de bois rampants par terres, & empeschent souvent de courir facilement par les forests. Les habitans des Isles les nomment lienes. Les unes sont en forme de gros Cable de Navire. Les autres portent des fleurs de diverses couleurs. Et méme il s'en voit, qui sont chargées de grosses siliques tannées longues d'un bon pied, larges des quatres ou cinq pouces & dures comme l'ecorce du chesne, dans lequelles sont contenus ces fruits curieus, qu'on appelle chastignes de mer, qu' ont la figure d'un cœur, & dont on se sert souvent, apres qu'on les a vuidez de leur poulpe, pour conserver du Tabac pulverisé, ou quelque autre poudre de bonne senteur. Ce que les habitans des Isles appellent Pommes de lienes, est un fruit qui croit sur une sorte de vime, qui s'attacha aux gros Arbres comme le lierre. Il est de la grosseur d'un bale de jeu de paume & couvert d'une coque dure, d'une paeu verte, qui contient au dedans une substance, laquelle estant meure a la figure & le gôus des Groseilles.* i. e. Dantur plures repentium plantarum lignosarum species, quæ arboribus adhærent, & cursum

per

per ſylvas impediunt. Incolæ Inſularum Lienes vocant. Nonnullæ harum rudentibus navium non ſunt diſſimiles; nonnullæ flores varii producunt coloris; nonnullæ quoque repertu dantur, ſiliquis caſtanei coloris gravidæ, pedis longitudine, quatuor vel quinque pollicum latitudine, querni corticis duritie; quibus ſiliquis incluſi fructus illi elegantes, quos caſtaneas marinas nominant, qui figurâ cordis gaudent, & quibus pulpâ exemptâ, utuntur ad Tabaci in pulverem redacti errhini conſervationem, vel pro receptaculo aliorum benè olentium pulverum Illud, quod incolæ Pomorum de liene nomine indigitant, fructus eſt ſpeciei Viminis magnas arbores inſtar hederæ aſcendentis & adrepentis. Pilam luſoriam adæquat, cortice præduro, viridique cuticulâ, medulla cum ad maturitatem pervenit ratione ſaporis, groſſularium æmulante. Hæc Rupifortius, qui ſub nomine Lienes, ut verum fatear, plantas comprehendit, quæ ad Caapebam noſtram planè non quadrant.

Excellentiſſimus Dn. Valentini in Muſeo Muſeorum meminit, radicem Parreiram bravam *Botnam* vocari à B. Paulo Hermanno, Leidenſis Academiæ quondam incomparabili Botanico, in Collegio Mat. med. Manuſcripto; quod literis humaniſſimis ad me datis confirmavit. Excellentiſſimus Dn. Bajerus in Palæcome noſtra Prof. Publ. Collega & Fautor æſtumatiſſimus, qui lectiones illas Hermannianas quoque poſſidet, legit Botuo Pariera. Interfui huic Collegio, dum ſtudiis Lugduni incumberem, & dictata excepi calamo, curasque poſteriores, quas poſt abitum meum amici collegerant, obtinui, nulla hujus radicis mentione facta. Neque in Cl. Henningeri Cynoſura materiæ medicæ Hermannianæ, quæ nuper in publicum prodiit, de radice plantaque Botna vel Botuo, ac Parreira aliquid reperiundum. Quodſi in vivis adhuc foret *βοτανικότατος* Vir,

cujus ab ore juvat, juvat o! meminiſſe pependi,
& doctas voces ſæpius aure bibi,

lubens de planta hac Botnam, vel Botuo, reliquo Botanicorum choro ignota, ipſum conſulerem

Cl Hans Sloane in Parte prima Prodromi Hiſtor. natural. Jamaicæ ſive Catalogo plantarum Inſulæ Jamaicæ, convolvulum Braſilianum flore octopetalo monococcum, quem eandem ac Caapebam plantam eſſe Excell. Rajus credidit, *Velvetleef* appellari, & in fruteris circa urbem St. Jago de la vega Inſulæ Jamaicæ reperiri aſſerit.

Parreiræ vel potius Perreiræ nomen in hiſtoria literaria quoque inclytum, cum plures viri eruditione fulgidiſſimi, hoc nomine ſuperbiant. *Benedictus Perreira Valentinus*, Societ. Jeſ. Theologus, editis commentariis in Geneſ. Exod. Danielem, Epiſt. ad Roman & Apocalypſin, uberrimis, orbi literato notiſſimus. *Benedictus Perreira Luſitanus*, S. J. Theologus & Philologus elegantiſſimus, cujus ingenii fœtus proſtant: Commentarius in Horatium duobus Tomis. Liber de Moribus gentium omnium, tam veteribus quam recentibus. Liber Problematum, qui inſcribitur Pallas togata & armata. *Bartholomæus Perreira*, itidem S. J. Theologus, decem libris de Perſecutione Japonica, totidemque de Morte Franciſci Pacieci, Provincialis in Japonia, adornatis, ut & Comment. in Tobiam, famam promeruit. *Gabriel Parreira de Caſtro Luſitanus* elegantiſſimo carmine patria lingua conſcripto, cui nomen præfixum: Ulyſſea ſive Lisboa edificata, Lauream inter Luſitanos Poetas obtinuit: cave tamen, ne carmen hoc ejusdem inſcriptionis, quod Luſitanus alius Poeta, magni nominis & famæ, Antonius de Souſa Macedo in publicam emiſit lucem, confundas. *Georgius Gomez Perreira*, Methymnâ Duellenſis Hiſpanus, Philoſophus acutiſſimus, Medicus expertiſſimus, Antoniana Margarita, elegantiſſimo certe opere edito, inter ſeculi ſui viros principes conſpicuus. His ex fontibus Illuſtrem Carteſium plurima hauſiſſe, inprimis de Brutorum ſenſibus & anima hypotheſin mutuatum eſſe, Cl. Borrichius hariolatur. Claudat agmen *Hieronymus Perreira*, Luſitanus quoque, cujus mentio apud Doctiſſ. Schott. in Biblioth Hiſpan. illis, quæ de Sacramentis & Chriſti reſurrectione edidit, celebris.

Parrei-

Parreiræ planta, ortus, ſtructura.

NOminum cortice diffracto, πρὸς ἔργον ἐξορμώμεθα, plantam ipſam intimius inſpecturi. Cum Aſia, Africa & America, in noſtram migraverint Europam, præſertim in polydædalos cultiſſimorum regnorum hortos, ut prioris ſeculi Botanicis opus eſſet filo Ariadneo, ne in diffuſiſſimo hoc Floræ labyrintho hinc inde impingerent, & aberrarent, dolendum ſanè, in nullo Europæ viridario hanc Caapebæ plantam hactenus comparuiſſe; ut Malpighiana & Grewiana methodo, in ejus natales & ſtructuram examen inſtitui poſſet. Erimus igitur Marggraviana & Piſoniana deſcriptione contenti, cum vix ac ne vix quidem deſiderare amplius quid queamus.

Eſt ergo, ſecundum Piſonem Edit. I. Libr. IV. c. 54. p. 94. *Caapeba planta Clematiti non abſimilis*, (Edit. II Libr. V. c. 19. p. 312. *Clematitem ſarmentoſam vocat*) *quæ tenaci ac prælongo ſarmento, nunc vicinas arbores late aſcendit, nunc humi inſtar colubris repit*; addit in Edit. ſec. libr. IV. cap. 66. p. 261. & p. 312. *ob ſimilitudinem partim, partim ob inſignem efficaciam antidotalem ſerpentibus inimicam, Cipo di Cobras ſive convolvuli colubrini nomen indiderunt* Luſitani. A Marggravio Hiſtor. plantar. Braſil. libr. I. c. 13. p. 25. nudè tantum vocatur *planta ſcanſilis*.

Caulem Marggravius ſolus deſcribit, nempe *caulibus teneris, rotundis, viridibus, admodum lentis*.

Quod ad *Folia* attinet, eſt, ſecundum Piſonem, *folio tenuiſſimo rotundo, læteque ſemper virente*, (addit in Edit ſec.) *ſeorſim poſito in caule nunc orbiculari, nunc cordis latioris figura, ſuperius dilute virеſcente, inferius albeſcente*. Cl. Marggravius rem fuſius declarat: *Folium quodlibet*, inquiens, *ſeorſim poſitum in caule*, in ſuo pediculo rufeſcenti duos digitos longo, & in exortu paululum excurvato, orbiculare vel cordis latioris, ubi pingitur, figura, conſiſtentia, folio perfoliatæ ſimilis, ſuperius dilute virens, inferius albeſcens, in quibusdam plantis folia omnia ſunt rotunda.

Nunc ad *pediculum* procedimus. Piſo *foliorum pediculos rufeſcentes pronuntiat.* Marggravius inſuper addit, *pediculus folii cujusque non inſeritur in fimbriam ſeu extremitatem folii, ſed plus dimidio digito ab ora verſus medium folii, ut ſit in Naſturtio Peruano.*

Florem nunc exhibemus In prima Piſonis editione altum plane de flore Caapebæ ſilentium. In editione autem ſecunda hæc de flore pronuntiat: *Ad pediculos foliorum rufeſcentes, flores pallidi flaveſcentes proveniunt.* Si Marggravium inſpicimus, dilucidiora circa florem promit: *Ad pediculos foliorum etiam pediculus provenit ſesquidigitum longus, floſculum ſuſtinens pallidè flaveſcentem, octo foliis conſtantem hoc modo, quatuor ſuperius appoſita ſunt parva, obrotunda, bis ſubſtat amplum obrotundum, adhuc magis inferius tria parva alternatim poſita.* Addunt denique ambo, *plantam Menſe Julio florere. Provenit autem ſponte & voluntarie absque ulla ſollicita hominis cura, & tamen creſcendi attingit terminum.*

Semen, ſecundum Piſonem, in prima editione fert magnum, coloris roſacei, è capſulis (lupulo ſimilibus) prominens. In editione ſecunda hoc inſuper annectit: in ſummitate pediculi granum profert magnitudine parvi piſi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum, quæ ex Marggravii deſcriptione ſunt mutuata, qui inſuper hoc attulit: in ſummitate pediculi inter quatuor ſuperiora foliola, granum provenit magnitudine parvi piſi &c.

Ad principem ſchediasmatis partem & præcipuum argumentum nunc ordo nos ducit, *radicem* nempe *Parreiram bravam* & *Raiz de noſſa Senhora*, quæ cum una eademque ſit, Caapebamque plantam matrem utraque agnoſcat, pro duabus tamen diverſis jam tempore Piſonis habita, & nunc quoque ab aromatariis, quos barbaro vocabulo Droguiſtas vocant, (à Gallica voce Drogues, non autem ex Germanico vocabulo Betrug quod Nobil. D ab Hörnigk placuit) venditur, cum nullum planè, niſi ratione ætatis & exinde dependentis magnitudinis, fibrarumque duritiei diſcrimen ſubſit. Cum igitur juven-

cula

CAAPEBA.
PARREIRA
BRAVA

cula adhuc ſit, & ſarmentoſa & tortuoſa coloris è cineritio nigricantis, digitalis craſſitiei, & ut Wormio in Muſeo placet, quinque unciarum longitudinis, ſtrigoſa tam interius quam exterius, Rayz de noſſa Senhora, & Cipo de Cobra vocatur.

Cum autem jam planè adolevit, nigricantis coloris ſæpius brachium adæquat, quale fruſtum radicis hujus apud ſolertiſſimum noſtrum Pharmacopœum, Dn. Diereicum, inſpicere licuit, & tunc Parreiræ bravæ nomen gerit. Cutis radicis aſpera eſt in utraque radice; quas tamen in radicis ſuperficie externa eminentias Pometi Icon exhibet, non in omnibus reperiuntur. Videtur autem cutis utrarumque radicum, ceu reliquæ plantarum cutes, conſtare è duobus generibus, parenchymatico altero ex cellulis & bullis, altero lignoſo ex vaſis tubuloſis conſtructo, quæ omnia armato oculo intuenti optimè patent, ita ut, ſecundum Excell. Rajum, cuticula vel cutis nihil aliud eſſe videatur, quam vetus cortex exareſcens & contractus, novo quotannis ſubnato, quemadmodum ſpolium ſerpentis, quod quotannis exuit, ejusdem exarefacta cutis exiſtit

Cortex cuti agglutinatus ex duabus quoque partibus coagmentatus, parenchymatica nempè & lignoſa. Immiſi aquæ fontanæ radices, ut eò melius & intimius conſtructionem rimari poſſem: nec deſtituit ſucceſſus ſpem, nempe corpus ſumme poroſum, dilatabile, &, niſi omnia me fallunt, ſpongiæ per omnia ſimile, armato oculo intuens conſpiciebam; pori ſphæricæ figuræ, & maſſa cellularum & bullularum minutiſſimarum, ſpumam cereviſiæ vel albuminis conquaſſati ovi æmulabantur: viſui ſe minus ſubduxerunt hæ bullæ, aqua, cui immerſæ erant, turgidæ, in aridâ radice transverſim ſecta, quod experimentum Excell. Grew placuit. Has cellulas bullasque quis receptacula liquoris & aëris eſſe neget? vel utriculos in ſe mutuo hiantes, & pervios ſecundum ingenioſiſſimum Malpighium. Per alteram corticis lignoſæ partem vaſis ſucciferis conſtantem, liquor quoque circulatur & aer. An vero ad ſe invicem accedant, & iterum reflectantur, nullas tamen dent inter eas Ana-

ſtomo-

ſtomoſes; ſecundum *Cl. Grew*, ſed unumquodque filamentum unum & ſimplex vas ſit ab imo ad ſummum continuum, non ramoſum, cavitate ab imo ad ſummum æquali, in fruſtis radicum, jam longo tempore arefactis detegere haud licuit.

Lignea radicis pars iisdem quoque partibus conſtat, parenchymate nempe (1) ſeu utriculis in radios diametrales à circumferentia ad centrum tendentes, diſpoſitis, ut in transverſa ſectione patet. (2) Fibris ligneis ſeu vaſis ſucciferis duum generum, (quod in corticis quoque vaſis notandum) nimirum vel lympham deferentibus, vel ſuccum lacteum, aliumve plantis peculiarem, ſeu ut vocant ſpecificum. (3) Fiſtulis Aeri excipiendo & derivando deſtinatis ſive tracheis, de quibus *Cl. Malpighius* annotat, quod in radicibus plerumque majores & magis patentes ſint, quam in ramis & trunco.

Medulla, quæ *ſecundum Excell. Rajum* in nonnullis radicibus deeſt, noſtra non caret; quæ ex utriculis quoque componitur, iisque magnitudine & figura diverſis, quibus vaſa aliquot ſuccifera interdum admiſcentur; adeo ut medulla, ex mente Cl. Raji, aliud nil eſſe videatur, quam rete quoddam mirabile, ſeu infinitus fibrarum minutiſſimarum, mirabili ordine complicatarum numerus. Sed ſecundum Euripidem ἐκ ἀμιβῶς αὐτὰ θήσομαι λίαν; non ſubtiliter iſta tractabo nimis, cum jam in Anatome Radicum omnia ſumma cum laude exhauſerint, curioſiſſimi *Malpighius*, *Grew* & *Rajus*.

De ſapore alius dicendi locus ſupererit, ubi de Parreiræ viribus & efficacia. *Delectum* radicis pretiumque *Dn. Pomet nobis* ſuggerit dans l' Hiſtorie des Drogues: *Pour ce qui eſt de ſon choix, Mr. Thevard m'a aſſurez, que celle de Mexique eſtoit beaucoup meilleur, que celle de Portugall. - - Ils le vendent en Portugall dix teſton la livre, qui ſont environ cinqs livres de notre monnoyes.* i. e Ad delectum quod attinet, Dn Thevard me certiorem reddidit, Mexicanam Luſitanicæ præferri. Luſitani libram decem teſtonis ſive quinque Francicis libris vendunt.

Parrei-

Parreiræ Character & Genus.

JAm vero cum plantarum certi ſint ordines, earundemque una claſſis alteri ſubſit, adeo, ut velut ad cohortes revocari poſſint ſingulæ, cui ordini planta hactenus quoad omnes partes illam conſtituentes, easdemque viſui obvias, à nobis delineata inſerenda ſit, nunc ediſſeram. *Vitis* quidem *ſylveſtris* deſignatur nomine, cum tamen nil niſi nudum nomen poſſideat, ad arbores bacciferas tetrapyrenas (cui claſſi à Cl Botanici ſtudii principibus *Rajo* & *Hermanno* vites inſeruntur,) referri nequit.

Clematiti non abſimilem pronuntiavit Piſo Edit.II.Libr.IV. ſed cum ſecundum Floræ illud delicium, amiciſſimum Collegam *Helianthum II.* notæ generic. & ſpec. Clematitis ſint ſemina ad ſingulum florem plura, compreſſa, rotunda, caudulis plumoſis in extremitate notata, ac in capitulum congeſta, flores perfecti uniformes, tetrapetali, vid. *Flor. Noriberg.* p. 114. quomodo hæc ad Caapebam aptari poſſint, non video; quod fortè Piſoni ſuboluit, hinc Libr. V. edit. ſecundæ nomen convolvuli colubrini imponendo huic plantarum ordini Caapebam immittere geſtit, ſed quo ſucceſſu & omine, illi judicent, quibus ſecundum mox laudatum *Cl. Volkamerum* notæ genericæ & ſpecialiores convolvulorum ſunt ſemina vel anguloſa, ſubrotunda, vel oblongiuſcula, pericarpio membranaceo tricapſulari, utplurimum rotundo incluſa, ita ut in ſingulo loculo, modo bina, modo terna foveantur. Flores perfecti uniformes, monopetali margine utplurimum integro, excepto convolvulo pennato, cujus floſculi in quinque lacinias diviſi. Ad ſemina quod attinet, quam longè diſtent à convolvuli ſeminibus, pericarpio membranaceo tricapſulari utplurimum rotundo incluſis, patet, cum ex Marggravii & Piſonis delineatione in ſummitate pediculi inter IV. ſuperiora foliola granum proveniat magnitudine piſi parvi, figuræ ovalis, interius viride, hinc rubrum. Ad *Flores* quod attinet, utplurimum in convolvulis

uniformes, monopetali & ſecundum *Cl. Rajum* campanulati, margine integro & plerumque reflexo; Caapebæ flos vero octo ex deſcriptione Marggraviana foliis conſtat, è quibus IV. ſuperius appoſita ſunt parva ſubrotunda, his ſubſtat amplum ſubrotundum; adhuc magis inferius tria parva alternatim poſita, quæ heteroclita florum in Caapeba figura, ab omnibus planè convolvulorum ſpeciebus abludit. Plura & uberiora de convolvulorum differentiis & gyrorum dextrorſum & ſiniſtrorſum ſe torquentium ſtructura noſſe qui cupit, perlegat quæſo eruditiſſimam & omni curioſitate ſcatentem *Helmſtadienſium Mathematici Clar. Dn. Wagneri Diſſert. de Gyris convolvulorum An.* 1705. habitam.

Nil igitur Caapeba cum convolvulis commune habebit, quippe floribus & ſemine ab hac claſſe deſciſcit, præterquam quod caulibus ſcandat & repat. Ab *Illuſtri Rajo* Caapeba inter plantas anomalas refertur, & tandem definitur, quod ſit: *Convolvulus Braſilienſis flore octopetalo, monococcos.* Oper. Botan. Tom. II. Libr. 28. ſect. 3. cap. 2. p. 1331.

Reverendus *P. Plumier, Ordinis Minimorum in Provincia Franciæ & apud Inſulas Americanas Botanicus Regius*, qui tribus diverſis temporibus hanc olim orbis incogniti partem, Botanici ſtudii amore adiit, in Tractat. de Novis Plantarum Generibus, hanc plantam tanquam incertam, peculiari claſſi novoque generi inſerit, tres Caapebæ ſpecies recenſendo. Sed cum hoc Caapebæ novum genus tantum diſtet à Piſoniana & Marggraviana hactenus recenſita deſcriptione Caapebæ, quantum æra lupinis diſtant, non amplius animum ſubit admiratio, cur *Celeberrimus D. Hans Sloane, Botanices gloria nulli ſecundus, quondam Ducis Albemarliæ, Inſulæ Jamaicæ Gubernatoris Medicus, in Catalogo Plantarum Inſulæ Jamaicæ, ſive Prodromo hiſtoriæ naturalis prædictæ Inſulæ* Part. I. p 85. anceps hæreat, an elematis baccifera glabra & villoſa rotundo & umbilicato folio Rev. P. Plumier, ſit una eademque ac Caapeba Piſonis & Marggravii?

Ut

Ut res clarior evadat, lucis & litis gratia, si pote, decidendæ, consultum duxi B. L. oculis & menti Plumerianam Caapebæ descriptionem objicere. Sic autem ille *dans la description des plantes de l'Amerique: Cette plante couvrent toutes les hayes par ses sarment, qui sont menus, souples, ronds, unis, & qui poussent alternativement à chaque nœud, (qui sont assez proches les uns des autres) une feuille & rarement deux: ces feuilles sont presque ronds, & quelquefois de la figure d'un cœur emoussé: elles ne sont pas attachées a leurs pedicules immediatement par le bord, mais un peu plus par dessous le dos; leur grandeur est indeterminée; il y en a qui sont grandes, comme la paume de la main, & d'autres beaucoup moindres: elles ont quelques nervûres tant soit peu eslevées, qui sortant de l'insertion du pedicule, s'etendent de la & de ça par la feuille, enfin elles ont beaucoup de rapport aux feuilles de l'Aristolochie ronde, tant par leur figures, que par leur consistence.*

On en trouve de deux especes, l'une est tout a fait lisse, & c'est la plus frequente, l'autre a çes feuilles cotoneuses & blanchastres, mais elle est plus rare; on peut y ajoûter, une troisieme espece, que j'ay souvent remarquée dans l'Isle St. Dominique, dont les feuilles sont attachées immediatement a leurs pedicules par le bord. Les unes & les autres poussent des branches fort menuës du meme endroit d'ou sortent les feuilles: elles ont environ demie pied de long, & sont couvertes des feuilles beaucoup plus petites, que les premiers, qui s'entrecouvrent souvent les uns, les autres & composent comme la Cheûte d'un feston. Du fond de chacune des ses feuilles, il en sorte une petite grape de fleurs blanches, fort menuës, & composée de quatres petites feuilles pointuës; apres qu'elles sont passées, il y vients des bayes rouges comme du Corail, & grosse comme la semence de l'orobe; on le prendroi pour des bayes de nos Cheurefeuilles, car elles en ont la grosseur, la couleur, & la consistence, & elles pendent en bas en façon des petites grapes. On appelle cette plante dans nos Antilles, & particulierement dans la Martinique Liane de serpent, a cause de la gran-

la grande vertu, qu'elle a pour guerir les morſures des ſerpents, & parceque le contour de ſes feuilles repreſentent le plan de la teſte de ces animaux. C'eſt la Caapeba des Braſiliens l'Erva di noſtra Senora, herbe de nôtre Dame, Cipo de Cobras de Portugais de Marggrave liv. I. chap. 18. Latinè ferme ſic efferri poſſet: „Planta hæc omnes penè ſepes ſarmentis ſuis tenuibus, flexili-„bus, rotundis, conjunctis tegit quaſi & occultat; quæ ſarmen-„ta per alternas vices ad nodos ſibi invicem ſatis contiguos „folium, raro duo protrudunt, haec folia rotunda fermè, ſæpius „ad figuram cordis retuſi accedunt; pediculis proxi-„me non per foliorum extremitates, ſed paululum infra dor-„ſum connectuntur. Magnitudo foliorum non ſibi ſemper „reſpondet, cum palmæ manus magnitudinem ſæpe attingant, „longè minora alia. Nervulos paululum elevatos habent, „qui ex pediculi implicatione prodeuntes, hinc inde per fo-„lium ſeſe extendunt, ita ut ratione figuræ & conſiſtentiæ plu-„rimum ad Ariſtolochiæ rotundæ folia accedant.

„ Binæ repertu dantur ſpecies, una planè glabra, quæ fre-„quentior occurrit, altera foliis lanuginoſis & albicantibus „gaudet, quæ rarior; hiſce duabus quoque tertia conjungen-„da, quam ſæpius in Inſula St. Dominici reperi, cujus folia „per extremitatem & foliorum oram proximè pediculis con-„nexa. Utraque ramuſculos, ex eodem, quo folia progermi-„nant loco, emittit; dimidii pedis longitudine, minoribus „foliis, quam priora coopertos, quæ foliola ſe mutuo conte-„gunt & pendentem encarpum oculis exhibent: ad extremi-„tates horum foliorum parvulæ quaſi uvæ ex floſculis albi-„cantibus, tetrapetalis, acutis, conſtantes prodeunt; his de-„ciduis baccæ rubræ corallium æmulantes, magnitudine ſe-„minis orobi ſuccedunt; pro caprifolii noſtri baccis quis ſu-„meret, cum craſſitie, colore, & conſiſtentia vix diſcrepent, „& parvarum uvarum inſtar propendeant.

„ Inſulis noſtris Antillarum, præcipuè incolis Inſulæ Mar-„tinique Liane de ſerpent audit, ob eximias, quas in morſibus

ſerpen-

CONVOLVULUS AMERICANUS SUB IALAPIÆ NOMINE

CONVOLVULUS MONOCOCCOS VIRGINIANUS.

ſerpentum ſuppeditat vires, & quod ambitus foliorum ſerpen-„
tino haud diſſimilis ſit capiti. Hæc planta Caapeba eſt Braſi-„
lienſium, Erva de noſtra Senora, herba divæ Virginis, Cipo de „
Cobras Luſitanorum Marggravii Libr. I. c. 13. „

In Tractatu *de novis Plantarum Americanarum generibus* p. 33. ulterius *Rev. P. Plumier* progreditur & diſtincte characterem generis ex florum & fructuum conſtitutione ſequenti deſcriptione & Schemate exhibet.

Caapeba (ſcribit) *eſt Plantæ genus flore roſaceo, quatuor ſcil petalis in orbem poſitis conſtante, ſed ſterili, è cujus medio ſurgit piſtillum C. planum, orbiculare & umbilicatum. Embryones autem D in eadem planta à floribus ſeparati naſcuntur, abeuntque deinde in baccam E. mollem, ſphæricam, & ſemine fœtam F. rugoſo D.*

Caapebæ ſpecies ſunt (1) *Caapeba folio orbiculari, & umbilicato lævi.* (2) *Caapeba folio orbiculari, umbilicato tomentoſo.* (3) *Caapeba folio orbiculari non umbilicato* Hactenus Plumerius. Hæc ſi probe cum Marggraviana & Piſoniana Caapebæ deſcriptione conciliare aliquis poſſet, certè μέγα νεῖκος (ut cum Aſcræo vate in Theogon. dicam) ἐπιξαμένως καταπαύσει, magnam litem ſcienter ſedabit.

Excellentiſſimus quoque Plukenetius, quem Indicas naturæ Gazas plenis calathis inferentem, univerſa ſtupet Europa, in Almageſt. Botanic. p. 114. quærit: *An convolvulus Americanus ſub Jalapiæ nomine receptus, non ſit convolvulus Colubrinus Piſonis Caapeba? ſive convolvulus Braſilianus flore octopetalo monococcos Raji? Figuram*, quam in Phytognom. Tab. 25. Fig. 1 exhibet, B. L. oculis hic ſubjicio, una *cum convolvulo monococco Virginiano D. Baniſteri* quem haud diſſimilem credit, ex Phytognom. Plukenet. Tab. 166. Fig. 4.

Quod ſi viri hoc in ſtudio conſummatiſſimi, & penes quos Dictatorum auctoritas, hic ſuſpendant judicium, neque certi quid circa has plantas determinare audeant, extremæ eſſet amen-

tiæ & temeritatis, si ego judicem hac in re abstrusissima agere vellem, ubi mera ἀναταξασία regnat:

- - - Quid enim contendat hirundo
Cycnis? aut quidnam tremulis facere artubus hædi
Consimili in cursu possint, ac fortis equi vis.

Plumerianam Caapebæ descriptionem examini subjiciens Amicorum certissimus *Dn. D. Volkamer*, Botanici studii si quis alius scientissimus, Ariadnæum ex hoc labyrintho filum præbuit, *eam Bryoniæ & Smilaci asperæ affinem* pronuntiando Utraque enim herba scandens baccifera, semine incerti numeri, pericarpio carnoso rotundo, seu baccæ incluso, flores in Bryonia perfecti, monopetali quadrifariam vel quinquefariam divisi, in Smilace autem aspera hexapetali in racemulos congesti; radice in Smilace sarmentosâ. Hæc omnia si cum delineatione Plumeriana conferantur, manifesta sunt, omniumque oculis exposita patent; latet autem illud, quod in Pisoniana & Marggraviana Caapebæ descriptione desideratur, ut certæ quoque classi possit inferri, & cum Plumeriana conciliari

Ego, quod hic amplius addam, nil habeo, nisi illud Rev. P. Nierenbergii Histor. natur. p. 16: Nunquam ita patuit natura ut hodie, tantum dimidius vultus antiquis est visus, & velut ex obliquo respectus, nunc ex integro & ex directo ostenditur. Cum novo orbe nova spectacula exhibuit, & se aut alteram aut diversam *Nemo tamen integram hactenus contemplatus est.* Hinc omnes Senecæ subscribimus: Multum adhuc operis restat, multumque restabit, nec ulli nato post mille secula præcludetur occasio aliquid adjiciendi.

Restat, ut de *Inventore radicis* hujus nostræ paucula annectamus. Equidem quis Europæ nostræ notitiam ejus primus dederit ἵππω ζεὺς, norit Jupiter. Nullus dubito, quin Lusitani, Brasiliæ Domini, hanc radicem una cum aliis naturæ Cimeliis primitus in patriam asportarint, id quod Pomerus tamen Mexicanæ regioni vindicat. Galliam hac Brasiliæ alumna ditavit, à Lusitanica Legatione redux Illustrissimus Amelotius, Christianissi-

nissimi ad Lusitaniæ Regem Orator: discimus hoc ex Dn Pometo, qui & hoc addit, quis ægris in Gallia primus hanc radicem exhibuerit: *Ce premier, qui a apporté cette racine à Paris, a esté Mr. Amelot, Ambassadeur de Portugal, & apres luy Mr. Tournefort, qui m'a donné un morçeau, depuis que Mr. Amelot en a apporté a Paris, Mr. Thevard Medecin. de la Faculte & quelque autres, l'ont mise en usage, comme un remede specifique pour la guerison de la Pierre; les Portugais ont este les premier, qui l'ont apporté de Mexique*, h. e Primus, qui Lutetiam Parisiorum attulit, Dn. Amelotius erat Legatus ad Regem Lusitaniæ, post illum Dn Tournefortius, qui frustum radicis mihi dono dedit. Ab eo temporis tractu, quo radicem hanc Lutetiam detulit Dn. Amelotius, Dn. Thevardius, Facultatis Parisinæ Medicus, aliique in usum pharmaceuticum produxerunt instar remedii ad calculum profligandum specifici. Lusitani primi erant, qui ex Mexicano solo attulerunt. Cl. Helvetius, Aurelianensis Ducis Medicus, edito libello Gallice inscripto: Traité de maladies, les plus frequentes, & des Remedes specifiques pour les querir, Parreiræ nostræ aliquoties cum laude meminit. Hinc factum est, ut ob hujus radicis & lapidis porcini (piedra del porco) datam notitiam Cl. Eugenius Eybenius, in Belgicam transtulerit, Helvetiique Parenti, Excell. D. D. Joh. Frieder. Helvetio, scriptis Chemicis & Philosophicis literato orbi notissimo, hanc filii lucubrationem inscripserit. Laudatus hic Helvetius radicem Parreiram bravam à Dn. Pille obtinuit, testes produco seqq. lineolas: *Ce remede m'a este donné par Mr. de Pille, connu dans toute l' Europe pour un homme tres-curieux & tres-sçavant. Il en a la decouvert, pendant qu'il estoit a la suite de Mr. Amelot Conseiller d'Estat, Ambassadeur de France in Portugal.* Hoc remedii genus mihi dono oblatum à Dn de Pille, qui curiosissimi & doctissimi Viri nomen apud Europæos promeruit. Detexit & didicit ejus usum, cum Dn. Amelotium, Consiliarium Status, & Gallicum ad Lusitaniæ Regem Oratorem sequeretur.

Parreiræ Examen & Vires.

PRiusquam quomodo & qua dosi radix Parreira brava exhibenda, & ad quæ mala averruncanda & depellenda apta sit, inquiramus, necessitas exigit, ut quæ illius sint elementa, quæ principiorum textura, quæ particularum mixtio, quis agendi modus, accuratius indagemus. Et quidem, quæ primo in sensus incurrunt, mox quæ Chimia suppeditat, quæ denique ratio ministrat, exhibenda. Si armato inspiciatur oculo, ea se offerunt, quæ caput præcedens exhibet.

Ad *Saporem* quod attinet radicis nostræ, ex generalibus jam constat, quod corpuscula sapida gustus & saporis sensum producant, variis figurarum, ex quibus constant, particulis, quæ saliva solutæ, linguæ papillas nerveas pro varietate variæ figuræ pungant; maximè vero salinæ saporum videntur esse causæ. Ex diversitate nunc & modificatione figurarum salinarum diversarum, saporum quoque diversitas. Salia omnia videntur angulosis constare particulis, cum tamen anguli sint minus ac magis acuti, & pro ut plures anguli simul aut pauciores occurrunt, ita saporum quoque differentiæ resultant. Polygona enim corpora multitudine angulorum minus ac magis obtusorum conjunctione infinita fieri possunt, ceu egregiè Cl. Clericus philosophatur. In radice nostra planè singularem figurarum structuram esse, dulcamarus sive γλυκύπικρος sapor prodit, inter mixtos & compositos recensendus, qui hoc ipso vix determinari potest; licet enim particulæ salinæ sulphureis oleosisque immixtæ, meridiana clarius luce se sistant, inque sensus incurrant, qualis tamen præcisè ex ista mixtione oriatur figurarum dispositio, qui dixerit, magnus mihi erit Apollo. Agonizantis in Galliis Cartesianæ Philosophiæ restaurator Pierre Sylvain Regis Libr. VIII. Phys. c. 4. facem ministrare vult & lucem, sed debilem nimis, cum idea, quam de corporibus amaris dulcibusque concipit, rem hanc non solvat, nedum absolvat. Ἐμοὶ ἐπιχειρήσει οὕτως, mihi sic placet: Particulas salinas, sulphure vola-

volatili delinitas esse, oleosisque mollibus quasi inviscatas involutasque, ut papillas nerveas & fibrillas tangant quidem, non tamen angant. Quod si plausibilem modum hunc non existimes B. L. cedo mihi vel similiorem, vel commodiorem, & viridi tibi caput lauro redimam. Gaudet certè hac facultate Parreira nostra, quam Cous noster desiderat Lib. II. de Diæt. c. 31. t. 16. τῶν πικρῶν καὶ δριμέων γλύκοισι διακρινῶντα. *Vim amarorum & acrium, dulcium mixtura corrigere oportet.* Ut ita radix Parreira potius amariuscula sit, πικρότης, (quod vocabulum de vino veteri quoque usurpatur) non amara, ob admixtam dulcedinem. Quadrat in nostram radicem illud Claudiani de Nupt. Honor.

Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus
Alter; & infusis corrumpit mella venenis.

Saporem γλυκύπικρον radici Ginsem sive Ninzin quoque adjudicat nobiliss. Breynius in Dissert. de ead. radice Lugd. Batav. impressa. §. 4. dum scribit: *Sapore prædita est dulci ad Glycyrrhizam vergente, quanquam longe suaviori, cum amaritie levi & occulta sive leviori vi aromatica linguam blandè excalefaciente conjuncto.*

Sic Planta Mexicana diuretica Tlallantlacuam cuitlapilli sive cauda parvi Tlacuazin saporem Parreiræ æmulatur, ejusdem quoque in pellenda urina & calculis efficaciæ, de qua hæc Nardus Antonius Recchus in Rer. Medicar. nov. Hispan. Hist. Libr. VII. cap. 34. habet: *Radix odore insigni caret, sed initio dulcedinem quandam præfert Glycyrrhizæ similem, postea vero amaritudinis nonnullum sensum præbet.* Parreiræ igitur nostræ sapor non ex illis amaris, de quibus Plutarchus Libr. I. Sympos. quæst. 6. pronuntiat: Τῇ γεύσει πάντων ἐςὶ τῶν χυλῶν ὁ πικρὸς ἀηδέςατος. *Gustatu omnium saporum injucundissimus est amarus.* Quamvis & hæc Plutarchi regula insignem patiatur exceptionem; cui enim ignotum in communi usu & jejunorum deliciis esse vinum, quod absynthites nominant, quodque conficiunt immaceratione absynthii, cardui benedicti, centaurii minoris,

similium in amaricando potentium. Tantum enim abest, ut hoc amarissimum potionis genus abhorreant, ut potius cum Lena illa vinosissima apud Poëtam exclament:

- - - - - Salve, anime mi,
Liberi lepos, ut veteris vetusti cupida sum!
Nam omnium unguentûm odor præ tuo nautea est.
Tu mihi flacce, tu cinamomum, tu rosa,
Tu crocum & casia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.
Sed cum adhuc naso odos obsecutus es meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium.

Certe Frisii in hoc potu usque adeo luxuriantur, ut teste Clariss Lindenio, in uno diversorio Leovardiæ, provinciæ metropoli, aliquot supra quinquagenos cados fuerint consumpti uno anno: vocat autem cados, quos vulgus oxhoofden; æstimatur quisque amphoris octoginta. Et quis in absynthio γλυκύπικρον quærat? Testem producimus Cl. Carol Avantium in elegantissimis in Fieræ Cœnam notis p. 137. seq. *Quamvis absynthium*, scribit, *vermes strenuè interficiat, & vestimenta à tinearum noxis vindicet; & ipsum tamen aliquando verminare observavi, quod non aliunde, quam ex medulla, quæ dulcis percipitur, provenire existimandum est.*

Succedit gustui radicis nostræ Parreiræ bravæ odor. Qualis in recenti vigeat, haud equidem constat; in illis, quas India nobis mittit, nullus. Si Pergameni effato fides adhibenda foret, amara planè destituerentur odore; sed huic Galeni asserto opii tetet odor, absynthii & aloës effluvia & caput & nares ferientia, reclamant & contradicunt. Ut myrrham silentio transeam, quæ ob odoris fragrantiam aromatibus adscribitur. Vid. Plinium, Dionys. Perieg. aliosque, quos citat ævi sui phœnix, Belgarum decus, in Select Med. Diss. p. 308. 309 seqq. Quod si blando calori admoveatur radix, exhalat odorem, non mephitim quidem empyrevmaticam, sed naribus blandientem, liquiritiæ quoque æmulam.

Hæc

Hæc ſenſibus externis obvia. Ad alia nunc progrediendum, & quæ *ars illa, corporum naturalium partes, ignis plerumque auxilio vel ſegregatas conjungens, vel conjunctas ſegregans,* (*ceu Chemiam definit* ingenioſiſſimus Anglus, Joh. Freind in Prælect. Chem p. m. 8.) ſuppeditat, exhibenda. Optandum equidem, ut hæc per ignem analyſis vera foret & genuina corporum in ſimpliciſſima, & principia primo-prima (ſic in ſcholis loquuntur) reſolutio; aſt potius vulcanio hoc adminiculo, accedente rapidiſſimo particularum motu, rerum formæ planè deſtruuntur, textura immutatur, partium ſitus & ſtructura disgregatur, novumque quid emergit, plane à priſtino abludens. Accedit inſuper hoc, quod ad chymica illa principia reduci haud queant omnia phænomena, cum ipſiſſima illa principia nimium quantum inter ſe diſcrepent & pugnent, quippe utcunque inter acidum & Alcali ferveat mortale odium, aliquando tamen alterutrum, ſuo etiam generi non minus iraſcitur. Acida enim cum acidis & alcalica cum alcalinis bellum inteſtinum gerunt; quodque cum uno corpore comparatum Alcali audit, mox ſi ad alterum conferatur, acidi titulo inſignitur. Ita fruſtra quærimus limites, quibus utralibet ſpecies contineri debeat, ut cum ſuperius citato Cl. Freindio loquamur. Exemplis res evaderet clarior, niſi extra choreas nimium ſaltare viderenur.

Quæ cum ita ſint, nemo à nobis hoc exiget aut poſtulabit, utin ſpiritu aliquo aut ſale volatili è radice noſtra per ignem extorquendis operam ſimul & multos ſumptus temere perdamus. Feçit tamen ſolertiſſimus Pharmacopœorum noſtrorum Dn. Dietericus ſucceſſu ſequenti. Raſuræ radicis Parreiræ bravæ unciam ſemis igni commiſit per retortam deſtillando; obtinuit ſpiritus aciduli empyrevma redolentis, ligni Quajaci & corticis Chinæ Chinæ æmuli ſcrupulos quinque; olei empyrevmatici fœtidi, oleo Tartari non abſimilis ʒj. capitis mortui nigerrimi reſidui, inſtar Eboris uſti, ſcrupulos ſex.

Fluunt ex hac radicis vulcania analyſi ſequentia notatu

digna: 1. Spiritum acidiuſculum, plane novum ignis productum eſſe, ſuccedens amaritiei & dulcedini ſive mixto ſapori γλυκυπίκρῳ, indubium præbens indicium, naturam ſaporum in certa textura ac particularum mixtura poſitam eſſe, quæ per diſſociationem ab igneis particulis factam, immutatur & à priore abludens, aliam ideam ſaporis imprimit. Spiritus enim Parreiræ bravæ, conchis præparatis affuſus, haud levem efferveſcentiam & motum particularum internum produxit, ſulphure inde exhalante naresque feriente; cum tamen in pulvere & infuſo exhibita radix ſenſilem aciditatem vix præ ſe ferat. Poſito tamen non noviter productas per ignem eſſe has acidiuſculas particulas, & radici occulte inexiſtere, innuunt hæ certè temperiem hujus radicis, ejusque in calculo debellando efficaciam, cum ſecundum Excell D. Stahlium homines calculo obnoxii ſint perpetuo habitus corporis ſanguinei prædominantis.

2. Spiritus colore ſuo obſcure rubicundo prodit reſinoſarum particularum præpollentiam, quæ vitro quoque ſeſe agglutinantes, clare præſentiam latitantis reſinæ indicant; quod inſuper eſſentiæ Parreiræ bravæ variis menſtruis extractæ, coloris intenſe rubentis confirmant.

3. Olei fœtidi copioſa quantitas & Salis Volatil. & reſinæ quoque index; quod ſi cum Sale fixo digeratur loco calido & ſ a in phiola deſtilletur, obtinebis Sal Volatile, quod quæſiveris; quippe oleo deſtillata nihil aliud ſunt, quam Salia volatilia concentrata ope cujusdam acidi, ſecundum Chemicorum regulas.

4. Oleum fœtidum inviſum licet naribus & ob exhalantem empyrevmaticam mephitim exoſum, ex retorta prodiens craſſeſcebat: firmiter collo, per quod prodibat, adhærens, enchiriſi quadam leviuscula, depoſito fœtore empyrevmatico in Balſamum vel reſinam redigitur, egregie omni reſiſtentem putredini, acrimoniamque ſalſam involventem.

5. Ex capite mortuo nigerrimo poroſiſſimo, in quo radii lucis penitus ſuffocantur, haud difficile erit ſal quoque fixum elicere.

elicere. Hoc tamen probè notandum, neque Salia, neque ol. fœtidum, neque ſpiritum, neque extractum, vires tantas exſerere; quantas radix porrigit, digito quaſi monſtrante viam, radicem Parreiram agere tota ſubſtantia, uti in Scholis Galenicorum loqui amant, de quibus mox fuſius.

Licet enim non affirmare auſim cum vereribus, dari remedia, certæ cuidam parti vel viſceri tantummodo dicata, cum id circulationi ſanguinis repugnet, non tamen hoc negandum putarim, extare medicamenta, quæ huic vel illi parti corporis magis vel minus amica ſint, cum hoc dependeat à variâ & diverſa partium ſolidarum ſtructurâ, tam quoad poros intro foras & foras-intro ſpectantes, quam quoad ſtamina & fibrillas, ex quibus conſtant & contextæ ſunt, itemque quoad fluida in illis circulantia & fluentia; & hinc quoque medicamenta diverſos edere in partibus diverſis effectus quis ambiget? Hanc vim ſpecificam veteres temperiem dixere, recentiores craſin, texturam, à varia particularum modificatione dependentem, ſive à figurarum varietate. Nemo hoc hodie ferme negat, nec Antiquitas negavit. Sic enim ſentit Hippocrates,

à quo, ceu fonte perenni,
cuncta Machaoniis arva rigantur aquis.

Δεῖν δέ μοι δοκέει καὶ τᾶυτ' εἰδέναι, ὅσα τῷ ἀνθρώπῳ παθήματα ἀπὸ δυναμίων ἔρχεται, καὶ ὅσα ἀπὸ χημάτων. Λέγω δὴ τὶ τᾶτο, δύναμιν μὲν εἶναι, τῶν χυμῶν τὰς ἀκρότητάς τε καὶ ἰσχῦς. Σχήματα δὲ λέγω, ὅσα ἔνεσιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. *Oportere autem mihi videtur & hoc novisse; qui affectus hominis à facultatibus veniant, & qui à figuris. Quod dico, hoc eſt: Facultatem ſcilicet eſſe humorum ſummas vires. Figuras vero intelligo, quæ inſunt in homine.* Libr. de vet. Med XXXIX. 146. Exemplis deinde aliquot dilucidata hac propoſitione, tandem concludit t. XL. 157. f. ταῦτα δὲ πάσχει διὰ τὴν Φύσιν τᾶ χήματος. *Hæc vero patitur ob naturam figuræ.*

Naturæ ſolertiſſimus Myſtes Plinius Libr. XXII. v. 24. ſequentibus eandem rem exprimit verbis : *Eſt & ratio ſubtilitatis immenſæ à Platone deſcendens : corpuſculis rerum lævibus, ſcabris, anguloſis, rotundis, magis aut minus ad aliorum naturam accedentibus; ideo non eadem omnibus amara aut dulcia eſſe.* Videmus ſic, quam blande veteres conſpirent cum recentioribus. Hoc vero opus, hic labor erit, particularum inter ſe coordinatarum minimarum diſpoſitionem & nexum velle eruere, eorumque numerum, proportionemque inter ſe determinare ad amuſſim, quæ ob exilitatem ſuam, noſtrorum effugiunt qualemcunque ſenſuum aciem, hoc, inquam, artis opus, in quo tantum votis locus, labor omnis hucusque irritus, perſcrutatio manca, mutilaque. Ad internum igitur principium, formam, vel ideam formalem, vel formam idealem, recurrere ſi quis velit, libet licet. Οὐ κρινέμαι τῶν δέ σοι τὰ πλείονα. Ut cum Euripide loquar in Medea: Simus contenti, quid ſenſiles facultates hac de ſpecifica virtute & efficacia radicis noſtræ nobis manifeſtant, & per chemicam analyſin illuſtrant. Quicquid igitur in omnibus renum & veſicæ affectibus auxilii porrigit, quicquid in hydrope præſtat, quicquid virium aliis in morbis leniendis miniſtrat, ceu optimum diureticum; hoc peragit *partim particulis ſuis ſalinis tam volatilibus quam fixis*; quibus (1) glandulas & ſiphunculos renales fiſtuloſosque tubulos, per quos tanquam minutiſſima filtra & ſpongiolas urina ſecerni debet, materia tenaci viſcoſaque infarctas & anguſtatas incidendi vi aperiunt, abſtergunt, urinæque ſeparationem promovent. (2) Fermentum renum fracidum, acrimonia volatili urinoſa deſtitutum & plane iners, diſponunt ad promovendam copioſiorem ſeparationem, quod in cachecticis diſpoſitionibus, imprimis vero illa hydropis ſpecie, quæ teſte Nobiliſſ. Dn ab Helmont, renum vitio contingit, in quibus urina fluit pauca, licet ægroti multum potent, fieri ſolet, hoc in affectu particulæ ſalinæ radicis noſtræ ad urinæ excretionem ſtimulant,

mulant, & partes heterogeneas ſanguinis evehunt. (3) Dum aquæductus illi, qui ad colligendum aquas, tota domo defluentes, & demittendum in veſicam, velut in ciſternam, deſtinati ſunt, (ureteres innuo,) vel ſinguli, vel ex una parte, materia tenaci viſcidaque quoque turgidi infarctique ſint, ut debito officio fungi haud queant, viſcidam materiam fundendo, aperiendoque & ad veſicam præcipitando, has vias iterum permeabiles reddunt. Quis non in miram hanc particularum ſalinarum radicis noſtræ vim diureticam ſequenti Epigrammate ludat, illamque loquentem quaſi introducat:

Sæpius obſtructis renum canalibus arctis,
Ad fontes refluunt flumina ſalſa ſuos.
Prodigium infelix! vicinis undique membris
Turbatur totis & trepidatur agris.
Quid vos ignavæ, (ſic increpo) ſiſtitis undæ?
Mecum ite, en vobis rumpere clauſtra paro.
Rumpo, patent; notusque ſuas vehit alveus undas,
Lætantur magno membra levata manu.

(4) Spiritum porro dictum Gorgonium,

qui ſaxea reddit
Corpora, qui totis inducit marmora rebus,

in renibus ſtabulantem, arenulasque & ſabulum cum muco viſcido compingentem inque lapidem coagulantem & efformantem, ſalinæ quoque Parreiræ particulæ deſtruunt, & ulteriori calculorum geneſi obicem ponunt.

Vidimus efficaciam *ſalinarum*: nunc quid *ſulphureis, oleoſis, balſamicis, mollibus, dulcibus, reſinoſis, glutinoſis particulis* agat & præſtet, examini ſubjiciemus. His (1) ſalia aeria imprimis ſalſa involvit & deſtruit; præſente quippe calculo urina acrior evadit & ſalſior, hinc criſpationes & dolorificos meatuum ſpaſmos, eorumque anguſtias inde productas abigit, ut ſoluta criſpatione ad debitam amplitudinem viæ antea arctatæ

redeant

redeant, id quod veteres laxare & lubricare vias calculoque viam parare dixerunt; imprimis(2) particulæ dulces mollesque & resinosæ, amaris immixtæ, aptæ natæ sunt ad salsedinem urinæ temperandam; quid enim salivæ quoque salsedinem magis corrigit, quam liquiritia, passulæ &c. Accedit, quod dulcia semper habeant quandam γλιχρότητα & viscedinem ob intimiorem particularum sulphurearum nexum & cohæsionem, quibus simul abstergunt & lubricant, ac particulas salinas involvunt, inviscant, doloresque demulcent, anodynique vices supplent; non absimili modo ac Gummi Arabicum, quod ceu præsentaneum in calculi doloribus remedium Curiosiss. & Rever. P. Boccone commendat.

Ut taceam, vi quadam specifica, quæ à nobis determinari nequit, hanc quoque Parreiram nostram in comminuendo calculo efficaciam suam exerere, cum & menstrua prosternt, omni corrosivo destituta sapore, imo plane insipida, quæ succis corporis nostri admixta, & circulationis lege renibus ingesta promte in calculos renales irrumpere, eos aggredi, massamque coagmentatam, inque lapideam duritiem concretam diffringere & comminuere possint; haud aliter ac

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo.

Ubi tamen non negandum, optatum certè medicamentorum horum lithontripticorum insipidorum successum, utplurimum à lapidis qualitate dependere; quod si tophaceum reperierint, feliciorem certe effectum expectabis, quam in siliceo. Congessit hanc circa materiam plurima apud alios plane non reperiunda, & intacta omnigenæ eruditionis abyssus Cl. Salmasius, seculi miraculum, in interpretat. Aphorism. Hippocrat. 79. sect. 4. de Calculo. Inter remedia illa lithontriptica non corrosiva ac pene insipida choream ducit pulvis Nephriticus Magnifici quondam Præsidis Academiæ nostrae νῦν ἐν ἁγίοις Volkameri. Timæanum porro in calculo evporiston, & succus Betulæ, quorum virtutem in comminuendo calculo, si quis negare velit, experientiam tot Excellentissimorum Practicorum habebit contra

tradicentem. Meminiſſe quoque juvabit liquoris illius (cujus Generoſiſſ. Dn. Boyle Tract. de Specif. remed. cum corpuſcul. philoſoph. concord. prop. 1. mentionem injecit) adeo debilis, ut integrum etiam ejus poculum absque noxa ebibi poſſit, & nihilo ſecius in duriſſima corpora, ut lapides imo metalla quoque, fortiori modo agat, quam ipſa menſtrua corroſiva. Eundem effectum expectes in calculo ex infuſo lapidis Hiſpanicè dicti *Pedra quadrata*, à Nephritico lapide planè diverſo, effluviis haud ſenſibilibus imprægnato, cujus notitiam ſequenti optata occaſione obtinui.

Cum *Invictiſſimus noſter Imperator, Hiſpaniarum & Indiarum Monarcha, Dominus noſter omnium Clementiſſimus, CAROLVS ordine Cæſarum SEXTVS, rebus geſtis MAGNVS, Virtutibus Chriſtiano Principe digniſſimis MAXIMVS, quem DEVS nobis ſervet, ſoſpitet, tueatur, triumphisque cumulet*, poſt Coronam Francofurti Ipſius ſacrato Capiti impoſitam, factamque Imperii inaugurationem nuper Vrbem noſtram inter lætiſſimos applauſus & ardentiſſima vota tranſiret, ac inclytum Senatum civesque jure jurando in fidem reciperet, obtigit, ut Illius *Machaonem fidiſſimum* & in proſperis æque ac adverſis per terræ marisque tractus individuum comitem adire, ejusque mihi favorem conciliare licuerit. Eſt is *Vir Excellentiſſimus DN. D. VACKIVS, Sacr. Cæſar. Majeſt. Conſiliarius & Perſonæ Sacr. Medicorum Princeps*, qui inter alia luculenta ſatis humanitatis & benevolentiæ erga me documenta retulit, ſibi in Hiſpania calculi doloribus excruciato, aliis nihil proficientibus, hoc ex remedio *Pedra* nempe *quadrata* paratum *Infuſum* profuiſſe, dolores ſedaſſe, calculumque eliminaſſe. In Ephemeridibus Venetis *Galleria di Minerva inſcriptis* Tom. V. part. X. p. m. 271. mentio etiam fit lapidis, cui Excell. Hector à Valle nomen *Pietra Quadra* impoſuit, vires ejus in partu difficili, fœtuque mortuo expellendo his verbis recenſens: *Diedi in acqua d' Artemi-*

ſia e Meliſſa la infuſione della detta Pietra Sfregolata, ad un Gentildonna, che ſoleva ſtentare ſino alle Agonie in partorire, e partorì felicemente. Ad altre due la diedi in acqua di Gigli bianchi, e di dittamo Cretico con evento fortunato. i. e. Exhi-
„bui in infuſo aquæ Artemiſiæ & Meliſſæ dictum lapidem com-
„minutum (de petra quadra illi ſermo) fœminæ cuidam nobili,
„partus doloribus agonizanti, quæ feliciter in dias luminis au-
„ras fœtum protulit. Aliis duabus in aqua liliorum alborum & dictamni Cretici dedi, felici cum ſucceſſu. Ut alia omni corroſiva vi deſtituta Lithontriptica ſilentio præteream.

Poſuimus his hactenus adductis, uti ſpero, fundamentum, quod vera ratio & experientia non refellet, cuique plurimi effectus radicis noſtræ laudatiſſimi, quos in Praxi promit & prodit, poſſunt inædificari: Hæc enim ſpecialiſſima vis diuretica in noſtra latens radice tot ac tantis aliis palmam præripit. Nihil enim apud Practicos frequentius reperies, quam cautelas & querelas de diureticis in omnibus renum & veſicæ morbis ſæpius infauſte exhibitis; dum enim morbum tollere debent, potius ægrum tollunt, dolores inflammationesque ſæpius augent & inducunt. Nil hujus à temperatiſſima radicis noſtræ craſi metuendum. Conſentientem habemus Dn. Helvetium: *On a jusqu'icy emploié un grand nombre des remedes contre les Maladies des Reins & de la Veſſie; les diuretiques ſont ceux que l'on a le plus mis en uſage: mais l'experience a fait voir, que dans beaucoup d' occaſions ils ont eſté plus nuiſibles qu'utiles. Ils ont cauſé quelquefois des desordres aſſez facheux, pour faire apprehender, de s'en ſervir en toutes rencontres, parce que chariant trop de Matieres à la fois, & precipitant trop abondamment les urines, il cauſoient des ſupreſſions entieres & des douleurs extrêmes & continuelles. Cependant on eſtoit ſouvent obligé de tenter ce ſecours malgré, qu' on n' en eût, parce qu' on n'en connoiſſoit pas de meilleur: mais depuis peu d' années qu' on a decouvert l'uſage de la Racine de Parera brava, on n' eſt plus dans le même embarras. Ce remede n' eſt point ſujet a des pareils inconvenients,*

c' eſt

c' eſt un ſpecifique contre toutes les maladies des Reins & de la Veſſie qui ſont curables. Il agit avec tant de douceur, qu' il n' y a point d' ocaſion ou l' on ne puiſſe l' employer ſans en craindre de mauvaiſes ſuites; & on peut comparer ſes effets aux éffets ſpecifiques du Quinquina de l' Hypecacuana, & de l' Alun. J' ai vu de malades, qui apres en avoir uſé, ont rendu de pierres groſſes comme des olives & ſe ſont par la garantis de la Taille; cependant cet éfet n' eſt pas toujours certain, il reuſſit aux uns & ne réuſſit pas aux autres. i. e. „ Varia hucusque ad debellandos renum & veſicæ morbos adhibita fuere remedia; ex quibus diu-„ retica in frequentiorem protracta uſum: ſed experientia re-„ rum magiſtra docuit, in plurimis caſibus plus nocuiſſe illa „„ quam profuiſſe. Sæpius enim anſam præbuêre funeſtis ſym-„ ptomatibus, ut cautius mercari didicerint Practici, ſemper &„ ubique illa exhibere ægris, materiam quippe peccantem ſi-„ mul & ſemel eliminando, urinamque copioſius juſtò præcipi-„ tando omnigenam ſuppreſſionem, doloresque intenſiſſimos„ continuosque produxerunt. Interim defectu meliorum, his„ auxiliis uti coacti fuerunt, usque dum ab annis non multis„„ radicis Parreiræ bravæ introducto & patefacto uſu, huic obviam„ itum difficultati. Hoc enim remedium ſimilibus & recenſi-„ tis incommodis caret, ſpecificum quippe in omnibus renum„ & veſicæ morbis, qui curam admittunt, pharmacum. Tam„ blande, tam leniter virtutem & vires ſuas promit, ut nulla„ planè ſe offerat occaſio morbi, cui ſine ullo metu ac hæſitan-„ tia non exhiberi poſſit. Effectus, quos exerit laudatiſſimos„„ effectibus ſpecificis Chinæ Chinæ, Hypecacuanhæ & aluminis„ per quam ſimiles ſunt. Viſui ſeſe obtulerunt ægroti, qui poſt„ uſum hujus radicis, lapides magnitudine olivarum fructus„ æquantes, excreverunt, ab imminente ſectione calculi immu„ nes ſic reddiri. Non idem tamen ſemper effectus, cum huic„ individuo citius medeatur, quam alteri.„ Eandem ſententiam fovent duumviri Braſilienſis Hiſtoriæ Piſo & Marggravius; ille Hiſtor. Braſil. de Facult, ſimplic. libr. IV p. 95. *Renum, ureterum*

& vesicæ obstructionibus medetur. Usque adeo calculi expellit materiam, ut magnates Lusitani aliud nullum medicamentum huic prætulerint. Addit edit. secund. p. 312. *Radices imprimis illæ, quæ jam plane adoleverunt, humoribus serosis movendis, & calculis frangendis dicatæ sunt, quæ vero primo natæ frondes & sarmenta, morsibus serpentum medentur.* Hic vero Histor. Plantar. Brasil. libr. I. c. 13. *Radix contra calculum excellentissima & est illa, quam Lusitanus dabat Dn. van der Dussen optimo successu.*

Parreiræ Usus, Præparata & Dosis.

PErlustratis Parreiræ bravæ viribus, indigitatoque agendi modo ac explicata facultate, supereſt, ut qua medicamentorum forma, quo apparatu, qua dosi, commode exhibeatur, aliisque aggregetur medicamentis, nunc exhibeamus. Modum, quo in Brasiliâ Lusitaniâque ægris porrigunt, Dn. Helvetius, *dans la Traité des Maladies les plus frequentes, & des remedes specifiques pour les guerir &c.* p. 96. sistit sequentibus verbis: *La maniere de s'en servir dans le Bresil & en Portugal, est de faire bouillir une once de cette racine batue & effilée, avec un gros de Sel Ammoniac dans une Pinte d'eau. Lors qu'elle a fait cinq ou six bouillons, on la retire du feu, & on la laisse infuser jusqu'a ce qu'elle soit froide. On passe la liqueur, & le malade en boit ensuite un verre de quatre heures en quatre heures: on en peut donner aussi en substance:* h. e. *Modus, quo hoc remedio in Brasilia Lusitaniaque utuntur, hic est. Radicis Parreiræ contusæ unciam unam, cum Sale Armon. drachma in mensura aquæ decoquunt, cum aliquoties ebullierit, ab igne removent, & ulteriori extractioni, frigorique exponunt. Bibat de hoc filtrato liquore haustum, singulis quatuor horis repetendo. In substantia quoque exhibetur radix.* Subjungimus Helvetio Cl. Pisonem de Facult. simpl. Libr. IV. c. 54 p. 95. Edit. I. *Radix in taleolas secta, perque aliquot dies sub dio in liquido convenienti macerata, vim suam illi communicat, nec ingrato adeo sapore aut cerevisiam, aut vinum, quo diluitur, imbuit, quin potus ordinarii loco ægri illo utuntur, quod renum, urete-*

ureterum & vesicæ obstructionibus medeatur. Usque adeo calculi expellit materiem, ut Magnates Lusitani aliud nullum medicamentum huic prætulerint.

Cum hodie omnibus ferè θερμοποσία familiaris, plurimique in Thee illo Sienensi & delicias & sanitatem venentur, tædiosaque fastidiant decocta, hanc radicem Parreiram, foliis Acmellæ maritatam, vel speciebus decocti Nephritici Foresti a Zwelfero correctis immixtam, summo exhibui emolumento; nec facti fere pœnituit unquam, cum inexpugnabiles calculi dolores, evacuatis aliquot Thee hujus specifici calicibus, domitos sæpe viderim. Ratio in promtu; quippe particularum motum exagitans calor mediante aqua, devicta ejus cruditate, non tantum vires specierum, quibus superinfusa mobiliores adque extractionem aptiores arripit sibique associat, sed etiam corporis humoribus immixtas, lege circulationis ad obstructiones defert, calore blando eo facilius feliciusque referat, viscidum resolvit, acrimoniam temperat, & per vias debitas eliminat. Velim tamen in delectu *Acmellæ* vel *Chrysanthemi Bidentis, sive Bidentis Zeilanici fl. luteo lamii folio*, (cujus figuram elegantissimamque descriptionem & vires Cl. Dn. *Breynius* in *dissert. Botanico-Medica de Radice Gin-Sem & Acmella* exhibet) caute quis se gerat, cum & pretio & viribus nimium differant.

Cum dolores calculi sæpius adstrictam alvum comitem habeant, decantatissimum illud *linum Cathardicum*, quod nunc curiosorum practicorum animos allicit, huic radici admixtum, & instar Thee specifici, infusi æmuli exhibitum, indicationibus satisfacit omnibus.

Quod *linum illud Cathardicum* concernit, ὡς ἐν παροδῳ vocatur ab Anglis Millemountain, teste Meretto in Pinace, & videtur esse Chamælinum Clusii, vel linum pumilum Bauhini; & parvitate sua floribus albis exiguis, vasculis lini caniculatis, & vi cathartica abunde ab aliis linis distinguitur sec Excell. Rajum in Synopf. method. Stirp. Britann. p. 221. & Sam. Dale Supplem. Pharmacolog p. 211. seqq. & Chabræum, qui sub nomi-

nelini minimi floſculis albis, ſive Alſines vernæ glabræ deſcribit: Sirp. Sciagraph. p. m. 480.

Quod ſi ventriculus aquam ſimplicem abhorreat, cereviſiæ incoquatur, vel ſola vel cum *ſemine Dauci*, quod remedii genus admodum proficuum erit. Quod ſi cum *ſucco Betulæ* combinentur, & in cereviſia fermententur, medicamentum exurget inde, quo in calculo debellando vix melius ullum. Vid. de Cereviſia leptomera ceu optimo calculi prophylactico Illuſtr. *Charlton.* diatrib. de Lithiaſ p. m. 176.

Exhibetur quoque Radix Parreira *in ſubſtantia*, ut loqui amant ἰκτερῶν παῖδες, in *pulvere ſubtiliſſimo*, de quo Dn. Helvetius l. c. *On en peut donnes auſſi en ſubſtance. La doſe eſt d' un demie gros & de quinze grains de ſel Ammoniac, qu'on reitere de quatres heures en quatres heures, juſqu' a ce qu'on ſoit ſoulagé.* „ h. e. Etiam in ſubſtantia ægris exhibetur ad drachmam ſemis „ cum quindecim Salis Ammoniaci granis, quod repetitis vi- „ cibus poſt 4. horarum ſpatium, usque dum æger levamen „ ſentit, fieri ſolet.

Certè crebriori uſu edoctus, *Parreira brava* hoc cum *cortice Chinæ Chinæ*, *ligno Quajaco* aliisque plurimis vegetabilibus commune habet, ut in ſimplici *pulvere* vel in *Infuſo* & Thee ſpecifico exhibita felicius operetur, quam ſpiritus acidulus ac oleum empyrevmaticum deſtillatione prodiens, Eſſentia cum ſpiritu appropriato alioque menſtruo apto parata, aliaque ex cortice Chinæ Chinæ & Quajaco parata remedia, quod clare innuit, in textura ſpecifica medicamentoſam vim harum ſimplicium conſiſtere. Vid. Excell. Lipſienſium Æſculapius ὁ πάνυ *Bohnius in aurea diſſert. de Medicamentorum Chymicorum & Galenicorum præpollentia dubia.* §. LXIV. p. 56. *Dn. Pomet l' Hiſtoire generale des Drogues Livres* 2. Chap. XIV. p. 69. *Pulverem parreiræ* in vino exhibet, mane ventriculo vacuo. Loco Salis Armon. quod Dn. Helvetius ſtimuli loco addit, in nonnullis caſibus *Sal amarum cathartícum Ebshamenſe* ex voto ſubſtituitur, de quo prolixe egit *Clariſſ. Dn. Nehem. Grew in peculiari*

de

de hoc Sale amaro cathartico Tract. Londin. 1685. *impresso* & Dn. Helvetius in libr. sæpius citat. Traite des Maladies p. 80. Si conjecturæ experimentisque locus, an non ex Aquis lacus Ceicensis in Moravia tanto infectis amarore, quantus in gentiana & felle animalium vix repertu datur, sal hoc æmulum sali Angliæ Ebshamensi parari possit, curiosis regionis istius indagandum relinquo. Adeo enim nitro scatet, ut ex ℔ vj. hujus aquæ aliquot Nitri uncias extraxerit *diligentissimus Jordanus in descript. Aqu. medicat. Moraviæ.* Meminit & hujus aquæ summe amaricantis *Excell. Hertodt in Tartaromastig. Morav.* Quod si *Tartarum nitratum* Parreiræ nostræ admiscueris, vix ulli pharmaco antinephritico palmam cedet. *Millepedes* quoque Parreiræ nostræ sociantur felici successu, quippe urinæ suppressiones aliquoties incantamenti instar hoc remedio sustuli; sed porrigendum in optato illo momento, quo natura se solvere gestit, qua obluctante & renitente κενεὰ πάντα.

Optime Parreiræ nostræ durantibus spasmodicis illis tensionibus dolorificis cinnabarina junguntur, ceu tutissima anodina; ab *opiatis* enim cavendum in leniendis doloribus Nephriticis & arthriticis, cum sæpius his in casibus narcotica vis opii in necroticam degeneret; quod Excell. Stahlius, judiciosissimus cautelarum practicarum promus condus, annotavit, intra exiguum temporis spatium sex hoc malo laborantes ab opiatorum usu paucis horis aut diebus periisse. *Certe opiata sic exhibentes faciunt ægrotanti, quod eunuchi Artaxerxis faciebant Hamani. Cujus quidem faciem tegebant tanquam subtracturi oculis Iræ Regis; interim & Regem verbis inflammabant, & Hamanem mentione patibuli Mardochæo erecti, in sublime perniciter agebant.* Ester. 7. v. 8. 9. 10. ceu festive scribit Leydensis gloria Pindi.

Spiritus ex radice Parreira destillatus aliquoties exhibitus sudorem potius movit, quam urinam; sed mirari desii, reflectendo, quod diaphoretica modaliter à diureticis differant; quippe à diaphoreticis M. S. movetur vehementius, & à centro ad peri-

peripheriam corporis largiori in quantitate pellitur; à diureticis vero non æque, quæ potius blande movendo sanguinem, ad interiores partes, & consequenter etiam ad renes propellunt. Hinc diaphoreticis sæpius exhibitis & sero jam imminuto, diuretica non conveniunt.

De Sale volatili & fixo jam in examine Chymico dictum, quod si illud Sal volatile anxie quoque desideres, obtinebis vel *methodo Excellentissimi Wedelii*, communis Germaniæ in studio medico Præceptoris, vel *Helmontiana*, per longam olei fœtidi cum Sale fixo in blandissimo calore circulationem & subsequentem sublimationem. Ego radicem ipsam tamen huic per ignis violentiam extorto remedio, longè prætulerim: habebis hoc tamen modo, si exoptes.

Dn. Helvetius ex hac radice Balsamum conficit, ut eò melius in expeditionibus bellicis & suscipiendis itineribus secum vehi possit. En! Balsamum ipsissimis Auctoris verbis libr. cit. pag. 99. *Prenez de l' Huile de Scorpion composée, suivant Mathiole, une livre: la Baume de Copay vê cinq Onces: du Baume de Soulphre Therebentiné quatres onces: du Styrax liquides deux onces: de la Cire jaune six onces: de la Racine de Parrera brava en poudre subtile une demie livre: du sel Ammoniac deux onces: d' excellent vin d' Espagne deux livres. Faites bouillir le tout a petit feu, en le remuant toujours avec une spatule de bois jusqu' a l' evaporation entiere du vin; ensuite ôtez le tout du feu, & passez le Baume chaud â travers une etamine avec une forte expression; & quand il sera a demi refroidi, vous y ajouterez trois onces du baume de Perou noir, que vous mélerez bien avec la spatule. Lorsque tout sera froid, vous le mettrez dans un pot de Fayance bien bouché. La dose est d' un demi gros, & on peut retrancher la cire, si l' on veut. Balsamum Parreiræ Helvetii:* ℞. Ol. Scorpion. compos. Matthiol. ℔j. Bals. Copay b. ℥v. Sulph. Thereb. iv. Styrac. liq. ℥ij. Cer. flav. ℥vi. Rad. Parrer. brav. subtiliss. pulveris. ℔ß. Sal. Ammoniac. ℥ij. Vin. Hispan. optim. ℔ij. lento igne omnia coquito, lignea spatula semper agitando, ad

tota-

totalem Vini Hiſpanici evaporationem usque. Hoc facto ab igne removeto, per textum cilicinum expreſſione forti facta Balſamum trajicito; cum aliquantulum deferbuerit, addito Balſ. Peruv. nigr. ʒiii; ſpatulâ ligneâ probe miſcendo & agitando. Cum omnia frigore condenſata, vaſi fictili Faventino, probe obturato, immittito. Doſis hujus Balſami drachmæ pondus erit. Cera, ſi placuerit, omitti poteſt.

Vires hujus Balſami ferme hyperbolicæ; in hydrope naſcente illud quoque commendat Helvetius ob diureticam vim, præmiſſis tamen univerſalibus; quo facto doſis Balſami exhibetur, & ſingulis 4. horis repetitur, involvendo cruſtulæ ſaccharatæ, ut deglutiantur promtius. Aſſumpto hoc pharmaco, hauſtus vini albi, vel ptiſanæ aperientis ſtatim exhibendus. Quatuor diebus remedii hujus uſus continuandus, quinto æger pulvere febrili purgandus; die poſt aſſumtum purgans, & quatuor diebus ſequentibus Balſamum iterum exhibetur. Quodſi durante & continuato Balſami hujus uſu nil æger levaminis ſentiat, nec urina profluat largior, ab ulteriori uſu abſtinendum, indeque concludendum, malum vel difficulter vel planè non tolli poſſe. Hæc de Balſamo ſuo Helvetius; qui inſuper addit, hoc pharmacum eandem in averruncandis calculi malis exſerere vim ſpecificam, ac China Chinæ in febribus, Ipecacuanha in dyſenteria, & Alumen in Hæmoptyſi.

Paravimus quoque ex hac Radice, more hactenus recepto *Eſſentiam duplicem* pro varietate cauſæ morbificæ; & quidem in cauſa vulgo frigida dicta, ubi malum ab acido viſcido utplurimum proficiſcitur, cum Spir. Tartar. verè volatili extrahitur haud certè contemnendi uſus, cujus doſis à gutt. 20 ad drachmam ſemis in Thee ſpecifico, vel aqua ad calculum è nucleis, alioque vehiculo. Eſſentia quoque confieri poſſet in eodem caſu cum Spir. Acmellæ ex India allato, qui paſſim in officinis proſtat; non tamen ſponſor extiterim ulli, acmellæ folia cum ſilice maſticata, eundem emollire, præſertim cum ſæpius jam laudati Cl. Breynii expectationem circa hoc experimentum eventus eluſerit. Hæc autem erit *Eſſentia Parreiræ bravæ tartariſata* vola-

tilis: ℞. Raſ. Rad Parreir. brav. ʒß. ſpir. tart. ſal. volat. imprægn. ʒjv. f. l. a. digeſtio & filtretur. Etiam *Eſſentiæ compoſita* ſequenti modo parari poterit. ℞. Raſ. Rad. Parreir. brav. ʒß. G. Lign. Quajac. ʒß. Tinct. Tart. compoſ. ʒiv. f. ſ. a. digeſtio & filtr. add. ol. lign. Saſſaf. deſtill. gutt. viij. M. Cum autem diuretica, calida præſertim, calidis & ſiccis affectibus laborantibus minime conveniant, hinc eſſentiam Parreiræ bravæ præparare juſſi, cum menſtruo meo nitroſo caſtoriſato, divino certe medicamine; conducet quippe hæc eſſentia melius biliosis:

Nam calidi plus eſt illis, quibus acria corda
Iracundaque mens facile effervesçit in iram,

ſecundum *Lucretium*. *Eſſent. Parreir. brav. Nitr.* ℞. Raſ. Rad. Parreir brav. ʒß. Spir. Nitr. dulc. Caſtoriſ. ʒiv. f. ſ. a. digeſt. & filtr.

Quod ſi quis *Extractum Parreiræ* deſideret, illud quoque obtinere poterit, modo Cl. Friendium in Prælect. Chemicis non conſulat; ex hujus enim mente & hypotheſi, tanquam rigidi nimis Cenſoris: *Extracta ob partes ſubtiliores avolantes & in abſtractione diſſipatas ad medicos uſus nil conferunt. Si vero quis partium craſſorum & magis inertium delectum facere velit, eas nulla alia apparatus ratio æque feliciter ſuppeditat. Ita ut ea, quæ à Chymicis tantopere venditantur Extracta, ſi vires medicas ſpectes, non tam pharmaci loco, quam vehiculi, ſi ita loqui liceat, habenda ſint* Hæc Friendiana ſi non tangant quempiam, & extractum ex Parreira brava obnixe petat, en compoſitum & ſimplex. *Extr. Parreir. brav. reſinoſum.* ℞. Rad. Parreir. brav. ʒij. extrah. c Spir. Vini Auſtriac. rectificatiſſ. ʒxij. Tinct. abſtrahatur ſ. a. ad conſiſtentiam Extr. reſinoſi D. ad uſum. Spir. abſtractus ſignetur Spir Vin. Parreir. brav. Reſiduum radicis coqu. in aqua fontan. clarificetur & inſpiſſetur ad conſiſt. extr. aquoſ. pro pilulis & potionibus. Ex Spir. Vin. Parreir. brav. & extr. ejusd. radicis parari poterit ſequens Eſſentia compoſita Parreir. ℞. Extr. rad Parr. brav. Myrrh. balſam. noſtr. an. ʒj. Spir. Vin. Parr. brav. ʒiv. f. ſolutio. D. ad uſum.

Doſis radicis noſtræ, uti jam ſupra annotatum, ad pondus drachmæ dimidiæ, ſcrupulorum duorum, imo drachmæ unius, ſi ſola

CIPO DE COBRAS
ERVA DE NOSSA SENHORA

ſi ſola nullo admixto ſtimulo in pulvere ſubtiliſſimo exhibeatur. Exacte enim definiri doſis nequit, cum natura à natura, regio à regione differat. Satius eſt peccare in defectu quam exceſſu.

Et hoc quoque circa uſum Parreiræ noſtræ monendum duxi, quod de Diureticorum abuſu notavit gloria Germanorum Practicorum Beatus *Ettmullerus* noſter; ubi nempe ad tempus„ fruſtra adhibita fuerint medicamenta, ſubſiſtatur, & feriæ quaſi„ permittantur naturæ, ne illo uſu nimio, plus quam par eſt, ad„ renes moveantur cruditates, quod obſervatione Epiphanii Fer-„ dinandi illuſtrat.„ Non poſſum continere calamum, quin colophonem addendo verbis acutiſſimi Antonidæ de Sapient. Med. §. 25. finiam: Sæpe nulla res magis adjuvat laborantem, quam„ tempeſtiva abſtinentia, non jam dico à cibo, ſed medicina. Au-„ diant, qui intereſſe honoris ſui arbitrantur, ne qua viſitatio„ tranſeat ſine Recipe. Aliquando ſola dies & quies ut graves„ morbos ſanant, ſic magnos motus ſedant. In alimentis varie-„ tas delectat, in medicamentis paucitas. Sicuti in Ethicis idem„ vagus & vanus eſt, ita in medicis *præſcriptor immodicus ſit pro-„ ſcriptor exitioſus.*

Uſus Plantæ Caapebæ & Radicis Noſſa Senhoræ.

HActenus Parreiram bravam examini ſubjecimus: reſtat, ut paucis Caapebæ Plantæ ejusque foliorum uſum, radicisque, noſſa Senhora dictæ ſpecificam contra morſus ſerpentum vim admirandamque efficaciam ſiſtamus.

Omnes equidem plantæ partes in id amicè conſpirare videntur, ut deleterium â ſerpentibus aliisque veneno nocentibus rebus, corpori ingeſtum virus abigendo, priſtinam reſtituant ſanitatem: mutuemur in hanc alexiteriam plantæ hujus vim verſus illos, quos nitidiſſimus Poëtarum Anglorum Coulejus fudit:

Quid quod ſerpentum furialia pello venena,
Et mea ſerpentes dia venena necant.
Illos ſubtili ferit arcanâque ſagitta,
Et perimit cœco vulnere triſtis odor.
Sic Pater arcitenens! victum Pythona fuiſſe
Arbitror, & ſuccis illita tela meis.

Folia Caapebæ Marggravius Hiſtor. Plantar. Lib. I. c. 13. p m. 26. memorat, ſingulare eſſe remedium contra morſus venenatorum animalium, ut ſerpentum, tam in hominibus quam brutis; ſi morſui paulum contuſa imponantur; curantur enim morſus ſine ullo alio medicamento. *Succum foliorum Caapebæ* & Cajatiæ in morſu venenatiſſimo anguis Ibobocæ, à Luſitanis Cobra de Corais dictæ, laudat Piſo de Venen. eorumque antidotis L. 3. p. 43. edit. 1. nam edit. 2. p. 278. vocatur Anguis Cobra de Coral. Sanatur, inquit, morſus emplaſtro è capite ſerpentis concinnato, & efficaciter appoſito. Pulvis plantæ Nhambi & ſuccus foliorum Caapebæ & Cajatiæ vulneri inſtillatus extrahit virus. Binæ hæ plantæ *Cajatiæ & Caapebæ*, in eundem ſcopum alexiterium collineant, eodemque inſigniuntur nomine, nempe *Erva des Cobras*, licet diverſiſſimæ ſint. Caapeba enim planta ſcanſilis, Cajatia vero ſive Caacica humi depreſſa repens plantula, lacteſcens inſtar Eſulæ, foliis Menthæ non diſſimilibus, caulículis ad rubedinem vergentibus, radicibus miniatis, ex Piſonis deſcriptione de Facult. ſimplic. l. 4. p. 102. Cum igitur nomen hoc Erva de Cobras binas complectatur plantas, neſcio, quam inter vulneraria nominet mox laudatus Piſo de Medic. Braſil. Lib. 2. c. 20. de Vulner. & Ulcerib. Abutuntur tamen & pulv. *Herbæ Caapeba* & Nhambi ſceleratiſſimi homunciones in Braſilia, dum ex ſucco jam venenato Manipueræ ſtudio aſſervato, ad totalem putredinem usque altiorem corruptionis & toxici gradum, ex vermiculis inde pronaſcentibus, (qui Taparu ipſis dicuntur) quærunt, iisque in pulverem redactis, hominibus pro lubitu inſidiantur, ita, ut exiguâ licet quantitate, vitam citiſſime & certiſſime adimat, ſi ſimplex adhibeatur; ſin vero compoſitum & viribus imminutis (quod potiſſimum pulvere herbæ Caapebæ & Nhambi fieri ſolet) longo poſt tempore, ne nefanda ſcelera in publicum prodeant, miſere & lenta tabe interimat Vid Piſon. Hiſt. Nat. & Med. Braſil. Lib. V. p. 305. Edit II. & Edit I. Lib 3. de Venen. p 48.

Nunc *radicem Caapebæ* in medium producimus, *Raiz de noſſa Senhora*, ſive radicem Dominæ, ſive ſanctiſſimæ Deiparæ Virgi-

Virginis Mariæ dictam. Ubi tamen ante omnia monendum, *Erva de nossa Senhora*, & *Erva de Santa Maria*, licet unum idemque significent, differre tamen nimium, cum sub nomine *Erva de Santa Maria*, serpentaria major, sive dracunculus major polyphyllos designetur. Efficaciam radicis de nossa Senhora optime ex Pisone discimus, qui scribit: *Radix nossa Senhora sive primo natæ frondes & sarmenta morsibus serpentum medentur, si semel atque iterum eorum succus recenter expressus indiscreta quantitate propinatur, atque simul extus applicetur. Nulla interim subsequente manifesta evacuatione, neque per vomitum, neque per sudorem, neque per aliam aliquam viam, quantum assequi potui. Licet autem ab anguium aliorumque reptilium & insectorum venenatorum ictibus & morsibus tantum curandis videatur benè audire hujus convolvuli & radicis succus, qui amaro sapore caloris prædominium præ se fert, quoad manifestas qualitates; venenis tamen frigidis contrariari comperi.* Edit. 2. p. 312.

In specie Cl. Piso *radicem Caapebæ* commendat in *morsu serpentis Ibicacoa* admodum venenoso, & pessima symptomata inferente, haud secus quam Cucurucu; quippe sanguis quantocius à morsu, ex auribus, naribus & oculis profluit, & nisi statim subventum fuerit, moritur vulneratus. Quod si virus nondum ad cor penetraverit, carne ipsius anguis cocta cum radice Jurapeba, Jubarandi, Malva Isca, Caapeba, Capybuba, additis summitatibus Nhambi, ex vino internè exhibitis restituantur. Addatur externum remedium ex capite ipsius feræ contuso, & cum Erva de Cobras aliisque præparatum.

Eandem quoque efficaciam in *morsu Anguium Tareyboja & Cacaboja* de se promit, teste eod Pisone l. c. qui & hoc addit: *In succo Mandihoca Manipuera* dicto (qui si crudus assumatur, adeo venenosus est, ut statim enecet, coctus vero nutritivus evadit) miram sanandi vim aliis radicibus & herbis junctam Caapebam exhibere, quod & de fructus *Ananas* succo largiter & crebrius hausto expectandum, *de quo deliciossimo fructu, gustus suavitate omnibus supereminente, inque domestico horto Cl. Volkameri, mellitissimi Amicorum lætè crescente & luxuriante,*

ejusque ſpeciebus, anatome, viribus & efficacia plura cum Deo & die dabimus.

Dubius hæreo, an non *Raiz de Juan Lopez Pigneira* (forte Parreira) ſit una eademque, ac *Raiz de noſſa Senhora*, cujus Plinius Tuſcus *Excell. Fr. Redi in Experim. circa res naturales ex India allatas meminit*, ſeq. verbis: *Radix eſt coloris citrini & guſtu amara, hanc ſuper lapide aquâ tritam, & unius dimidiæ drachmæ pondere aſſumptam, nec non morſibus vel puncturis animalium venenoſorum applicatam, certo à venenis & febribus liberare volunt.*

Circa Parreiræ uſum medicum Obſervationes.

REſtat adhuc, ut felices, quos fidiſſima rerum magiſtra experientia in Praxi clinica circa Parreiræ bravæ uſum, ſuppeditavit ſucceſſus, memorem, inque medium producam. Tantas equidem, ut ingenuè fatear, quantas Dn. Helvetius in hanc radicem contulit laudes, & vim illam in omnibus renum & veſicæ calculi incommodis tollendis, ſic dictam ſpecificam, cort. Chin. Chin. in febribus, & aluminis in hæmoptyſi æmulam, indiſtinctè deprehendere non potui, cum ſæpiſſime ſpes in ea poſita, ceu ab optimis remediis ſæpius fieri conſuevit, deſtituerit, & promiſſa Helvetiana deluſerit. Huc certè optimè collineant, quæ Excell. Dn. Stahlius, feliciſſimus ad Praxin medicam Daduchus, de ſpecificis his remediis tradidit; nempe ſpecifica plane ad ſpecialiſſimas affectuum & ſingulares circumſtantias dirigenda & applicanda eſſe Infringitur quippe ſæpe ſpecificorum remediorum vis & efficacia, cum morbo jam altius exardeſcente exhibentur, cui tempeſtiva exhibitione præoccupando ſatisfacere potuiſſent. E contrario quando morbi impetus jam maximam partem deferbuit, ibi præſtat frequentiſſimè ſpecifici hujus remedii tempeſtivus uſus utilitatem maximam, ut affectus non ſolum tanto citius finiatur, ſed etiam tanto certius, plenius atque ſolidius in univerſum tollatur.

His præſuppoſitis, aliquoties egregiam Parreira brava, aliis irritis, tulit opem, in cauſa nempe & caſu appropriato. Exhibui autem

autem sæpius solam in pulverem redactam ad drachmam semis, imo ad drachmæ quoque pondus, idque repetitis vicibus, ne quis erroris παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον, sive fallaciæ non causæ ut causæ, uti in Scholis loqui amant, reum me declarare queat.

De ejus tandem efficacia convictus, aliis diureticis, aperientibus & abstergentibus immixtam, eo propinavi successu exoptato, quem ex plurimis observationibus aliquot selectiores exhibent, ne multitudo Lectori tædium pariat.

OBSERVATIO I.

PUerpera 32. annorum biliosa, aliquot liberorum mater, ultimis ferè puerperii, sic satis feliciter hucusque peracti, diebus æstu obruitur vix tolerando, sitis ingruit intensissima, vomitus accedunt ingestorum omnium, alimentorum, potulentorum, medicamentorum. Vocatus ægram, vix ac ne vix quidem sibi constantem reperio. Scintillant febrili calore truces oculi, sicca & exsucca lingua, fauces aridissimæ, ex imo hausta suspiria, dicam *Sophoclis in Trachinis* v. 783. verbis:

Καὶ διώδυνος
Σπαραγμὸς αὐτῶν πνευμόνων ἀνθήψατο.
ac per dolens
Ejus prehendit cruciatus pulmones.

Flatuum incarceratorum murmura & borborygmi huic sese malo associant, dumque in renum irruunt regionem, molestissimi hospites, cumulando symptomata ægræ salutem dubiam reddunt, & quartum renum morbum producunt, de quo divus Cous noster L. de Aff. int. t. xviii. Cum alvus quoque aliquot jam diebus officio non responderit, omnibus sepositis clysma injiciendum suadeo, dum vomituriens stomachus reliqua recusaret remedia. Clysmate injecto mox omnia in abdomine pacatiora, στρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι evanescunt, &

Sedatur torti tempestas turbida ventris,
Postico iratus murmure flatus abit.

Succedit fæcum mephitim olentium copia, muci viscidi vitrea quasi congeries: cessat mox æstus, & exhibitis remediis debitis, siti orisque & faucium siccitati obviam itur. Placido hinc

immer-

immerſa ſomno poſt bihorium expergefacta & ſibi quaſi reddita, de doloribus in lumbis adhuc nidulantibus lancinantibusque conqueritur, & ſic triſte illud ſymptomatum choragium in calculum deſinit Uſum continuatum decocti Nephritici à Zwôlfero correcti ſuadeo, imo urgeo, & pulverem meum contra calculum ad ungo, urinâ calculi præſagâ. Ingruit magis magisque dolor, recrudeſcit malum, nec decocto, nec pulveri, nec inunctionibus, nec clyſmati rurſus injecto cedens. Irritis igitur omnibus, radix Parreira brava prima vice mercur. cinnab. juncta & ſociata, dolores mitigat, tertia vice ſola ſumpta plane aufert, excreto poſt aliquot dies, cum ſanguinis grumis, calculo ovum fere columbinum adæquante, ſine doloris notabili ſenſu, quod ob meatus brevitatem, humidique inibi copiam, dum latiora & expeditiora ſunt, in fœminis potius quam viris quandoque fieri ſolet.

OBSERVATIO II.

Juvenis vigeſimo ætatis anno conqueritur jam per aliquot menſes de obtuſiori & gravativo ſenſu doloris, lumbis in regione renum incubantis, nullo tamen tumore foris conſpicuo; quem corporis motus concitatiores & violentiores nimiùm exacerbant: fit ſucceſſu temporis dolor acutior, unâ eâdemque ſede defixus, per nervorum conſenſum teſtem quoque in doloris conſortium rapiens, adeoque retrahens, ut in ſcroto vix apparuerit; dorſi quoque difficillima inflexio. Urina longo tempore prodierat limpida, tenuis, inque exigua quantitate, dolore vero ingraveſcente exibat copioſa ſatis, arenulis cruoreque immixto. Licet hæc ſatis diſtincte in renibus latitantem deregerent hoſtem, addidit tamen pondus conjecturæ, decubitus in ægram partem ſemper dolorem demulcens, in adverſam vero exaſperans. Vacuandis è renibus heterogeneis intentus, & diureticis mitioribus, (quibus Parreira noſtra ſemper comes erat,) exhibitis, ſeptimeſtrem tandem, magnum & moleſtum hoſpitem, hoſpitio ſuo abſcondito extruſit medicamentorum efficacia, inque veſicam deturbavit. Hic exitum quærens, collum veſicæ occludendo urinæ liberum intercepit tranſitum. Omnibus viribus eò con-

contendi, ut quantocyus ex hoc quoque latibulo ejiceretur hostis, emollientibus, pinguibus, viasque lubricantibus porrectis, blandioribus lithontripticis pariter immixtis; sed sine levamine & evidenti emolumento, cum urinæ vix tantum excreverit, quantum cochlear capere potis est. Tandem infuso Acmellæ exhibito, largior quidem profluere cœpit, mox calculo, in aquæductu foras à collo vesicæ protenso, urethram vocant, pertinaciter hærente. Tandem infusum Parreiræ bravæ rumpit claustra,

--- molemque liquore resolvit
Caucaseam, impulsu dissilit illa suo;
Obstructumque diu prono ruit impete flumen,
Et secum adversæ fragmina rupis agit.

OBSERVATIO III.

Cuidam renum quoque calculo laboranti, & tot jam remediis incassum assumptis, omnia lithontriptica renuenti & fastidienti, radicis Parreiræ bravæ præconia canto; cumque novarum rerum mens humana semper sit cupidissima, me tandem accedit, hocce pharmacum enixè efflagitans. Sumsit absq; evidenti levamine aliquot doses, tandem ruptis ex tenaci pituita & viscido lentore repagulis urinæ stagnantis, arenularum stupenda prodit caterva, superstite in urethra remora titillante, quæ tandem cum impetu profluit, & vermes sex exhibuit, millepedibus non dissimiles, si magnitudinem exceperis; alii dein his succedunt, materiæ, viscidæ, pultaceæ, ceu genitrici vel nido innatantes, tandem & doloris in renum regione & titillationis sensus in urethra cessavit; ægroto vires hujus remedii Americani ad cœlum usque extollente. Subiit animum medicorum regula, Anthelminticis semper dulcia esse admiscenda, ut illorum blanditiis inescati vermiculi promtius hauriant internecionem ipsis struens pharmacum; jam cum Parreira brava sit dulcamara, quis non illam in vermibus exhibeat? Vere Manilius canit:

Per varios casus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

OBSERVATIO IV.

VIR juvenis bilioſus & arthritidi vagæ ſæpius obnoxius, circa pubis regionem ponderis incuſat ſenſum, hoſtis inibi latentis feralem prodromum. Urinam fundit lacteam & turbidam, ſedimento mucoſo, viſcido, tenaci, gravidam, ut vix illam excernere poſſit, &, quod ſignum plane indubium hoſtis in inſidiis ſe occultantis, urina faciliusredditur corpore ſupinato, quam erecto. Sociat ſe his malis Priapiſmus ipſi moleſtiſſimus, ſymptoma calculoſis familiare, quippe affectus libidinoſi lumbis renibusque paſſim in ſcriptura ſacra adſcribuntur; feciſſe id ideo Spiritum Sanctum vir doctiſſimus in Phyſiologia opinatur, quia caleſcentibus lumbis caleſcunt renes; renibus calefactis affluit major ſanguinis copia cum ad ipſos, tum ad partes genitales, unde his turgentibus prurientibusque ſubnaſcuntur cogitationes, atque ſtimuli venerei. Succedit pertinax alvi obſtructio. In ædibus meis conſilium petenti, calculum veſicæ ſymptomatum omnium cauſam eſſe dictito, & auxiliares ſpondeo manus, utinam Θεῶν χεῖρας. Enemati aliquoties injecto, ſuccedunt ſcybala, urina quoque citius & absque moleſtia profluente. Sumit ſingulis diebus Thee ſpecificum ex ſpec decoct. Nephrit Foreſt. à Zwôlfer correct. Rad Parreir. brav. Herb. Acmell. ſem. Nymph. &c ſyrupo balſamico Conerdingii edulcoratum, cui infuſo inſtillat ſemper aliquot eſſentiæ Parreiræ bravæ Nitr. caſtoriſat. guttulas Excrevit hinc arenularum copiam, calculi comminuti fruſtulis immixtis, tandem quoque hæc medicamina

Lapidem aurum ſilicisque obſtacula rumpunt,
Vix penetret tales Hannibal ipſe vias.

Convaluit ſic æger, ſumens ſingulis hebdomadibus aliquoties & Eſſentiam & Infuſum.

OBSERVATIO V.

VIr annorum quinquaginta, qui Baccho & Veneri ſtrenuè litaverat, viribus exhauſtis, effœtis ſpiritibus & appetitu plane dejecto, œdematoſis pedibus per aliquot temporis ſpatium jam obnoxius, medicaſtri opem efflagitat, qui applicatione repellentium medicamentorum pedibus medendo id effecit, ut

ſuffu-

- - - - ſuffuſa venter ab unda,
Secernens miſeram proprio de viſcere pellem.

Hoc viſo exhorruit æger, & dum venienti occurrere morbo cupit, medicaſtrum rurſus accerſit, quæque mala infauſto medendi molimine patraverit, oſtendit. Aureos in ægro reſtituendo Stimulorum ſeges pollicetur montes, nullumque plane ſubeſſe periculum ſpondet; illud Mimnermi ſcomma in Medicos rationales blaterando, & ægro occinendo:

Οἷα δὴ φιλέουσιν οἱ ἰατροὶ λέγειν
τὰ φάυλα μείζω καὶ τὰ δεινὰ ὑπὲρ φόβον
πυργοῦντες αὐτὸς.

(Sicut Medici ſolent dicere leves affectus majores & graviores, quam timendum ſit, ut ſe ipſos extollant.) Utinam linguis pendeat crumenimulgum hoc medicaſtrorum genus, in opimam tantum Proſerpinæ meſſem procreatum? Exhibet trifurcifer, ſpiritum ſalis ad aquam intercutem ejiciendam, ventriculumque roborandum, ſed ſpes & ægrum & fumivendulum Thraſonem fefellit. Crevit quippe indulgens ſibi dirus hydrops, ventre utris in modum elato, parteque illa, qua virum ſe olim præbuerat, in triplum monſtroſe ſic ſatis inflata, aqua ſub cute ad candelæ lumen quaſi limpida ſuffuſa, accedit anhelatio, ut animam vix vertere, pulmonibusque ſpiritum reciprocare poſſit; ingruit intenſiſſima ſitis,

Dumque ſitim ſedare cupit, ſitis altera creſcit.

Succedunt anxietates circa præcordia, ut ipſi cum Plauti Cappadoce in Caſinâ exclamandum ſit:

- - - - Pro metu ubi ſim, neſcio,
Perii, cor lienoſum opinor habeo, jamdudum ſalit.
De labore pectus tundit. - - -
Radices cordis pereunt, Hiræ omnes dolent.

His anguſtiis exagitatus, per totum corpus ſudore diffluens, adeo debilitatur, ut prope anima linqui videretur. In deſperato hoc rerum ſtatu, & in orci faucibus ſic conſtituto ægro, (hæc enim peſſima apud noſtrates invaluit conſuetudo) de accerſendo legitimo naturæ miniſtro lectulo ægri adſtantes ineunt conſilium, &quo-

& quoniam nemini obtrudi poterat, tandem ad me itur. Vocatus omnium, quæ jam gesta fuerant, ignarus compareo, & tristissimâ rerum facie probe perspecta, pessima auguror, illud Senecæ recitando: Facilius esse excludere pernicioſa quam regere, & non admittere, quam admissa moderari; nam cum se in possessione posuerunt, potentiora rectore fiunt, nec recidi se minuive patiuntur. Ægri precibus tandem victus, opem & operam promitto, modo se obsequentem præberet, de ejus enim intemperantia fama increbuerat. Ut brevibus me expediam, optimi senis consilio fretus: ἐρητικοῖσι καθαίρειν, λεπτῦναι καὶ ἀναπλύναι; urinam cientibus purgare, attenuare & mollire oportet. Horum nihil omissum, hinc paucos intra dies exhibitis illis, quæ quotidiano usu & jugi experientia salutaria fore judicaram, primo mentula, successu temporis abdomen quoque detumescere cœpit, spirandi difficultate sive suspirio adhuc superstite; cui malo vinum scylla marina, millepedibus & vincetoxici radice imprægnatum, in solatium cessit. Sitis sola supererat non tam ex morbi pertinacia, quam ægri mala libidine dicam an consuetudine? originem trahens. Hucusque illum multa invitum & facere & pati coëgeram, dum vero sedandæ siti, me ad ravim usque reclamante & dissuadente, largius indulget, rursus

Lympha interius vitio glisçente turgescit.

Verissima sic deprehendi Celsi nostri, Ciceronis medici, verba: *Facilius hydrops in servis, quam in liberis tollitur, quia cum desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promtius his succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est.* Tam male in hunc ægrum collati officii pertæsus, auxiliares u'terius manus denegassem, ni lacrymas inter & suspiria datis promissis de meliori quam adhuc obsequio, & consanguineorum precibus, coactus & victus fuissem. Ne igitur in conclamatum inofficiosus viderer, iterum operi me accingo, nec tam feliciter, quam antea res cessit, incassum pluribus exhibitis, virium defectu medicamentorum exhibitorum vim elutis, dente. Deposuit alvus quidem muci viscidissimi spermatis ranarum non absimilis copiam, sed absque evidenti levamine,

urina

urina vix ac ne vix quidem prodeunte. Fruſtratus igitur medicamentorum alias probatiſſimorum efficacia, alia agitavi conſilia, & Eſſentiam Parreiræ bravæ cum ſpiritu Tartari Volatili paratam aliquoties exhibens,

hæc tulit præſentem numinis inſtar opem,

ejusque continuato uſu obtinui tandem, ut intra dici naturalis ſpatium, ultra ſex ſeri limpidiſſimi profluxerint menſuræ. Hinc moles aqualiculi imminui quotidie cœpit; ne autem identidem tumor rediret, ventremque nova colluvies rurſus ampliaret, juſſi, ut Eſſentiam Parreiræ bravæ repeteret, cui adjunxi Eſſentiam Abſynthii compoſitam, Zwœlferi extracto Trochiſcorum Alhandali, & *Elaterii ex conſilio Excell. Liſteri* imprægnatam; quorum medicamentorum frequentiori uſu, & aſſumpta aliquoties radice *Parreiræ in ſubſtantia ad drachmam ſemis*, promota ſeri per urinam & alvum excretione, brevi ex voto negotium confectum, mortique jam à pluribus adjudicatus æger, ereptus eſt. Confirmat hanc obſervationem effatum Clar. Piſonis Libr. 2 de Medicin. Braſilienſ. c 9. de Hydrope p. m. 26. Edit. I. *Non raro contigit, ut ſola radice diuretica Caapeba, ex vino vel aqua Paraybenſi ſubinde ægro propinata, latex intercus eductus fuerit.* Sic Medici ſæpius *Martiali* teſte:

- - - mitibus herbis
Parcarum exorant penſa, brevesque colos.

OBSERVATIO VI.

VIrgo ætatis anno decimo ſeptimo ardore ingenti corripitur poſticè in eo, quod ab extremis coſtis ad coxendicem extenditur ſpatio, dolore ad primam lumborum vertebram accedente gravativo, menſibus ſimul ceſſantibus. Ægræ mater fatidicam accerſens anum, triveneficam, hoc reſponſi fert, menſium interceptionem, mali eſſe fomitem; hinc emenagogis fortioribus, in quarum Claſſe quoque Oleum Sabinæ deſtillatum erat, exhibitis, malum in tantum auctum, ut ardor & dolor gravativus indies creverit, accedente ſæpius horrore febrique ſub noctem redeunte. Malo ſic indies ingraveſcente, reſpuunt triſcuria ulteriora maleferiatæ medicaſtræ mœſtiſſimi parentes, ſa-

niora experentes consilia. Vocatus, Phlegmonem renum subesse & hecticæ febri proximam judicavi virginem: hinc calidissima illa medicamina emenagoga devotando, febrili calori expugnando intentus, id effeci, ut febris quidem remitteret, superstite tamen ardore & dolore in lumbis gravativo, licet absque insigni molestia. Averruncandis his quoque malis aptissimum credidi remedium *infusum Parreiræ bravæ*, Balsamosaccharo Cobybæ imprægnatum. Nec spem felix destituit successus, cum continuato infusi hujus usu & ardor & gravativus dolor fuerit extinctus.

OBSERVATIO VII.

NObilis Fœmina ætatis & constitutionis vegetæ, mensibus vix ac ne vix quidem fluentibus, post longiorem nauseam, & ab omnibus assumptis excitatam cardialgiam, ob humores crassos, viscidos, spiculis salinis acribus imprægnatos, in orificio ventriculi hærentes, fibillasque nerveas vellicantes, incidit tandem in Leucophlegmatiam. Roseus genarum color in pallidum vergit, livent labia, turgidula cutis ubique â pituita albescit, & ut *Plauti* verbis loquar in Menæchm.

- - - viridis exoritur color
Ex temporibus atque fronte, oculi herbei.

His malis se aliud associat malum: renales enim glandulæ, harumque canaliculi, â coagulo quodam viscido tenacique obstruuntur, hinc secundum Hippocratem ἧσσον μόλις προέρχεται ὑπὸ φλεγμασίης καὶ παχύτητος τε ὀυρέων, *Urina vix procedit ob ardorem aut crassitiem seri*; sine tumore tamen in pubis regione, sine dolore tensivo, quæ omnia Ischuriam vesicalem comitari solent; hinc de renali certior, quam gravativus in lumbis dolor magis magisque prodidit, anticachecticis & blandioribus emenagogis & diureticis, quæ quotidianus usus, magister rerum, his in morbis suppeditare solet, malo obviam itur. Nempe ex *Senecæ* consilio: *Medicus primo in morbis tentat non multum ex quotidiana consuetudine deflectere; si modus & ordo non proficit & frustra molliora cesserunt, dum dura videtur curatio nulla, cujus salutaris effectus.* Usitatis igitur medicaminibus irrito conatu exhibitis,

bitis, malo indies accrescente, pessimaque minitante, fortiora Lithontriptica ægræ exhibentur. Ex assumpta Tinctura nephritica Amelungi alias sæpius levamen senserat, hinc quoque iteratis nunc vicibus porrigitur, sine ulla tamen lotii secretione. Quinto jam die durantis suppressionis urinæ Tinctura nephritica D. D. Hiarnæ, spiritui Acmellæ maritata, movebat quidem, non tamen promovebat saburram, usque dum *radix Parreira brava ad drachmæ pondus* porrecta, fundendo materiam viscidam, glutinosam, renibus impactam, & per urinarias vias reseratas eliminando, hostem abegit; quippe

- - fluminea labitur ille fuga,
Et multos prono secum vehit agmina succos,
horrida quæ salsis monstra feruntur aquis.

& sic præcipuum morbi aufertur. Ut proficientibus his medicamentis instarent per aliquot tempus suadeo, cum nihil æque resurgentem sanitatem impediat, quam remediorum crebra mutatio. Detumuit cum debito urinæ profluvio, cutis, suppressione mensium superstite, quibus promovendis *Extractum meum Myrrhæ balsamicum, extr. Cort. Winteran.* mixtum, mira præstitit. Convaluit sic ex hoc morbo, per aliquot septimanarum spatium tempora satis commodè transigendo,

& paulatim roseum depinxit gratia vultum;

sed viruit ex insidiis novus hostis Febris maligna, cum exanthematibus & virium prostratione summa aliisque diris symptomatibus. Ab ægra vocatus tristia statim cano auguria, quippe ex Quintiliani effato; *gravius ægrotant ii, qui cum levati morbo videntur, in alium de integro inciderunt; viribus nempe ex priori morbo nimium exhaustis*, humoribusque quasi ex spirituum defectu vappescentibus. Omnia debellandæ malignitati porriguntur remedia, nullis parcitur sumptibus, sed vana conamina cum Parca non decrevit parcere; elusit enim vim medicaminum inclementia fati, hæc enim si ingruit, tunc teste *Euripide in Alcest.*

- - οὐδέ τι Φάρμακον
Θρήσσαις ἐν σάγμασι, τὰς

Ὀρφεία κατέγραψε
Γῆρυς. οὐδ' ὅσα φοῖβος
Ἀσκληπιάδαισιν παρέδωκε
φάρμακα πολυπόνοις
Ἀντιτεμὼν βροτοῖσι.

quæ Grotius elegantèr vertit:

Nil contra medicamina
Proſunt, quæ Rhodopæium
inſcripſit tabulis ſagax
Facundi manus Orphei.
Nil contra auxilii ferunt
Herbæ, quas docuit ſuum
Phœbi cura Machaonem,
Germanumque Machaonis,
Humanum miſerans genus.

OBSERVATIO VIII.

FOEmina triginta Annorum in cachexiam prona fluore albo defatigatur menſibus per anni dimidium jam ſuppreſſis. Varia à variis, antequam accerſitus fuiſſem, exhibita, vel paululum, vel planè nihil attulere ſolatii. Memor uxoris Boëthi, quam morbo hoc decumbentem laborantemque per blandiora diuretica feliciſſimus noſter reſtituit Pergamenus Libr. de Præcognit ad Poſthum. c. 8. *Eſſentiam quoque Parreiræ bravæ Tartariſatam & Pilulas ex Extracto Myrrhæ Balſamico noſtro & Extr. Cort. Winterani*, porrigo, quæ medicamenta acrimoniam demulcendo, corrigendo, incidendo, aperiendo, attenuando ſuſtulerunt album fluorem, & menſtruum reſtituerunt, haud diſpari cum Boëthi Uxore eventu, impari licet ſoſtro, quippe ob valetudinem Uxori redditam Boëthus Galeno quadringentos miſit aureos, ego tot obolos vix obtinui, nec deſideravi etiam; ad auctoritatem enim Medici confert, bona voluntate ad fideliter curandum ferri potius, quam obligari auctoramento ſervitutis. Imo ſatius eſt debendi reos habere Reges, quam avaritiæ de ſe ſuſpicionem præbere. Quin potius quam diffidendo de ſanatorum gratitudine amittat opinionem virtutis, malit fidendo decipi, & opis opumque jacturam facere. *Hinc Patroni Medicorum St. Coſmus & Damianus, ſancti*

ἀνάργυροι.

TANTUM.

IO. PAVL. WVRFBAINIVS. D.
HOM. PALAT. NOBIL. ACAD. LEOP. N. C.
CHEM. DIRECT. ET. COLL. MED. NOR.
PHYS. SEN.

MEMORIA
VVVRFBAINIANA,
Scripta
ab
E. R.

REm neque novitate inusitatam, neque indecoram justitia, neque pietate inofficiosam aut invidendam aggredior, dum Viri de re Medica excellenter meriti, illustris IOANNIS PAVLI VVVRFBAINII, Archiatri Caesarei et LEOPOLDINAE Academiae Naturae Curiosorum Ephemeridum Directoris splendidissimi, vitam bene actam et fata laudabilia posteris commendare allaboro. Ita enim veteres, sano rationis judicio suffragante, sapientissime censuerunt, defunctorum res bene laudabiliterque gestas posteritati commemorandas esse, tum ut debiti virtuti honores habeantur, tum ut posteri ad honestatis aemulationem accensi virtutis stadium pari contentione decurrant. Atque hoc tantum apud Romanos judicium valuit, ut plebs, iniquus alias ingenuitatis censor, fraudari sollemni honore supremum diem Appii alicujus nollet, et laudationem tam aequis auribus mortui audiret, quam vivi accusationem audierat. Adeoque nobis jure multo potiori incumbit, nobis, inquam, incumbit, qui inconditae vulgi turbae recte agendo et disciplinis emolliti eminere cupimus, ne laudatissimi Viri laudes et decora honeste parta, una cum corpore sepeliri patiamur. Quamvis enim ipsa jam virtus satis laudata nostro praeconio haud egeat: cum tamen tempus edax rerum omnia consumat, reique praestantissimae memoriam vetustate aboleat: (cui enim heroum suo saeculo invidendorum praeclara facinora hodie innotescerent, nisi literarum beneficio memoria eorundem ad nos esset transmissa;) beatis utique Viri summi Manibus hoc extremum nos debere officium rati sumus, ut pro virili parte breviter et sine fuco, quo virtus haud eget, enarrare instituremus, quae per omnem vitam glorioſa ὁ μακαρίτης egerit, quae laudabilia designarit. Tua igitur, Lector Benevole, aequitas a nobis concinnam verborum texturam lenocinantemve sententiarum pompam haud exspectabit: plane et aperte dicturi, annorum seriem secuti, cuncta paucis complectemur.

Patriam praeclaris ingeniis illustrari, et ab ea in haec vicissim multum splendoris derivari, apud omnes in confesso est. Magna ita-

itaque felicitatis pars reputanda, non in obſcuro Boeotiae angulo, ſed in luce Graeciae hominumque natum eſſe et educatum. A puero ſiquidem ingenia fingenda, et ad honeſtatem cultosque mores polienda. Atque hac VVVRFBAINIVM noſtrum beatitate jure merito gloriatum eſſe, conſtat, utpote qui d XIIII. Decembris Anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimi quinti in hanc lucem editus eſt Norimbergae, ſacerrimo Germaniae oculo, quae foecunda artium et ingeniorum praeſtantiſſimorum mater laudis noſtrae haud indiget, ab aliis et olim et nuper abunde laudata, ac fere ad caelum usque ſublata. Pro noſtro tamen, quo in eam ferimur, amore non poſſumus, quin perennitatem illi comprecemur, atque ut in ea diutius quam Athenis, nobiliſſimo Graeciae emporio, artes bonaeque literae, quolibet adamante firmiora rerumpublicarum fulcra, foveantur ac floreant, ex animo voveamus.

Indignum neque Eum ſeries inbonora parentum
obſcurum proavis, et priſcae lucis egentem
indocta de ſtirpe tulit.

Patre etenim editus eſt Viro nobili ampliſſimoque, IOANNE SIGISMVNDO, qui poſt quatuordecim annorum itinera ex India Orientali rediens, navi cuidam negotiatoriae mercator navicularius dari, et paulo poſt in patriam redux ob inſignem mercaturae faciundae peritiam judicibus, qui cambii negotia ibidem utiliter tractant, adjungi meruit. Avum Noſter coluit Virum ob exquiſitam et excellentem Iurium, Hiſtoriae, temporis, illuſtriſſimarumque originum cognitionem Viris principibus charum, nobiliſſimum, perſtrenuum, et conſultiſſimum LEONARDVM VVVRFBAINIVM, ICtum et Conſiliarium Noricum, ſcriptis multiplici eruditionis genere editis undiquaque celeberrimum. Matrem habuit natalium honeſtate virtutumque ornamentis lectiſſimam feminam, MARIAM, natam Puziam. Prima piiſſimis parentibus cura fuit, ut, qui ſacrum pro puſione amabiliſſimo foedus cum Supremo Numine ferirent, ſpectatae virtutis virum humaniſſimum, IOANNEM VVINTERVM, mercatorem praecipuum, ſponſorem exorarent. Filiolo recens nato in ſacrorum

crorum Christi communionem recepto, cum id agere vellent feliciſſimi parentes, ut digne homine, eoque ſacris Chriſtianis initiato, educarent, veraeque pietatis ſemine mentem tenellam imbuerent, e vivis, eheu! nimium mature uterque Parens ſublatus eſt; et prior quidem mater anno CIↃ IↃC LVIII; pater vero triennio poſt: ita ut nondum ſexennis provida cum paterna tum materna educatione et inſtitutione orbaretur. Parentum autem vices in ſe ſuſcepere Tutores atque Curatores fidiſſimi, nobiliſſimique, Ioannes Leonardus Linckius, Conſiliarius Noricus, muneris dignitate virtuteque graviſſimus; et Ioannes Conradus Bûtnerus, illuſtribus rerum provincialium Curatoribus Noricis a ſecretis expeditionibus. Praecipue vero indulgentiſſima matre uſus eſt Catharina, amita ſua, egregio pietatis exemplo, Machaonis Norimbergenſis dexterrimi, Ioannis Roetenbeccii, vidua, quae tanto eum amore proſecuta eſt, ut educationis taedium non tantum laboremque libenter ſuſciperet; ſed et ſeptuagenaria major moribunda VVVRFBAINIVM ſupellectilis librariae, a marito deſideratiſſimo ipſi relictae, haeredem ſcriberet: rata non alii certiſſimum hoc amoris pignus a ſe rectius deberi, quam illi, qui ſe inſigni praeter ceteros pietate et obſequio veneratus eſſet. Atque veneranda haec matrona uti nihil intermiſit eorum, quae corpori curando inſerviebant: ita conſilio laudatiſſimorum tutorum adjuta, multo majorem animi formandi rationem habebat. Neque immerito: Quanto enim hic illo praeſtantior; tanto majorem ſibi curam et culturam poſcit, ne incultus vitiorum ſentes proferat. Informationi igitur primum domeſticae, mox publicae doctorum fidiſſimorum, qui tum in Gymnaſio Egidiano florentiſſimo bonis juventutem literis imbuebant, traditus eſt. Cumque praeceptoribus Spieſio, Friſchio, Sensheimero, VVidmanno prorectori, et Heldio rectori per aliquot annos fidem et induſtriam probaſſet, artiumque elementa ab iisdem fideliter feliciterque edoctus eſſet; animus doctrinae gloriaeque avidus intra iſta ſubſiſtere non poterat: illa etiam noſſe cupiebat, quae utcunque olim ſibi profutura providebat; iſtorum rationibus neuti-

neutiquam ſubſcribens, qui, ut honoris apicem citius contingant, primaria tantum ſummeque neceſſaria diſciplinae capita uno veluti hauſtu exhaurire ſatagunt; reliqua omnia tanquam ſuperflua et inutilia miſeri contemnunt aut negligunt. Noſter vero exemplo magnorum virorum et Pythagorae potisſimum, quem puerum ad citharoedum, palaeſtritam, pictorem miſſum ſciebat, provocatus, artem ſcribendi, qua et ſe et alios multum deinde reficiebat, ab Ioanne Ludovico Fabro, feſtivi ingenii poëta eoque feliciſſimo addidicit. Addidicit Muſicam, dignum homine ingenuo oblectamentum: neque pingendi artem negligebat, cujus peritia ipſi per omnem aetatem vehementer profuit, ejusque ſtudium, quod in naturae hiſtoriam dignoſcendam poſuit, mirifice levavit, auxit. Ita bene excultum VVVRFBAINIVM ſuum e ſinu dimiſit amantiſſima amita, eumque ulterius poliendum commiſit excellentiſſimis doctoribus Altorfinis. Altorfinae Muſae dum mentionem injicimus, ingenti animus voluptate perfunditur, recordatus ornamentorum, quae in nos largiſſime contulit In nobis enim ultra bina luſtra fovendis atque ornandis tota fuit laudatiſſima haec ſtudiorum noſtrorum mater; id quod grata mente hic praedicare omnino debuimus. VVVRFBAINIVM vero noſtrum dux atque ſocius anno CIↃ IↃC LXXIII Altorfium comitatus eſt M. Daniel Guilielmus Mollerus, qui tunc ob ſacrorum profeſſionem ſolum verterat, et in almam Norimbergenſium urbem ſe tanquam in portum receperat. Hoſpitii jura contraxerunt cum acutiſſimo Philoſopho, Ioanne Paulo Felvvingero, eodem tantisper uſi, dum Mollero, (quem Sacri Palatii et Conſiſtorii Caeſarei Comitibus, itemque Academiae Naturae Curioſorum Collegis adſcriptum hoc ipſo menſe Februario A. 1712 beate defunctum lugemus,) Hiſtorias et Philoſophiam primam docendi provincia ab illuſtribus Academiae Altorfinae Curatoribus injungeretur, et is tori curarumque ſociam ſibi adſciſceret: ex quo tempore menſae communione cum fido ſuo Achate fruebatur. Ad ſtudiorum rationem quod attinet, eam ſemper tenuit Noſter, ut philoſophiam cum medicina conjungendam eſſe crederet In

quo Galeno, qui ſolida rerum divinarum humanarumq; notitia imbutus erat, recta monenti obtemperavit. Et certe quo jure has diſciplinas arctiſſime conjunctas ſeparabimus? Hippocratis auctoritate, quem primum id tentaſſe legimus? Diffiteri tamen ipſe Aſclepiadarum princeps nequit, Medicum Philoſophum aut deum eſſe, aut deo ſimilem. Diffiteri nequit Celſus, primo medendi ſcientiam, ſapientiae partem habitam, et morborum curationem et rerum naturae contemplationem ſub iisdem auctoribus natam eſſe. Neque τὸν μαναξίτην poenituit audiviſſe ſummum ſaeculi ſuperioris philoſophum, Ioannem Chriſtophorum Sturmium, quem Virum Germania, Anglia, Gallia, imo univerſa Europa naturae myſtam ſapientiſſimum, et Mathematicum praeſtantiſſimis aequiparandum, venerata eſt. Quantum in artes liberales et philoſophiae ſcientias addiſcendas ſtudium poſuerit, loquuntur diſputationes cum laude defenſae: altera Felvvingero praeſide *de Syllogiſmis Imperfectis*, quam Palaeſtrae rationis, ab ornatiſſimo hoc viro publicatae, inſertam legimus; altera Mollero moderante *de Salamandra*; quae poſtmodum a VVVRFBAINIO noſtro aucta, in tractatus integri molem excrevit. Praeterea vero ſcholas ſedulo frequentavit peritiſſimorum artis medendi magiſtrorum, virorum elogio noſtro majorum, Mauritii Hoffmanni, et Iacobi Pancratii Brunonis, per quos brevi tantum profecit, ut in publico eruditorum conſeſſu placita alia defendendo, alia oppugnando ediſſerere non vereretur. Anatomiae ſacra, corporumque internas partes et ſtructuram, ipſi detexit amici conjunctiſſimi, quem praematuro ſibi fato ereptum dolebat, L. Gregorii Horſtii Nep. dexteritas. Ignis in corpora ſolidiſſima vim atque efficaciam, variis experimentis comprobatam vidit a nobiliſſimo D. Ioanne Mauritio Hoffmanno, qui Sereniſſimis Principibus, Marchioni Onoldino, et Comiti Palatino Solisbacenſi hodie a Conſiliis et Archiater, LEOPOLDINAE item Academiae Naturae Curioſorum Adjunctus excellentiſſimus, tum in numerum medicinam docentium nondum erat cooptatus. Plantarum vires et notas explicantem audivit nunquam ſine honoris praefamine nominan-

nandum, Hoffmannum Mauritium seniorem: quo favente ex viridario Academico, in quod cunctas Florae delicias providam Iungermannorum et Hoffmannorum curam contulisse crederes, hortorum eruditionisque flores collegit. In id enim maxime ferebatur VVVRFBAINII animus, ut singulas naturae opes studiosius rimaretur, et quidquid ubique mirandum illa ostendit, admiraretur, ac, si pote, colligeret. Ceterum quo tanto faciliorem sibi ad honores academicos aditum strueret, dissertationem *de Medicamentis ex homine tam vivo quam mortuo* desumtis, domi accurate conscriptam, publice pro virili parte, auspicio D. Brunonis, a d. VIII Idus Novembr. A. CIↃ IↃC LXXVII applaudentibus patronis defendit. Accenderat Eum domesticum avi exemplum, qui aetatis annum secundum et vicesimum agens Doctoris in utroque Iure honores Basileae capessiverat, ut, cum mitra Doctoris Medici se tum videre ornatum nequiret, eandem tamen aetatem vivens in candidatorum album reciperetur, non turpe esse existimans, non assequi, dummodo sequaris Et certe non procul inde abfuit, quin æquo cursu contenderet. Mensium enim quatuor interjecto spatio, videlicet a. d. VIII Idus Martias An. CIↃ IↃC LXXVIII, postquam in examinibus consuetis rite steterat, denuo in publicum prodibat Noster, et dissertatione pro more suis auspiciis defensa *de Sparganosi seu de Tumore Mammarum ex lacte*, Licentiati titulo condecorabatur. Quo ornatus ab Altorfio in Belgium abiit, a Cl. Thoma Bartholino edoctus, ad Aesculapii nepotes hanc in primis curam spectare, ut ex regionibus dulcissima exsugantur, & a sapientibus illa mutuemur, quae et mores instruant, et utilis doctrinae cumulum augeant. Neque enim omnis fert omnia tellus; nec eosdem morbos morborumque remedia uni loco natura locavit. Salutatis proin Francofurto, Moguntia et Colonia, Noviomagum contendit, ubi tum in conventu excellentissimorum, quos universae Europae Principes summa cum auctoritate interesse voluerant, Legatorum de praecipua hac terrarum parte pacanda agebatur. Ibi non otiosus spectator sedit; sed, ubi maximorum virorum frequentia prudentiae Eum

exem-

exemplis augere poterat, ſapientiam, rem Medico Aeſculapii ſcipione et Mercurii caduceo magis ſalutarem, uberiorem acquiſivit. Non ludicris horas impendit, id quod juvenibus alias ſollemne eſſe, Bartholinus prudentisſimus, ſingulare Daniae ornamentum, conqueritur, non amoribus intempeſtivis, non compotationibus, non aleis, non ornatui: ſed amoenis philologorum et antiquariorum ſtudiis dedicavit, quibus ſe Medicus gratioſum et politum reddit. Igitur a Cl. Smetio, antiquitatis omnis promo condo, impetravit, ut pretioſae vetuſtatis conditorium, quod inſtructisſimum ſervabat, accuratius luſtrandum panderet. Amoenisſimum tum Cliviae florebat viridarium et arte daedalea maxime conſpicuum, et plantis, animantibus aliisque ex altero orbe huc translatis ſuperbiens. Ejus viſendi cupido incesſit VVVRFBAINIVM noſtrum: et felici auſpicio iter cum veteri amico, Abrahamo Erneſto, dynaſta hereditario in Oſterhauſen, Equite Miſnico, ingreſſum, Serenisſimus Mauritius Naſſovienſis, qui in Braſilia quondam ſumma cum poteſtate curaverat, ſubmisſisſime alloquendi honore dignatus eſt. Ita videlicet in interiora Principum quoque conclavia virtus ſe inſinuat! Hinc reliquas Belgii urbes, in quibus praecipuae Arnhemium, Trajectum ad Rhenum, Amſtelodamum, Dordracum, Roterodamum, itemque Brabantiae Antverpiam et Brüxellas, curioſo oculo luſtravit. Inde Selandiam, mox Flandriam petiit: denique Novo Portu ſolvens ſpatio unius diei in Angliam d. 26. Auguſti felicisſime trajecit. Londinum ingreſſus, cum gravisſima ilico febre corripiebatur, ita ut ſpes ſalutis nulla ſupereſſet. DEI tamen virtute et ſedula cura humanisſimi D. Kinghii, quem in Societate Anglicana illuſtrisſima locum obtinuiſſe comperimus, morbo liberatus, regiam Collegiorum, Bibliothecarum et Hortorum magnificentiam Oxoniae, et ſi qua praeterea Tempe florebant illuſtria, contempl batur. Reditum in Belgium cum meditaretur, et vero navigatione hiberna admodum periculoſa aliquot naves periiſſe ipſi Harvici nuntiatum eſſet, curſum flectebat, Dubri navim conſcenſurus. Sicque ſub anni ſequentis pri-

primordio Novus Portus sedulum nostrum peregrinatorem auspicato iterum excipiebat. Hinc Brugis, Gandavo, Antverpia Lugdunum contendebat, cujus humanitas diutius eum retinens, non nisi praeclaro mercaturae literariae quaestu ditatum dimittere poterat. Ibi ergo Cartesii dogmata, quae Altorfi degustaverat, penitus imbibebat: corporum humanorum compagem, artificiosissimum miraculum, Drelincurtio enarrante, curiosius perquirebat: in medicamentorum compositionibus, quibus praecipua Medici virtus dignoscitur, le Mortio duce, operabatur: Chymiae arcana Maetius revelabat: ut ferro et igni vulnera sint sananda, quotidie in valetudinario oculus, et domi operatoris cujusdam periti vox docebat. Horti Lugdunensis, qui primas inter omnes obtinet, Gratias et Veneres, morte D. Syenis contristatas, contueri nunquam cessabat. Inter has medicinae operosioris curas non destitit contemplativae partes denuo ductu Cl. Craanii sibi familiares reddere, ne his veluti substructionibus carens universa moles ruinosa fieret, et inopinato laberetur. Crederes vix integro anno quenquam tot tantosque labores potuisse exantlare, quantos ὁ μακαρίτης paucorum mensium spatio feliciter absolvit. Poterat igitur hoc thesauro beatus de reditu cogitare. Penes ipsum quidem si stetisset, maluisset utique diutius ibi haerere, ubi tam insignis bonarum artium messis restabat. Proinde ut vel in itinere, mercaturae, a qua recesserat, desiderium levaret, Herois fortissimi, Guilielmi, Principis Arausionensis, postea Regis Anglorum glorioſissimi, Tempe amœnissima admirabatur, animantium, quas India misit, contuitu delectatus. Delfis Leewenhoekium, quo neminem aetas nostra subtiliorem aut perspicaciorem tulit, conveniebat. Amstelodami per aliquot hebdomadas haerens, artis naturaeque gazas, quarum non alibi plures ex omni terrarum orbe congestas scimus, magno cognitionis rerum naturalium incremento, avidis oculis contemplabatur: Blasio operatori haud incelebri, et Fischero, Hygejae mystae felicissimo, addictus, Nosocomia frequentabat, et decumbentium lectis aderat. Tandem Nardemo, Osnabruga, Minda, Hamburgo, Helmstadio, Lipsia Norimber-

bergam propitiis Vialibus rediit; ubi adeo benigne exceptus, ut eodem adhuc anno in Collegium publica auctoritate medicinam facientium cooptaretur, postquam Doctoris titulo Altorfium Eum condecorasset, debitumque virtuti praemium et laboris fructum tribuisset. Iustus me corripit dolor, cum honorem, divinum illud donum, in immerentes hodie toties conferri video: quandoquidem reipublicae metuo, quam detestatur Achilles, quae aequalem fortibus et ignavis honorem tribuit. Fortasse antiquitate se commendat mos iste perversus? Occuparat pro dolor! haec pestis ab eo statim tempore Academias, quo primum virtuti laurea nectebatur, ut *nulla paene progressuum in artibus habita ratione*, quivis ad honoris fastigium adscenderet. Parisienses tamen doctores et Oxonienses inter primos hanc ab omnibus bonis gratiam inierunt, ut testante Antonio a VVood in Historia et Antiquitatibus Vniversitatis Oxonienſis, *neminem ad gradum aliquem admitterent, nisi qui in Artibus alicubi rexerit.* Quid ergo? Sperabimus, fore aliquando, ut et illi, penes quos decernendi de titulis honorum jus est, clarissimis hisce verum exemplis incitati, accuratius posthac in candidatorum merita inquirant, nec promiscue omnibus Honoris templum aperiant, quos in Virtutis aede vel nondum vel minus recte stetisse cognoverunt. Sed ad VVVRFBAINIVM redeo, Ejusque modestiam veneror, qui non prius decora petiit, quam Ipse laudibus jam decoratus jure suo repetere poterat. Ordini igitur publice medentium adscriptus eam sibi legem dictam putavit, ut nemini aditum inrercluderet, nec inopi, nec peregrino; omnibus obvium iret, omnes comiter, placide et benigne audiret. Indigent maxime manu vitam tolerantes, verbis utor magni Ioannis Antonidae Lindenii, quoniam his sub manuum feriis non molunt molitores. Talibus non adesse auxilio, est opprimere. At qui opprimit tenuem, probro afficit opificem ejus. Vtinam ad animum revocarent, qui locupletibus assurgunt, et pauperes diem jubent ad fores praestolari! De morbis morborumque genere prudenter differebat, et in eo potissimum peritiam suam probabat, quod vera indagare nunquam pigeret, quod de obscu-

ris

ris et difficillimis non temere pronuntiaret, signa causſarum in abdito latentium considerate perpenderet, remedia optima seligeret, opportunitates curandi haud praetermitteret. Quibus virtutibus si addideris singularem, qua DEVM O. M. religiose colebat, pietatem ejus, ut divino suo auxilio clementissime adesset, ardenter orantis; quid amplius in Medico desideraveris? Vtinam multi hujus similes in orbe Medici florerent! Sed vereor, ne veterem Coi querelam jure iterum ingemiscamus: Medici nomine quidem multi; re ipsa vero perpauci. Heic loci silentio praeterire nequeo, Beatum Nostrum illos, quos collegii necessitudo conjunxerat, summo semper studio coluisse, omniumque animos comitate et benevolentia ita sibi devinxisse, ut ipsum singuli amarent, colerent, ejusque commercia ambirent. Nullum enim vinculum consociandis hominum animis validius, nullum magis durabile, quam probitas et humanitas. Itaque omnium voluntate honores Ei Visitatoris et Decani, uti loquuntur, ex ordine aliquoties delati sunt. Et Ioannes Georgius Volcamerus, Senior, exquisitissimi judicii vir, quem Apollinis Mycamerus, Senior, exquisitissimi judicii vir, quem Apollinis Mystam, Musarum corculum, Florae delitium, prisciquecandoris exemplum, eruditorum lumen, suo merito salutarunt, tanti VVVRFBAINIVM fecit, ut in dignitatis gloriaeque societate sibi adjungi cuperet; adeoque ultro hortari non destitit, dum expetita ab illustri Ioanne Michaële Fehrio, Praeside Academiae gravissimo, collegii jura, addito Hermetis II. agnomine, anno CIↃ IↃcLXXXI consequeretur. Neque intra hoc substitit Volcameri erga Nostrum favor singularis; sed cum Praesidis postmodum dignitate ipse auctus esset, et vero aetate provectior laboribus ferundis imparem se sentiret; VVVRFBAINIVM suum laboris socium sibi optavit, et in curarum pro Academiae salute partes adscivit, Adjuncti, uti loquuntur, honores in Eum anno CIↃ IↃcLXXXVIII. conferendo. Quo ipso, dum observationum publicandarum indefessam curam agebat, gradum sibi statuxit, ut, eminentissima Praesidis dignitate in meritissimum Lucam Schroeckium, Filium, (quem rerum medicarum arbitrum sapientissimum DEVS servet!) communi omnium suffragio dela-

delata, ad Directoris Ephemeridum, Archiatri Caesarei, S. R. I. Nobilis, et S. Palatii Lateranensis Aulaeque Caesareae et Imperialis Consistorii Comitis, fastigia eveheretur. Testatur disertissimus Romanorum Tullius: Ex omnibus praemiis virtutis amplissimum esse gloriam, quae vitae brevitatem posteritatis memoria consolatur; quae efficit, ut absentes adsimus, mortui vivamus. Vivet ergo VVVRFBAINIVS, quamdiu Academiae fama vigebit: haec autem, quam omnes Europae gentes celebrant, nunquam intermoritura est. Vivet VVVRFBAINIVS, quamdiu eruditissima Academiae monumenta publice exstantia legentur: quippe cujus auspiciis postrema Ephemeridum Decuria, itemque penultima maximam partem, prodierunt. Vivet in reliquis ingenii monumentis, alibi commemorandis; quorum plura utique exstarent, nisi aegrorum lamenta ipsi obstrepuissent, curasque omnes avocassent. Vivet denique in literis et eorum animis, quos absentes amico colloquio saepius recreavit: atque in illis quidem tanto diutius vivet, quanto certior imago est epistola, et typus ab ipso auctore accurate impressus et depictus, qualem nec Apelles describere valet. Bene multae earum delitescunt apud illustres Archiatros Caesareos, Danos, Prussos, Moguntinos, Colonienses, Trevirenses, Hildesianos, Isenacenses, VVürtenbergicos: aliae asservantur a Professoribus celeberrimis Basileensibus, Giessensibus, Kilonienſibus, Regiomontanis: aliae a Medicis praestantissimis Amstelodami, Annaebergae, Arnstadii, Augustae Vindelicorum, Delitii, Graecii, Suinfurti, Vlmae, Vratislaviae, alibi cum multa laude degentibus acceptae. Ex his si retrahere illas in corpus contingeret, aere peremius monumentum, pyramidumque situ regali altius exstrueretur. Tanta autem licet Nostrum gloria secuta sit; non tamen elatus ideo incessit, nec supercilioſus alios contemsit. Tot tantosque honores consecutus, ab omni ambitione prorsus liber erat et immunis; memor nihil magis invidiae esse expositum, quam honoris contentionem. Imo cum honorifica docendi in Academiis provincia ipsi bis offerretur, oblatam modeste sua sorte contentus recusavit, maximum e studiis fructum se percepisse

cepisse judicans, si domi latitans quamplurimis prodesset. Atque hunc finem intentis semper oculis ita respexit, ut, cum rariora naturae inventa reponeret, haec quoque non tam sibi quam aliis se colligere frequenter dictitaret. Et certe, cum tot annos ab istoc rerum naturalium studio Eum nullo unquam tempore aut commodum aut otium aut voluptas avocarit; illud naturae compendium magnopere crevisse, facile quivis intelliget. Nihil tamen ita sibi servabat, quin cuilibet, peregre adventanti aeque ac vicino, notis ignotisque, expromeret, quae voluptati singulis futura, usuique publico inservitura senserat. Vnde ingens numerus erat eorum, qui Ipsum subinde adirent: et hi omnes si non alium, oculorum saltem fructum, ex illo rariorum conditorio percipiebant; singuli vero comi doctoque alloquio satiati recedebant. Texerem hic indicem rerum praeciparum, quas ipse olim voluptate perfusus inspexi; nisi arctiores commentationis institutae limites mihi posuissem, quos ne egrediar, plura sunt quae suadeant. Lectoris autem Benevoli humanitate confisus, ad vitam privatam, postquam de publica satis multa dixi, enarrandam propero. VVVRFBAINIVS in Medicorum Noricorum Societatem, uti dictum, admissus, suamque operam diro morborum agmini infestis addicens, curam rei domesticae sibi obesse sentiebat. Conjugii proin foedus icit, sibique adsociavit virginem formae elegantia virtutumque decore commendatissimam, MARGARETAM, Daniele Trautnero, primi ordinis mercatore, ortam, quae Conjugem optimum sibi ereptum Vidua nunc maestissima luctu squaler. Illud auspicio divino, cognatorum concessu initum; divina praeconis caelestis manu et voce firmari curarunt ipsis Calendis Martii A. CIↃ IↃC LXXXI, summique Numinis praesentiam orarunt, exorarunt. Etenim non tantum concordes et sine jurgio vixerunt, tenerrimoque se invicem amore sunt complexi; sed et castissimi amoris pignora charissima viderunt tres filios, quorum unicus fatis immaturis concessit, et filias binas. Hos natos natasque ad omnem virtutis cultum tempestive erudierunt, et ut patris matrisque aemuli horum imagi-

ginem referrent, effecerunt. Dici non potest, quantum praeclara illorum indole et ingeniis ad optima quaeque factis gavisi sint parentes amantissimi; maxime cum educationis fructus dulcissimos ex illis jam adultis perciperent. Viderant filiorum alterum, *Fridericum Sigismundum*, anno saeculi elapsi secundo et octuagesimo propitia Iunone editum, Doctoris Medici gradu insignem, et Parenti Collegam exoptatissimum datum. Viderant filiam natu majorem, *Benignam Magdalenam*, feliciter nuptam Zachariae Volmario, mercatori, (cujus quidem ordinis homines et honestissimos et ornatissimos firmamentum ceterorum ordinum esse recte dixerimus;) et *imperfectus adhuc infans genitricis in alvo* spem dabat nepotum. Viderant *Annam Margaretam*, virginem pudicam, obsequiosam, lectissimam. Viderant *Tobiam Danielem*, optime efflorescentem, Legumque ac justi injustique studia sedulo excolentem, adeo ut illius conjugio, hujus honoribus academicis brevi denuo felices videri potuerint. At enim vero major natu filius tot inter res secundas luctus caussa fuit. Is enim anno hujus saeculi decimo acerba morte abreptus parentem dilectissimum, quem non nisi suo hoc discessu contristaverat, unius lateris sideratione decumbentem vehementer commovit. Et quidni commoveretur parens? cujus aetas ingravescens in amore atque in adolescentia filii conquiescere cupiebat Jam demum fructus educationis solicitae se messurum sperabat. Sed eheu! et arborem et fructum cecidisse utroque orbatus conquerebatur. Quilibet conjectando facile assequi valet, quantam facultatum omnium stragem τῷ μαχαίτῃ minatus fuerit, imo intulerit tristis ille de morte filii charissimi nuntius; qui perpendet hujus ornamenta et obsequia, illius paternum plane amorem. Convenerant antea Eum plurimi, qui omnes summis natum laudibus ad caelum extulerunt, parentemque in societatem gloriae venisse, gratulati sunt: jam citius illum defloruisse, dolent, et una cum Patre maestissimo ipsius miseriam deflent. Inter tantos casus nihilominus facile se erexit, neque animi neque corporis doloribus succumbens; quanquam vires corporis multum jam essent exhaustae. Accedebat, quod

non

non adeo firmo vegetoque corpore esset praeditus: crebrioribus enim valetudinis adversae incommodis erat obnoxius, licet muneris mandati officia nunquam non obierit. Atque eo magis mirum, animi viribus Beatum se diutius sustentasse. Illud quidem ipsum, quem exitum res sit habitura, ei praesagiebat: mensium tamen aliquot spatium interceſſit, antequam plane deficeret. Quo tempore dulcissimae Conjugis virtutes, quas semper maximi fecit, pietas, patientia et in sufferendis malis constantia, amor item conjugalis tenerrimus clarissime eluxerunt. Nunquam a ferali mariti lectulo recessit, curamque omnem adhibuit, ne quidquam desset, quod valetudini pristinae recuperandae idoneum judicabatur. Conjugis itaque bonae exemplum praebuit; et re atque opere simul confirmavit, artes amori conjugali reique familiaris administrationi minime obesse; sexum potius sequiorem iisdem magis amabilem reddi. Hoc loco temperare mihi haud possum, quin meritissimas feminae ingeniosae laudes commemorem. Ea quippe arte Daedalea inclyta vel Arachnen superat,

Seu digitis subigebat opus, repetitaque longo
vellera mollibat nebulas aequantia tractu;
seu pingebat acu; scires a Pallade doctam.

Picturas varias acu factas, praesertim animalia et aves ex serico affabre efformatas, aliaque ejus artificia Viri Principes admirantur, eademque reliquis, quae studiose asservant, arte factis adjungenda expetunt. Adeo scite omnia manus perita ducit, ut vivere videantur. Nec ullius velocior in pictura manus est: artis vero tantum, ut multum manipretio antecedat non tantum mulieres, quae pinxere, Timareten, Irenen, Lalam, Plinio laudatas; sed et celeberrimos quosque imaginum pictores. Parrhasio Zeuxis palmam concessit: VVVRFBAINIAE Parrhasius, si viveret, palmae gloriam sponte adjudicaret. Sed ut nostra oratio eo, unde egressa est, revertatur, quae de HERMETIS valetudine et beato obitu paucula restant, memorabo. Forti is, uti diximus, animo calamitates cunctas pertulit, certissimumque contra istas remedium ex aeterno DEI verbo, fonte illo salutis, petens, omnem doloris vehementiam levavit. Membrorum quidem omnium, pedis praecipue sinistri, linguae item et memoriae usus impeditus et quadantenus solutus erat: At neque hoc Eum ab amore divino, quo a puero capiebatur, sejungere valebat. Saepius ingeminabat: Fatiscat licet hoc corpusculum, deficiat cor meum; mei cordis numen est, meaque conditio, DEVS in perpetuum. Cum d. XII. Ianuarii A. CIↃ IↃCCXI. malum augeretur, et paroxysmus apoplecticus ultimum vitae terminum instare minitaretur, fidelissimus voluntatis divinae nuntius, qui animae hucusque curam gesserat, Ipsi praesto aderat, solatioque erigebat. Aderat etiam morbos Phoebaea arte pellere edoctus Machaon. Omnes vero illius quam hujus auxilium praestabilius, et τὸν μαχαίτην ad stationem summi Numinis jussu deserendam paratissimum intelligebant. Perstitit hac mentis et voluntatis alacritate etiam postero die, quo

leva-

levaminis nonnihil sentiebat: adeoque cum circa crepusculum mors immineret, promtum Eum offendit atque paratum. Integer namque sensuum, loquelam si exceperis, usus ipsi erat, usque dum animam, pretiosissimum depositum, DEO, a quo acceperat, secunda post solis occasum hora redderet, cum vixisset annis LV. et mense unico. Atque ita VVVRFBAINIVS integerrimus, Vir omni laude major, beate finivit, nobisque triste sui desiderium reliquit, nobilissimae cumprimis Viduae liberisque orbis, quorum hi parentem se indulgentissimum, illa Conjugem optimum amisisse conqueruntur. Solatia et fomenta summorum dolorum Divina Clementia ipsis afferat, luctumque et luctus caussas benignissime allevet et cum die minuat. Nos vero nos ipsos consolemur, et quidem illo maxime solatio, quod dulci consuetudinis recordatione semper una esse, doctoque Ejus etiam defuncti colloquio frui possimus. Denique uti vitae laudabiliter actae memoriam scriptione hac conservare studuimus: ita vultus quoque memoriam mortalitati eximamus, veterum Romanorum, qui in bibliothecis auctorum imagines dedicarunt, laudabili exemplo, VVVRFBAINII effigiem aere sculptam suspendentes. Piis Viri optimi Manibus parentaturi adscribimus:

VVVRBAINI. HAEC. FACIES. DIAM. VIS. NOSCERE. MENTEM.
HERMES. INVENTIS. ARTEQVE. PHOEBVS. ERAT.

Scripta, praeter Disputationes Academicas in Memoria allegatas, exstant sequentia:

Epistola ad Amicum Anonymum, qua nonnulla, in D. Ioannis Hiskiae Cardilucii Germanico idiomate nuper demum edito Tractatu de Peste contenta, ad examen revocantur. A. 1679. f. 12.

Salamandrologia, seu Descriptio Historico-Philologico-Philosophico-Medica Salamandrae, quae vulgo in Igne vivere creditur, S. R. I. Academiae Naturae Curiosis exhibita, atque novis aliquot Capitibus, experimentis figurisque eleganter aeri incisis, nec non Rerum et Verborum Indice aucta, A. 1683. f. 4.

Ioannis Sigismundi VVurfbainii Itinerarium, quo Indiae Orientalis varii tractus, incolarum mores, plantae, animalia, plurimaque negotiatorum arcana, idiomate Germanico recensentur. A. 1686. f. 4. cum figuris aeneis.

Index Generalis Rerum Memorabilium Decuriae I. et II. Ephemeridum Germanicarum Academiae N. C. ab A. MDCLXX. usque ad A. MDCXCII. cum serie Auctorum alphabetica, adjectis Observationum et Tractatum Indici huic insertorum titulis. A. 1695. f. 4.

Edidit praeterea ἀνονύμως duos Tractatus Oeconomicos, et tertium Politicum.

Inter opuscula affecta Tractatus de Terra Sigillata fere ad umbilicum perductus est.

ELO-

GEORGIVS FRANCVS DEI GRATIA REGINA
Ioseph. à Mentaleore fc: Nor:

ELOGIVM

VIRI ILLVSTRIS AC GENE-ROSISSIMI

D. GEORGII FRANCI
DE FRANKENAV,

S. R. I. EQVITIS AVRATI, AC PALATII LATERANENSIS COMITIS, SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DANIAE REGI A CONSILIIS IVSTITIAE ET ARCHIATRI, ACADEMIAE LEOPOLDINAE ADIVNCTI, REGIAE ANGLORVM ET ITALICAE RECVPERATORVM SOCIETATIS COLLEGAE EMINENTISSIMI, &c.

A

VINDICIANO
CONSCRIPTVM.

ONAIDNIA

DE LAVMINENSIA

S. K. I EGALIS VALIVALI VC

DE LAVMINENSIA

D' CEOEGTI FLAVNCI

MAI ATTENTAIS NC GENE-

ETOGIAN

CUm magnos & in exemplum posteritati praefulgentes Viros non quotannis enasci, pervulgata sit omnium ore ac scriptis sententia; tum eos cumprimis rarius in lucem constat prodire, qui arti salutari ad vitam mortalium, quantum licet, servandam ac producendam, feliciter & cum successu operantur, & supra vulgus sapientes, quod nihil esse judicat tam proletarium, quam medicandi facultatem, omnem eo dirigunt vim ingenii, ut conjecturas, quibus praecipue omnis artificis peritia atque usus absolvitur, non fluxis superstruant relationum mire saepenumero detortarum ac plane fallacium fundamentis, sed veritati unice innitantur. Quod dum faciunt, solicite cavent praeterea, ne vocibus fiat lusus in re omnium maxime seria, neve vaga luxurianris ingenii commenta pro principiis habeantur rerum agendarum, sed rationi maxime insistatur, lucidae omnino ac perspicaci, quae si experientiae, optimae illius magistrae, dictatis est stabilita, non potest facile errare aut parum cautos mysteriorum naturae indagatores in devia abducere. Tantae scilicet est molis in artium nobilissima excellere, ut mirum neutiquam debeat haberi, quod rari inveniantur, quibus ea obtigit felicitas, ut ex summis difficultatibus, quibus illa jacet immersa, eluctati in plano consistant, & optime de omnibus meriti, officioso studio rem agant humano generi maxime proficuam, &

prae ceteris unice expetendam. Hac igitur sorte, praeter alia virtutis ac doctrinae decora, mirum quantum beatus fuit GEORGIVS FRANCVS de Frankenau, Medicus sane, si quisquam, omnibus perfectionis numeris plane absolutus, in judicando sollers, in docendo gravis & perspicuus, eloquio perquam facundus, sive recondita disciplinae axiomata instillaret animis juventutis discendi cupidae, sive sermonis suavitate tanquam delinimento mulceret dolores decumbentium; quam ob rem summis orbis Christiani Principibus opido acceptus in aulis pariter atque castris ministeria tulit ardua cumprimis, sed gloriae quoque ad conferendam nomini celeberrimo immortalitatem pleniſſima. Cujus memoriam ut ad posteritatem transferamus, stilo quantumvis impari nec satis apto, pietas jubet ac perpetua erga Praeceptorem optimum & studiorum amplificatorem observantia, quae uti vivo semper constitit multiplici documento; ita remisisse omnino videretur, nisi erepti ex oculis virtutem ac praestantissima, quibus inclaruit, ornamenta, quavis ratione ac modo sibi sumeret recolenda.

Patriam habuit Numburgum, elegans ac celebre oppidum in Misniae ac Thuringiae finibus ad Salae fluenta positum, quod Sede Episcopali nobilitatum, Gymnasiorumque laudibus insigne, tum nundinarum cumprimis oportunitate celebratur, & confluentium eo circa diem, divis Apostolis Petro ac Paulo festum, mercatorum atque emptorum ex omnibus Germaniae angulis summa certe frequentia. Hodie caput effert & palmam facit dubiam vicinis civitatibus, Optimi Maximique Principis, cui sese gaudet subjectam, fausto ac fortunato regimine, MAVRITII GVILIELMI, qui omnia tanti fastigii decora in se complexus, Patriae vere Pater est clementia munificentiaque indulgentissimus, stirpis Saxonicae praecipuum decus, exemplum posteris, viventibus imago ac speculum, in quo fulgentes Serenitatis Augustae radios omnes contueantur; literis etiam ac literarum amantibus salutare ac beneficum sidus, quos ad solium trahit

& lateri nonnunquam admovet, colloquiisque eorum delectatur Dux Sapientiſſimus, earumque ſcientiarum, quibus imperandi ars abſolvitur, penitiori cognitione inclutus, tum praecipue hiſtoriae omnis aevi doctrina eminens, quem nihil lateat eorum, quae ad familiarum hodie orbi imperantium genealogias quidquam attinent, aut inter gentes amplificandarum finium poſſeſſionisque adquirendae avidas controverſa, ferventiori animorum non minus, quam armorum contentione ſubinde diſceptantur. Iſtoc igitur tam beatae jus civitatis *Francus* ſibi commune habuit cum *Joanne Georgio Graevio*, magno, dum viveret, literarum fugientium ſtatore, & in Academia ad Rhenum Trajectina Doctore, multis ac maximis in univerſam eruditorum hominum rempublicam meritis longe celeberrimo; cujus heic non ſine elogio commemorandi neceſſitatem injicit ſuavis exacti jam pridem temporis recordatio, quod ejusdem adhaerentes lateri inter amoeniſſima ac pene invidenda Muſarum Charitumque conſortia traximus. Dies V. Non Maii anno ſervati orbis CIↃ IↃC XLIII. noſtro illuxit natalis, cui pater fuit *Sebaſtianus Francus*, inter primarios urbis cives relatus, antiqua Vir fide ac virtute inſignis, & hanc ob rem praeclaro aliquando munere ornatus, templi videlicet, quod in ea urbe eſt, cathedralis tutela & ſacrorum proventuum adminiſtratione; cujus generis officia non niſi iis, quorum eſt perſpecta integritas & bene factorum laude ſtabilitus honor, ſolent a Superioribus demandari. *Sebaſtianum*, hujus Sebaſtiani patrem, avumque *Guilielmum* ecquid attinet fuſius dicere, quos nobili conſtat fuiſſe proſapia, *Puniceraviae* ac *Saalhuſiae* clientelarum dynaſtas hereditarios? Maluerunt hi, facultatibus bellorum ac temporum injuria magnam partem acciſis, nominis dignitatem praeclare geſtorum conſcientia aſſerere, quam faſtu ac tumore omnibus inviſo elati, deſidiam inter & oſcitationes inerti otio torpeſcere. Maternum genus ex *Vinecciis* deducitur, cujus propago *Barbara* Sebaſtiano nuptui data *Georgium* progenuit, barbariei omnis hoſtem, elegantiae in

doctrina moribusque vivum simulacrum. Egregia illa animi ad magna nati indoles in puero statim emicuit, & felices ingenii, supra communem tenerioris aetatis captum vivacis prodidit igniculos, quibus de pabulo mature prospexit pater literis satis excultus & prima disciplinae puerilis elementa gnato tradidit, nihil quidquam in se passus desiderari eorum, quae ad solicitam ejus curam requiri viderentur. Igitur non erat ei satis privata institutione verae in DEVM pietatis & doctrinarum fundamenta jeciſſe; sed & publicarum pariter atque privatarum operam scholarum adhibuit in auxilium, ut pii amantisque genitoris munus omni ex parte expleret, filiique unice cari commodis prospiceret. Neque vero frustrata est ea cura optimum virum, cum brevi admodum temporis spatio eos faceret in literis progressus Georgius noster, quibus & parentes, & necessarii impense gauderent, ipsique Praeceptores in amorem tam gnavi tamque sollertis discipuli raperentur. Jam annum agebat aetatis quintum supra decimum, cum in Martisburgense Gymnasium missus celeriter adeo doctrinarum ibidem sparsa semina imbiberet, ut mox in patriam reversus sese totum traderet artibus elegantioribus, Philologiae, Historiarum, Sphaericaeque tractationis summam omnem animo complexus, earumque artium rudimenta etiam instillaret æqualium consortio, & nondum emenso tirocinii curriculo didascalum ageret, nec sine laude repraesentaret. Ex Praeceptoribus plurimum in acceptis tulit *Joanni Pretteno*, Episcopalis in urbe Gymnasii tum quidem Rectori, posthac cum supremos in Theologiae studio honores esset consequutus, Pastori Ecclesiae Cathedralis primario, Viro sane literatissimo, cujus nonnulla extant, quae criticen, alia, quae sacram disciplinam colluſtrant, monumenta. Hujus suasu & commendatione, duodevigesimo anno vix expleto, ad Salanas, quae in Jenensi Academia laute hospitantur, Musas processit, uberiorem ingenii cultum perceperus, nomenque inscripsit diptychis, *Joanne Volcmaro Bechmano*, JCto undiquaque celeberrimo, fasces tum gerente

Aca-

Academici magiſtratus, quem Rectoratum vocant. Non heic latuit diu praeclari vigor igneus ingenii, ad altiora prorumpens & lauream Poëticam primis ſtatim a vitae Academicae ingreſſu menſibus ſibi promeritus, quam *Chriſtophorus Philippus Richterus*, anteceſſor ſpectatiſſimus, idemque Caeſareae Aulae ac Palatii Lateranenſis Comes, lubens contulit juveni, in pangendis vernaculo, Graeco, Latino itemque Hebraico idiomate carminibus mire prompto atque expedito, cujus genetis jam plura dederat in Gymnaſio patrio ſpecimina, ut extemporali facilitate, nativoque verſuum lepore palmam faceret dubiam omnibus, qui certamen hac de re auſi eſſent ſuſcipere Hoc inſigni capitis ingenui ornamento initiatus, felicioris porro genii ductu ad ſublimiora ferebatur noſter, animo ad ſalutaris ſcientiae ſtudia cumprimis rapto, quod moribus ſuis ac vitae rationi judicaverat convenientiſſimum, qua in re neutiquam fefellit eum eventus, & omnia ſane videbantur favere inſtituto laudatiſſimo, quod miro ardore atque induſtria proſequebatur. Praeterquam enim quod reverendus Canonicorum in Eccleſia patriae cathedrali cœtus per triennium ad perficienda haec ſtudia ſumptus liberaliter ſubmitteret, iis utebatur tum artis medicae, famulantiumque illi diſciplinarum Doctoribus, quorum nomina hodie etiam aures diſcentium perſonant, & ſcripta omnium manibus verſantur. Facile intelligent, qui haec legendo attingunt, de *Guernero Rolfincio* eſſe ſermonem, omnem artis ambitum diffuſis quidem, ſed accuratis, voluminibus complexo; de *Gothofredo* item *Moebio*, conciſo magis, neque tamen minus perſpicuo ſcriptore; de *Joanne Theodoro Schenckio*, humorum praecipue noſtri corporis doctrina inclyto; deque *Joanne Arnoldo Fridericio*, praeclaris ac duraturis operibus famam promerito. Nihil ingero de *Caſparo Poſnero*, naturalis Philoſophiae diſertiſſimo explanatore nihil de ceteris ex ordine philoſophico luminibus, quorum ſtudio factum, ut magis cotidie in artes medico neceſſarias accenſus animus miris utique modis efferveſceret.

His

His egregiis & laudem omnem supergressis magistris junctus, nunquam fere a latere poterat amoveri; hos sectandos sibi judicabat tam in publicis acroateriis docentes, quam scholis privatis interiora scientiae adyta pandentes mysteriorum cupidis. Neque habebat difficilem ad hos aditum, sed planum omnino atque expeditum, ideo quod viam paraverat insatiabilis illa discendi cupido, cum suavissima morum modestia & comitate conjuncta, quibus omnium adeo mentes tanquam beatioris naturae lenocinio ad se trahere ac in sui amorem pellicere solebat. Itaque eos ex assiduo hoc cum viris in quovis doctrinae genere eminentibus commercio fructus collegit ac retulit, ut cum animi reficiendi caussa ad vicinas in Germania Academias iter expedivisset, mox a reditu in Salanam dignus fuerit declaratus suffragiis procerum, cui Botanicas, Anatomicas, Chemicas, & quas vellet alias de hoc censu scholas aperiundi licentia benevole liberaliterque decerneretur. Hac ratione quos commilitones habuerat in palaestra jatrica, eosdem nunc auditores experiebatur, neque magis proficere ingenia discendo sentiebat, quam ubi docendi auspicia capiunt, eorumque, quae pronis auribus imbiberunt, in alios transferendorum faciunt pericula. Hisce ac similibus exercitamentis exactum in Academia triennium, quo elapso suasu hortatuque patronorum ad Alsatos processit, Argentinam praecipue deligens, quam elegantissimam Machaoniae gentis nutriculam sibi ac Musis suis propitiaret. Eo tempore praeerat coetui Academicorum *Balthazar Bebelius*, immortalium in puriorem Christi Ecclesiam meritorum Theologus, antiquitatum ac historiarum sacrarum apprime gnarus, controversiarum perspicax diribitor, in disputando acer, lenis in docendo & ad omnem ingeniorum vim plane compositus. Hujus auctoritate nitens *Francus*, quod Jenae occoeperat, heic pariter ore diserto & calamo, ad miraculum pene fecundo, laudabiliter prosequebatur. Vtriusque fori, philosophici puta & medici, subsellia pariter atque cathedrae ab hoc uno frequentatissima industria premebantur, ut rarae praeterirent

rent hebdomades, quae pugnantem noſtrum aut amicae diſceptationis tela excipientem detorquentemque non viderent, ejusque in hac palaeſtrice exercitatiſſimo genio applauderent. Neque clinicis opem denegabat, ubi occaſio eſſet, ea, quae abs mutis pariter ac ſpirantibus oraculis praeceperat, in uſum ducendi ac ſolatium male affectorum. Igitur jam omnia conſpirabant in honores capiti huic, de ſtudiis deque turba aegrotantium tam praeclare merito, majorum more conferendos. Cui rei tametſi ſupervacuum pene videretur ejus in arte profectus privatim explorare, cujus eſſent publica, & omnium linguis extollerentur, ingenii ac doctrinae ſpecimina; tamen ne quidquam praeter morem & inſtituta magiſtrorum heic accideret, ſubeundum erat ſine diſcrimine decretorium certamen, & cum veteranis in hoc amphitheatro athletis cominus congrediendum manibus poſt velitationem arctius conſertis ad pugnam animoſiorem. Ex hac arena perinde diſceſſit laude ac praeconiis procerum mactatus, & brabeum reportavit promeritam utique ſupremi honoris in arte ſalutari lauream, poſtquam de pleuritidis curatione inaugurale thema maſcule, nec praeſidiario ſub clypeo latitans, fuiſſet in magna auditorii frequentia tutatus. Honorum diſpenſatorem egit *Melchior* ille *Sebizius*, magnum & memorabile prae ceteris nomen, & canitie non minus quam perpetua in artis operibus felicitate venerandum, cujus eam praecipue ob rem commendatur medicandi ratio, quod a ſesquipedalibus fere abhorrens praeſidiorum formulis, ea duntaxat adhibere docuerit, quae ſimplicitate placerent, & longo certoque uſu comprobata cenſerentur. His exornata praemiis fama viri, ad praeclara quaevis nati, non inter eruditos modo & umbratico vitae generi deditos conquieſcebat; ſed Principum aulas & Magnatum palatia attingebat; ſicque ſumma jam praemonſtrabat honorum ac dignitatum culmina, ad quae poſthac evectum conſpexit orbis literarius. Sereniſſimus Elector Palatinus CAROLVS LVDOVICVS, ſapientiae laude prae ceteris conſpicuus, primus

ſane fuit ex eorum numero Principum, qui adoleſcentem Franci eruditionem amore ac praemiis ad ſe pertraxerunt, ac virtuti exercendae campum aperuerunt. Cum enim omnem Reipublicae conſtituendae, quae tricennali bello miſere fuerat devaſtata, operam impenderet, tum praecipue curam eo dirigebat, ut Academiae Heidelbergenſis ſplendor novis luminibus auctus effulgeret, & de cineribus quaſi renaſceretur. Quam ob rem celeberrimos ac praeſtantiſſimos quosvis in omni artium ac ſcientiarum genere viros jam undique conquiſiverat, qui ſua ope ac laboribus in ſubſidium venirent, & antiquiſſimam Germaniae Academiarum priſtinae famae ac nitori reſtituerent. Ad hoc tam ſalutare opus & gloriae pleniſſimum cum haud obſcuris indiciis perſpiceret, Francum noſtrum prae multis aliis fore idoneum, Argentorato eum tractoriis clementiſſime invitatum ad ſe evocavit, exceptumque omni gratia per unius alteriusque horae ſpatium in ſanctiori conclavi detinuit, ut dotes ingenii penitus exploraret, & ſuo, quo ſane acerrimo pollebat, iudicio munus ei ac ſtationem aſſignaret. Hac ratione in cathedra Academica ſucceſſit Cl. Viro *Joanni Caſpari Fauſio*, aulae Electoralis medico, cujus ſingularem in hiſtoria plantarum peritiam encomio dignam cenſuit ſummus virorum *Ezechiel Spanhemius*. Igitur anno MDCLXXII. togam induit noſter Profeſſoriam, collatamque docendi provinciam auſpicali oratione *de fabulis medicis* inauguravit, maxima auditorum frequentia ad oratorem diſertiſſimum, vulgi & aniculārum circa artem noſtram deliramenta maſcule profligantem, tanquam curriculo confluentium. Vix ad aures Principis haec res pervenerat, cum exquiſita viri doctrina & nitore eloquii delectatus eidem negotium daret diſſertationis de *haemorrhoidibus* conſcribendae, quae publicis ſumptibus exprimebatur typis, eaque aviditate accipiebatur, ut & madentes a prelo pagellae *Manhemium*, in qua arce tum Princeps agebat, curſorum miniſterio fuerint perlatae. Dignum ſane argumentum, cujus difficultatibus neutiquam exiguis immerſa obſcuritas, praecipue

ante

ante cognitum vitalis humoris circulum; isto tempore magis dilucide atque pro ratione felicioris & perspicacioris saeculi exponeretur. Splendorem conflictui non quotidianum conciliavit, quod summus Elector, cum Filio Principatus Herede, Carolo item Duce Bipontino, Raugravio Carolo Ludovico, aulaeque elegantissimae corona stipatus, praesentia sua acroaterium illustraverit. Nec ab re erit antagonistarum nomina heic commemorare, ab ipso Principe delectorum, qui ambigua disceptationis discrimina in hoc martio campo, cum fortissimo promachorum experirentur. Agmen ducebat *D. Jacobus Israel*, Franci in munere professorio collega; huic latus cingebatur a *D. Wasmuthio*, militaris in arce Francothalensi praesidii Medico, cujus vestigia mox premebat *D. Joannes de Houst*, Gallus natione, urbis Heidelbergensis Medicus, lampadem eruditae contentionis inde tradens *D. Luberto Erbenio*, celeberrimo Moguntini Electoris & Spirensis Episcopi Medico. Hos, ne quid in themate erudito intentatum relinqueretur, facto quasi agmine excipiebant *D. Jo. David Porzius* scriptis posthac de Rhenensis vini natura & paedarthrocaces curatione opusculis clarus, *D. Fislerus*, aulae Palatinae Machaon, *D. Frid. Christianus Winclerus*, Electoralis Principis Archiater, adversis ab hujus excessu fatis agitatus, & ex Allobrogibus denique *D. Andreas Steigerus* Poliatros. Horum omnium ictus Franco fuerunt sustinendi, cui sublimem haec pugna gloriam peperit, & laude encomiisque cumulatum dimisit, ipso Principe partes praeconis agente, & in Senatus Academiae universi praesentia acris atque copiosi disputatoris peritiam dilaudante. Neque hoc satis; requisiti denuo altero mane cum *Franco Erbenius Porziusque* & in secretius conclave deducti, ut omnem de salubri hoc argumento dubitationem, si qua forte Principi obhaeserit, prorsus eximerent, & novis ab Eo, subtiliterque excogitatis rationibus primo vexati, mox omnibus ex animi sententia confectis, ad gratiae Principalis complementum, lautissimo convivio excepti, ad suos quisque lares dimitterentur. Ab his primor-

mordiis nova ſubinde favoris ac benevolentiae documenta capiebat Francus, & bene de Academia, de aula, de omnibus merendo id efficiebat, ut ex Medicorum ordine nemo facile viveret magis acceptus & gratus genio Principis omnium ſapientiſſimi. Cujus altero ſtatim anno ſummam expertus eſt non contemnenda ſalarii acceſſione, ad incrementum rei familiaris eidem decreta, ob fidem in medicando & dexteritatem, in afflicta ſaepenumero Electoris valitudine, optato plerumque ſucceſſu probatam. Cum vero res proſperae mortalium raro ſint diuturnae, ſed irruentibus continuo adverſorum procellis turbari ſoleant atque inquietari, immaturus CAROLI LVDOVICI ex hac vita exceſſus, cum aulicis, ut fieri ſolet, gravis fuit atque acerbus, tum praecipue Franco lugubris admodum accidit, triſtiora etiam viſus minari, amiſſo poſt DEVM fortunae ſuae auctore & firmiſſimo contra malevolorum artes praeſidio. Tametſi enim optimus Principis optimi ſucceſſor CAROLVS iisdem, quibus hactenus cum laude functus fuerat, miniſteriis eum deſtinaſſet, operamque etiam multoties ſibi ſalutarem fuiſſet expertus, invidia tamen & obtrectationibus ſycophantarum alienior fuit obſervatus Heri animus, aliisque addictior, magno ſui ipſius ac ſubjectarum ditionum, immo rerum pene in univerſum Germanicarum detrimento. Tantum vero abeſt, ut hi fortunae luſus & inconſtantia animum Franci, ſemper ſibi conſtantem, a recto quidquam dimoverint, ut potius certa praeclare factorum conſcientia fretus, minis fatorum fidei in Principem ſuae & alacris ingenii invictum robur opponeret, & vigilanti pro ſalute purpuratorum cura, ſtudiisque in Academiae gloriam indefeſſis, clementem Domini genium facile rurſus ſibi propitiaret, & adverſariorum hac ratione technas felicisſime eluderet. Duobus enim ſupra viginti ante obitum diebus ad curandam valitudinem Principis ad extrema jam ruentem revocatus potiorum inter Magnates ſuaſu & auctoritate, eum in ſe ſenſit Heri optimi amorem ac benignitatem, ut quocunque ſeſe converteret, non alium praeret Francum ſibi comi-

comitem vellet, ac denique etiam in hujus amplexu dignissimam aevo longiore vitam finiret anno saeculi quinto & octuagesimo, & corpus exangue aromatum ac balsami condimentis traderet inferciendum. Quantam autem gravibus quantumvis aulae negotiis districtus Academicae rei curam gesserit, vel inde constabit, quod nec publicis nec privatis acroasibus defuerit unquam, & collega sui amantissimo *D. Israele* in coelestem Academiam translato, per quinque, & quod excurrit, annorum intervallum ordinis medici munia & functiones solus expediverit in docendo assiduus, in explorandis eorum, qui honores ambirent, profectibus acer ac severus, in perquirendis rei medicamentariae officinis sedulus, inque consultationibus denique ac responsis elucubrandis mire negotiosus & incomparabilis. Philosophiae etiam Doctoris dignitatem quasi postliminio requisivit & facili negotio impetratum sibi imponi passus est in gratiam amici, Illustris illius *D. Henrici Cocceii*, qui nunc Maximo Sapientissimoque Prussiae Regi a Consiliis secretioribus supremam inter Antecessores Academiae Viadrinae locum tuetur immortalibus in Juris, praesertim publici, disciplinam meritis; huic enim a summo *Pufendorfio* primum stabilitae cathedrae, qua naturae ac gentium Jura docentur, tum praefecto, non licuisset tribunitiam inter Philosophos potestatem, quam decanatum vocant, exercere, nisi eadem fuisset magisterii artium corolla redimitus. Annus jam volvebatur sextus ultra octogesimum, Academiae natalis & propterea saeculari festo majorum more concelebrandus, Francoque cum primis nostro glorioSus, cui vicariae tum Rectoris Magnificentissimi FRIDERICI GVILIELMI Principis Palatini partes erant sustinendae. Quod ille munus pro maxima rei dignitate prudenter omnino ac decore administravit, copiosa elegantique oratione *de primordiis Academiae ac fatis* in encaeniis dicta publice, auditoribus quotquot aderant & sermocinantem percipere poterant, ad unum omnibus mirifice applaudentibus. Neque heic reticendum existimamus Illustrissimum Heroa PHI-

LIPPVM FRANCISCVM EVERARDVM Liberum Baronem DALBERGIVM, Imperialis fori, quod in Vangionibus tum frequentabatur, Praesidem & Cathedralis apud Wormatienses Ecclesiae Praepositum, Cancellariatus in Academia Heidelbergensi munus, Praepositurae isti semper innexum, Franco nostro unice demandasse, ut hic raro & alibi forsan inaudito exemplo, vicarias ejusdem partes inter publicas panegyres semper sustinuerit, perpetuus Academiæ Procancellarius propterea consalutatus. Sed nec a sacris officiis fuit immunis vir religiosae pietatis amantissimus, Curator quippe Ecclesiarum Augustanae confessioni addictarum Electorali decreto constitutus, quod quidem munus quamdiu in Palatinatu permansit, uti cetera omnia, summa cum dignitate ac laudibus administravit, eiusque ratione templum apud Manheimenses Sanctae Concordiae dicatum, in quo trium in Imperio constabilitarum religionum sacra partitis vicibus peraguntur, ne de aliis heic dicamus, inauguravit una cum *L. B. de Borch*, ab arcanis Electori consiliis, & collega in hac ministerii parte conjunctissimo. Haec summa fere est a Franco, quamdiu apud Palatinos consedit, laudabiliter ac praeclare actitatorum, sed breviter & compendio memorata absque verborum & sententiarum ornamentis, ne panegyricum potius aut historicam commentationem, quam elogium, cujus praecipua dos in brevitate reponitur, scripsisse videamur. Mirum est omnino, quo pacto fieri potuerit, ut unus homo tot ac tantis, tam operosis atque inter se diversis in aula pariter & academia laboribus sufficeret, cum illi sane pluribus defatigandis viderentur esse comparati, etiam sollertissimis & in opere exercitatissimis. Attamen, quæ summa fuit in nostri animo vivacitas, doctrina exquisita, experientia multiplici, studioque nunquam defesso suffulta, omnia istaec ingenii hujus stupendum robur adeo nec quidquam lassare poterant, ut si reliquas ejusdem curas, lucubrationes, itinera summorum passim per Germaniam Principum nutu instituta consideres, ista quidem inter leviores viri occupationes, quasi reficiendi animi caussa susceptas possint

sint reputari. Longum esset excursionum saltim praecipuas heic recensere, neque possent satis explicari innumerae abs eo, eventu fere semper felicissimo expeditae curationes, quibus per singularem DEI Sospitatoris gratiam tot Imperii Principes ac Magnates gravissimis utique ac difficillimis morborum insultibus petitos, saepenumero ex orci faucibus eripuit, pristinaeque restituit sanitati. Sufficiet eos saltim nominasse, qui Franci virtutem propius pernoscentes, fidei ejus ac vigilantiae suam ac suorum vitam ac valitudinem unice existimarunt committendam, splendidasque Archiatri & Consiliarii partes eidem tradiderunt sustinendas. Hos inter FRIDERICVS primo loco memorandus Würtembergiae Dux, qui Neostadii ad Cocharum gravi ancipitique morbo decumbens, Franci consilio ac ope salutari convaluit, & hunc propterea muneribus ac dignitatibus amplissimis ornatum abs se dimisit, Electorique gratiam retulit ingentem, cujus mandatis ac nutui obsequens eo concesserat. Eandem pariter operam saepenumero praestitit a FRIDERICI obitu, Conjugi viduae, incomparabili Principi, Filiisque paternarum ditionum ac virtutum ex asse heredibus, quos inter FRIDERICVM inprimis AVGVSTVM, cui sedes Goxhemium, clementem ac munificum expertus est, neque minus FERDINANDVM GVILIELMVM, & CAROLVM RVDOLPHVM, invictissimo Danorum Monarchae in bellicis expeditionibus Duces fortissimos genio suo propitiavit praestitis omni fide ac sollertia ministeriis. FRIDERICVS quoque MAGNVS Badensis Marchio Durlacensis fama viri permotus Archiatrum sibi eum constituit & scripto diplomate accivit, ut ad S. Antonii vocatas acidulas Andernaco vicinas una cum Augusta Conjuge proficiscentem comitaretur; qua re ad votum confecta GVSTAVVM pariter ADOLPHVM, Principis fratrem, C. esarei militis Ducem, cum castrensi febri ad Manhemium graviter periclitaretur, servavit ope divina, cujus ille rei memoriam grata multoties celebratione recoluit. Haec Franci virtus incomparabilis Eminentissimum S. R. I. Principem, Electorem JOANNEM

NEM HVGONEM, Archi-Episcopum Trevirensem permovit, ut eum pariter Archiatri munere dignaretur, scriptisque saepius suapte manu epistolis salutaret, aliaque plurima daret clementiae ac favoris documenta, quae fusius heic recensere parum attinet. Eadem muneris splendidissimi excellentia charus fuit binis Elvacensis cleri Praepositis Principali dignitate conspicuis JOANNI CHRISTOPHORO, L. B. ADELMANNO ab ADELMANSFELDEN, cui Francus *Floram* suam iterata edi-
tione adornatam inscripsit; tum HENRICO CHRISTOPHORO a WOLFRAMSDORF, Adelmanni successori, qui quod e Thuringia nobilissimae stirpis originem traheret, non alio quam civis & patriotae familiariori appellatione eum vocitare fuit solitus. Ita cum undiquaque Francici nominis fama inclarescceret, ut certatim ab omnibus fere unus expeteretur, Palatinatus tamen, qui prima fortunae ac honorum auspicia tulerat, sibi maxime vindicandum ac servandum putavit, & aliis super alia muneribus abunde cumulavit. Extinctae in acerbo Caroli funere stirpi Simmerensi, Neopyrgica successit, & PHILIPPVM GVILIELMVM Electorali fastigio admovit, Principem annis & consilio potentem, & Generis praecipue diffusa in Caesaream ac Regales familias amplitudine inter fortunatissimos ex Procerum censu collocandum. Hic etiam in ampliſſimis nostrum muneribus firmavit, salaria auxit, & principem in Medicorum ordine locum adsignavit, cum esset in gravissimo morbo ejus sollertia divinitus quasi recreatus, & in Serenissima pariter Conjuge, Gnatarumque Summis Iberiae ac Lusitaniae Regibus postea elocatarum fulgentissima Synoride, quanta esset Viri in arte praestantia, experimentis fuisset edoctus longe felicissimis. Parenti nihil quidquam in deamando Franco concessere Filii, heredes pietatis ac virtutum aemuli. Ex quibus Serenissimus Elector JOANNES GVILIELMVS, cujus propitium Musis & doctrinarum amantibus nomen non sine demissa animi venerabundi religione heic memoramus, ex Dania laboribus & annis jam gravem sibi censuit revocandum, ut pristinis honoribus

quasi

quasi postliminio restitutus, quod supereſſet ætatis inter Palatinos ſuos exigeret. Parhuic ingenio, animique ſupra communem dominantium ſortem erecti in homines eruditos propenſione LVDOVICVS ANTONIVS, Magnus Teutonicorum Equitum Magiſter, Epiſcopus Wormatienſis, Praepoſitus Elvacenſis, Eminentiſſimoque Electori Moguntino in ſubſidium datus, ut praeclare de Imperio meritum Principem nemo alius aliquando exciperet, praeterquam, qui pari fide nec minori ſapientiae laude inſtructus par eſſet arduis ſummorum & graviſſimorum negotiorum tractationibus. Hic, inquam, Procerum glorioſiſſimus, ſalutari Georgii cura ſemel iterumque ſervatus, animum ſervavit officii memorem, & Heidelberga ejectum in tutelam recepit, nec a latere dimiſit prius, quam in Saxoniam ſecederet. Eadem fuit CAROLI PHILIPPI, Principis Celſiſſimi in tuendo noſtro conſtantia. Conjugisque incomparabilis LVDOVICAE CAROLAE RADZIVILIAE, quae nuper rebus humanis exemta inter coelitum choros refulget ſidus perenni luce ſplendentiſſimum. Nefas eſſet ſilentio praeterire Illuſtriſſimum Principem IOANNEM EVCHARIVM, Aichſterenſis Eccleſiae Epiſcopum, veneranda canitie, ſed magis praeclara in DEVM pietate & clementia in ſubjectos cumprimis commendandum, cujus in Francum amor emicuit plane ſingularis, ut eum valetudini curandae advocaret, & honoribus muneribusque mactatum, haud quaquam libenter, ex aula dimitteret. Hiſce graviſſimis difficillimisque laboribus ac curis diſtringebatur noſter; his meritis, hac virtute gratiam ſummorum ſibi in Imperio Principum conciliaverat; his denique, ſane ampliſſimis, dignitatibus honorumque titulis ac emolumentis incedebat ornatus, cum in Palatinis terris conſideret, aut in Sueviae Franconiaeque finibus, urbe Electorali pulſus, divagaretur. Sed anguſtiores erant pro immenſa Viri virtute ac fama termini, quare in ampliores eum campos fata deducebant, tametſi per vias, ut ſolet fieri in humanis, minime omnium planas aut laetabiles. Devaſtatae jam jacebant perfida Gallorum irruptione & miſerrime

afflictae terrae Palatinae, amoeniſſimae illae & omnibus naturae parentis donis largiter ditatae; Hoſtium furore, caedibus, rapinis, incendiis omnia conſumta; expugnata munimenta, direptae urbes, oppida ſolo aequata, extremam univerſae illi parti Germaniae ruinam praeſagiis haud quaquam vanis minitabantur, & metu diſcruciabant animos mortalium. Et jam metropoli Heidelbergae certum imminere videbatur exitium, cum undique defugientium eam ſtragem incolarum agmina paſſim per vicina ad ſtationem tutius capiendam diffunderentur. Quibus turbis eliminata pariter Franci familia in urbem Francofurtenſem conceſſerat, illo interea ad latus Magni Teutonicorum Magiſtri, quem modo laudavimus, adhaerente, Herumque indulgentiſſimum per omnia fortunae ac bellorum praecipitia ſectato. Igitur cum eſſet conſtitutum caſtra ad Rhenum ſequi, & Moguntiacae obſidioni intereſſe, individuus noſter erat Principi comes, arcanorum etiam particeps ac conſiliorum. Quo pacto tum aliis perquam multis Imperii Principibus innotuit, tum praecipue Sereniſſimo Saxoniae Electori JOANNI GEORGIO III. Heroi fortiſſimo, cui jam primis adoleſcentiae annis, cum Francofurti faucium deſtillationibus & ulceribus graviter laboraret, opem ſalutarem tulerat, & ea ratione ſummum ſui deſiderium in animo Principis reliquerat, ut plus ſimplici vice eum ad ſe modis omnibus pertrahendum conſtituiſſet, literis tamen eam ob rem ſcriptis, neſcio cujus reatu interceptis, certe nunquam eo perlatis, quo juſſae fuerant abire. Ipſo igitur Electore in caſtris tum ex hemitritaeo graviter decumbente, Filioque cognomine Electoratus herede ac poſtea ſucceſſore, itemque *Heinone Flemingo* Polemarcho dyſenteria caſtrenſi miſerum in modum excruciatis, expetitus eſt prae ceteris Francus, qui labaſcentem horum valetudinem vigori priſtino reſtitueret; quae res cum plane ex voto, uti ejus omnia, ceſſiſſet, largiſſimis dignitatum & honorariorum oblationibus ſollicitatus fuit ingens Franci animus, ut in patriam reduci ſeſe pateretur, omnibus ibi, quaecunque expeterer, munerum ſplendoribus ac

rei

rei familiaris emolumentis ex voto cumulandus. Quid faceret in hoc bivio constitutus? Ecquid aliud, nisi quod quisque, cui salus suorum cordi est, & qui deliberato animo omnia rerum momenta prudenter exputat, sibi existimaret faciundum? Actum videbatur cum Palatina ditione, dulcissima hactenus virtutis suae nutricula; deturbati sedibus inquilini, Academia dissipata; nec in eo discrimine pronum erat seniora sperare, inter primordia belli processu & contentione acerrimi. Igitur tam benignis atque gratiosis Electoris clementissimi votis obsecundans, cum existimaret Divino haec omnia nutu evenire, ut ampliorem eo pacto locum virtuti exercendae nanciscerctur, consensit demum in eam migrationem, siquidem abs Hero indulgentissimo LVDOVICO ANTONIO, Magno Ordinis Theotisci Magistro, cui hactenus se suaque ministeria prae ceteris addixerat, ut eum sine ingratiis dimitteret, posset impetrari. Quod quidem aegre effectum, neque nisi ad tempus concessum Franco, ut alieno dominio se subjiceret, & hac ratione commodatus magis quam e manu dimissus posset videri. Transiit itaque in familiam Saxonis annuo septingentorum Joachimicorum stipendio honoratus, munerisque pariter Professorii spartam in Academia Vitembergensi tum forte vacantem obivit, ut pergeret de Principum non minus valetudine, quam commodis philiatrorum, quod semper fecerat, bene mereri. Vix autem erat cum familia Vitembergam delatus nono atque octuagesimo labentis saeculi anno exspirante, cum in aulam evocaretur a Principe suorum cumprimis amante, Franci longe amantissimo, ibique per hiemem detentus, sub aestatem rursus in castra Imperialia ad Rhenum cum Domino concederet. Quas ibi morbis late in campo grassantibus aerumnas, quae taedia, qua animi nullis unquam laboribus fatigati constantia sustinuerit, facile secum reputabunt, qui ei fere cotidie ad sesquicentum aegrotantium fuisse sublevandos, quod ex ejus constat pugillaribus, sunt consideraturi. Duxerat eo secum majorem natu ex filiis, medicinae sacris jam initiatum, quae nunc summa

cum laude nominis ab eo mirum in modum illuſtrantur, ſed parum aberat, quin ambo perirent, caſtrenſis morbi vehementia, aut potius laborum tam ſtrenue actorum magnitudine. DEI tamen benigna ope, quamprimum ad Helvetiae fines eſſet deventum, uterque ſerenioris & magis defaecati aëris tractu mox convaluit Inde domum reverſum primaria apud Lipſienſes medicinam docendi cathedra, eidemque annexus Decurionatus ejus ordinis perpetuus praeſtolabatur, quae duo munia *Godefridus Welſchius*, nominis ac ſcriptorum fama celeberrimus, per annos bene multos non ſine laude inſigni obiverat. Jamque adeo Francus Electorali mandato ſucceſſor ei datus, invitatusque humanisſimis Profeſſorum literis, vaſa colligere occoeperat; cum ecce Leucorides Muſae, non ferendum ſibi ratae, ut tam illuſtre ac decorum ſidus tam repente ad Philyreum Parnaſſum radiis ſuis colluſtrandum abſcederet, precibus agunt apud Principem, omnemque in ſanctiori conſiſtorio movent lapidem, ut ne transferretur ad vicinos, cujus abitus prorſus ipſis videretur intolerabilis. Accedebat & Magnatum in aula ſuaſus & amicorum recta ſentientium, quorum eo fere tendebant monita, ut ex Maronis conſilio, laudanda quidem eſſe rura ingentia, exiguum tamen praecipue colendum Francus intelligeret. Paret ille amicis compellationibus & pinguiori eminentiorique muneri, tenuius iſtud praefert, cui jam aſſueverat Quam laudabilem profecto & raram animi continentiam Septemvir, ubi reſcivit, compenſandam merito exiſtimans, aedes ſatis amplas & commodas in urbe, praediaque in agro Vitembergenſi neutiquam ſpernenda, quae fiſco ceſſerant, hoſtimenti qualiscunque loco ad eum juſſit tranſcribi. Nova haec gratiae plane ſingularis documenta, uti arctius ad obeunda miniſteria adſtringebant generoſos Franci ſpiritus, ita nihil quidquam cunctatus Herum denuo ad Rhenum Nicrumque contra juratos Imperii hoſtes dimicaturum comitabatur, tametſi jam tum mul a in hoc naturae labaſcentis ex intemperie viſcerum multis modis corruptorum ſeſe proderent indicia. Quae paullo

poſt

poſt, ubi ad ipſam expeditionem eſſet deventum, in extrema conjiciebant Heroa fortisſimum, ut quem nec barbarorum nec illis quidquam concedentium ceterorum Germanici nominis hoſtium tela in moriendi necesſitatem con ecerant, nunc brevi temporis ſpatio febris vehementia confectus apud Tubingenſes exſpiraret, Princeps ſane clementia in cives, ſeveritate ac invicto animi robore in perduelles & hoſtes nemini ſecundus, ac longiori eam ob rationem vita longe dignisſimus. Brevius fuit ſuccedentis in Patris locum JOANNIS GEORGII IV. imperium, neque minus tamen propitium Franci virtutibus, cui facta paullo ante donaria reſcripto formavit, & cum nomine Academiae facundus orator fidem Ei publicam ſollemni juramento, quod homagium vocant, alligaſſet, concepta verbis diſertisſimis oratione, ita ſibi eam mirum in modum placuiſſe teſtatus eſt, ut typorum miniſterio expreſſam in omnes ditionum ſuarum angulos diffundi ſuis ſumptibus decerneret. Augebat pronam in eùm Principis voluntatem felix & expedita curatio, cum ab equo excuſſus gravisſimas laeſiones perſentiſceret, facie contuſa ac miſerandum in modum deturpata, quae tamen mala Franci conſiliis ac efficacia praeſidiorum mox viſa miteſcere unde Heilbronnam rurſus cum Electore concedens, in Eo a morborum inſultibus tuendo, fidelis ac ſolliciti Archiatri partes omnes cumulatisſime explevit. Neutiquam tamen praeſtare potuit, quin ex caſtris ad ſuos reverſus & variolarum maligna foeditate impetitus mox rebus humanis eximeretur, ſumma regiminis ad Fratrem delata FRIDERICVM AVGVSTVM, cui potentisſimum deinceps Poloniarum regnum faſces ſubmiſit cum diademate. Hic eadem prorſus, qua Divus Parens cum Fratre id egerant, clementia ac benignitate Franci virtutem eſt proſequutus, comitem ſibi deligens, qui ad auſpicia gubernationis capeſſenda proficiſcenti latus clauderet. In Pannoniam quoque ad Turcos ab Imperii finibus profligandos concedens, Franci officia prae ceteris ſibi commoda fore ratus expetierat; verum hic itinerum difficultate & mole

curarum nimis adhuc fatigatus, quieſcendi ſpatium flagitavit, & ſingulari Principis clementiſſimi indulgentia facile obtinuit. Jamque alii ſatorum ordines inſtare videbantur, eo collineantium, ut ingentis pretii depoſitum, quod Saxoniae hactenus utendum fruendum commodaverant, nunc reddi ſibi juberent ac omnino repoſcerent, in eminentiori ſolio collocandum. Praeluſerat ſubitariae converſioni, quam noſter extremam fuit expertus, Reverendiſſimi Electoris Moguntini FRANCISCI ANSELMI deſiderium, Francum ad ſe modis omnibus pertrahere diſcupientis, cujus in medendo incomparabilis peritia ac fides in omnium ore verſabantur. Nec abnuerat noſter magnopere priſtini cumprimis Heri, cui unice ſe carum ſciebat, hortatu compulſus, (Magnum rurſus Cruciferorum Equitum Magiſtrum facile intelliget, qui haec legit) qui vices Electoris viventis gerens in ejus demortui locum ſucceſſor erat deſtinatus ſuffragiis Canonicorum. Aſt cum jam in eo eſſent res, ut in vota Principum, demiſſa voluntatis ſubjectione, Francus conſentiret, improviſa hujus mors apud Leodienſes decedentis in flore aetatis, omnia turbavit, noſtrique animum luctu & aegrimonia oppreſſum, ad capienda longe alia conſilia commovit. Sollicitaverat virum jam aliis ſuper alias literis *Joannes Rudolphus Ringelmannus*, Sereniſſimae CHRISTIANI V. Daniae Regis Majeſtati a Conſiliis Juſtitiariis & inter Archiatros plane eximius, ut in muneris ampliſſimi conſortium veniret, veteremque adeo, quae in Academia olim Jenenſi coaluerat, amicitiam locorum ac temporum ſpatiis divulſam eo pacto redintegraret. Heic durum quidem videbatur viro patriae amantiſſimo, ingraveſcente jam aetate ex ejus ſinu, quae omnibus honorum ac fortunae blandimentis hactenus foverat, in diſſitas admodum regiones ſecedere; attamen cum DEI nutu ſe vocari intelligeret, quem ſummum rerum ſuarum moderatorem ſemper eſt veneratus, cauſſasque ejus conſilii ſuſcipiendi inveniret & multas & graves, quas heic latius diducere nihil attinet, conceſſit tandem in vota amici, & eadem animi conſtantia, qua ex amoeniſſi-

mo ad Rhenum tractu ad lares patrios transmiserat sedem fortunarum, eandem nunc ad terras alio pene sub sole calentes provehere nihil quidquam morabatur. Quam aegre dimiserint ex complexu artissimo Aula & Academia, pronum reor hariolari, qui & viri ingenium noverit omnibus amabile, adversum nemini, & innumera consideraverit commoda, quibus carendum fuit amicis, eum abs se non sine summo dolore ac violentia avelli incassum quiritantibus. Sed eundum fuit omnino, quo fata vocabant, & supremus fatorum arbiter nutu compellebat, neque longinqua viarum, nec itineris per inhospita protracti difficultas moras debebant injicere animo ad omnes eventus composito, praesertim cum taedia molestae peregrinationis abunde compensarentur sublimi muneris novi dignitate, emolumenta secum ducentis supra, quam credi possit aut scribi, invidenda. Cum Lubecam transiret, elegantissimam ex earum censu, quas Hanseaticas vocant, civitatem, & opibus ex commerciorum usu affluentissimam, laute admodum atque opipare per aliquot dies cum familia exceptus est ab amplissimo urbis senatu, cui merita viri ac famam ingesserat *Nicolaus Hannekenius*, Clarissimi nominis Medicus, inter amicos virtutis Francicae facile primarius. Atque ita tandem per Vagriam, Lalandiam, Falstriam Sialandiamque aestivo itinere sospes cum suis ad urbium Regiarum ocellum, Hafniam devenit, ibique ad solium Regis Augusti humillima subjectione provolutus, ea benignitate ac gratia receptus est, ut majorem nusquam se reperisse, immo nec speravisse quidem laetus ac futurorum plenus ad amicos inde rescriberet. Neque fefellit votem hoc felix & optabile auspicium; ita enim Regum optimo charus, ita Reginae incomparabili gratus fuit, ut utriusque favorem servaret illibatum & novis honorum cumulis oneratus, vix alibi majora senectutis suae praesidia ac familiae firmamenta potuisse accidere, praeterquam in beatis his regionibus, intelligeret. Paucis ab adventu mensibus orphanotrophii sumptibus plane Regiis exstructi curam ut gereret, omniaque ad salutis publicae

incre-

incrementa dirigeret, accepit in mandatis; altero inde anno ad ſupremum Juſtitiae tribunal admotus, ut conſiliis pariter ſuis rempublicam juvaret, inter purpuratos patres conſedit, inſtituto ſane ſapientiſſimo, cum ab omni tempore ii habiti fuerint optimi regendae civitatis moderatores, qui humani corporis ejusque morborum cognitione exacta bene praeparati & in arte ſalutari exercitati, valetudinis ſervandae ac reparandae praecepta ad conſtituendam tuendamque rem publicam poſſent transferre. Interea fatalis hora, cui fruſtra ſolent obtendi probatiſſima artis praeſidia, terris ereptam Regis maximi Majeſtatem coelo, quaſi novos ſplendores conciliatura, intulerat anno ſaecularem proxime praegreſſo, ut ſollemnes jubilaeorum pompas caſus omnium maxime luctuoſus, & Regno vix tolerandus antecederet. Ei caſui ſuccumbere fuiſſet viſa omnis regio, niſi ſucceſſorem habuiſſet Regiae dignitatis, FRIDERICVM, belli ac pacis gloria eminentem, & Divo Patri in omnibus aequiparandum, quem ut ſervent diu incolumem Dii immortales, & fortunam deſtinatis parem, victoriarumque impetus largiantur, omnis populorum coetus, omnis ordo ex animo vovet atque precatur. Hic Francum in ſtatione, quam maſcule tuebatur, firmavit & Archiatrorum Comitem declaravit, opem ejus proficuam ſibi & Regiae familiae aliquoties expertus, ut hac ratione pauciſſimi forte vixerint, qui cum noſtro conferri numero & amplitudine munerum opido illuſtrium mereantur. Duorum Regum egit Archiatrum, & octo utique S. R. I. Octovirorum, ut de Principibus & Magnatibus nihil heic porro dicamus, quorum calculos quis nobis expediat? Summa ſunt haec, fateor, & fruſtra ſane a perquam multis ſaepius expetita ornamenta; eadem tamen fulgore etiam novo illuſtrata ſpectantur, ſi celeberrima ſocietatum literariarum commercia cogites, quibus ille nomen dedit, hae nomini retulerunt immortalitatem. *Leopoldina* naturae rerum perquirendae dicata ſodalitas, eodem ipſi anno, quo Heidelberga cathedram detulit, inter ſuos eſſe cooptatum ſignificavit, & cum nemo

unquam

unquam hoc uno minus obſervatus fuiſſet otioſus, *Argi* cognomine condecoravit, ob miram excelſi ingenii felicitatem & perſpicaciam. Poſtea etiam inter primores hujus ordinis, quos Adjunctos vocant, eſt cooptatus auctoritate celeberrimi per Germaniam & omnes terrarum partes Medici, *D. Joannis Georgii Volcameri*, qui tum erat ſocietati a praeſidiis. Inter cetera eruditorum hominum ſodalitia, quibus Italia eminet, Academia eorum, quos vernacula appellatione *Recuperati* vocant, caput praecipue effert, cujus Academiae anteſignanum cum ageret *Carolus Patinus* ex profeſſorio apud Patavinos ordine, numorum cumprimis veterum exactiori cognitione celebris, tum alios ſatis multos ex Germanis literarum uſu ſpectatioribus in eas partes pertraxit, tum praecipue Francum ea honoris dignatione ornandum ſibi cenſuit, amicum veterem ac familiarem, & quod rei eſt caput, in oratoria facultate & pangendo carmine nemini quidquam concedentem. *Regia* denique magnae Britanniae Societas praeſtantiſſimis in ſtudio naturalis ſcientiae meritis effulgens, tametſi rarius ad exteros viſa fuerit transferre ſua contubernia, Franci tamen famae ac virtutibus id dedit, ut in tabulas ſuas referret nomen ejus longe ſplendidiſſimum. Quod vivacioribus etiam mox fuit radiis colluſtratum, cum Divus Imperator LEOPOLDVS equeſtrem ei & familiae nobiliſſimae dignitatem conferret, qua dudum pollebat ex doctrinae merito & munerum maxime ſublimium, quae tamdiu cum laude ſuſtinuerat, amplitudine. Palatii etiam Lateranenſis Comitem fecit, qua dignitate ornati vices Caeſaris agunt in creandis omnium generum Doctoribus, Poetis etiam laurea decorandis, Notariis deſignandis, reſtituendis famae ſpuriis, aliisque hujusmodi negotiis Imperiali auctoritate conficiendis. Huic noſtri nobilitati, ortu, doctrina, meritis, officiorum ſplendore, gratia denique Caeſaris ſtabilitae ac firmatae, ne quidquam deeſſet, providentia numinis factum, ut eodem anno, quo doctoralis dignitas conferebatur, matrimonium accederet cum virgine generis ac virtutum fulgoribus nobiliſſima, *Maria Euphro-*

phroſyna Chemnitia de Stromberg, *Chriſtiani* filia, qui Judicem apud Argentoratenſes egerat in tribunali diſceptationibus circa rerum commercia forenſibus conſtituto, nepte *Chriſtophori Chemnitii de Stromberg*, JCti, cui praeclaris apud Waldeccanos Comites, Electorem Palatinum & Vormatienſem Rempublicam muneribus defuncto, Caeſar locum ſuos inter Conſiliarios ac Senatores urbis Vindobonenſis fecerat. Pater hujus & ipſe multis ac magnis in Eccleſiam Simmerenſium, quam regendam ſuſceperat, meritis illuſtris ex fratre fuerat prognatus immortalis famae ac doctrinae Theologi, *Martini* illius *Chemnitii*, cujus nomen & ſcripta cedro digniſſima nullae unquam temporum ac fatorum injuriae obliterabunt. Huic anno ruentis ſaeculi primo extinctae, & per omne, quod reliquum ducebat, vitae ſpatium deſideratiſſimae, cum ſolitudinem nec vitae genus perferret, nec ingruentis ſenectutis incommoda permitterent, ſucceſſit in thori conſortium *Catharina Wildia*, matrona, gravitate moris, peculio, ac ſevera rei familiaris cura ſpectabilis, quae maritum cum letali morbo conflictantem ope nunquam defeſſa juvit & in tumulum condidit. Amabile vero iſtud prius & ſex ſupra triginta annos mira animorum concordia exactum conjugium, ſeptem liberorum proventu fuerat fecundum, ex quibus quatuor acerbo funere primis infantiae annis extincti, tres per DEI gratiam ſuperſunt, partamque ab utroque parentum nobilitatem, virtute nequaquam aliena colluſtratam, factorum meritorumque gloria tuentur. *Maria Eliſabetha*, decus elegantioris ſexus & Gratiarum nobile myrothecium a Viro ampliſſimo, *D. Joanne Joannida*, Regi a reditibus ex Hadelenſi provincia colligendis, virginei pudoris praeſidium paſſa eſt expugnari, cui in matrimonium ceſſit quinquennio ante patris obitum, nuptiali convivio ſollemniter ex Regis munificentia adornato. Inter filios primigenius *D. Georgius Fridericus*, medicinam antehac extra ordinem apud Vitembergenſes profiteri juſſus, nunc in Regia Hafnienſium univerſitate artis pariter ſalutaris ac ſublimioris Philoſophiae Profeſſor

feſſor ordinarius, ingenio par genitori, nec minor doctrina, elegantiſſimis jam ſcriptis beavit orbem literarium, nec deſinet porro de ſtudiis bene & praeclare mereri. Hujus etiam nuptiis Parens decem ante obitum menſibus interfuit cum lectiſſima virgine *Maria Sibylla Rodriguezia* celebratis, cujus pater *Carolus* antiqua apud Madritenſes ſtirpe oriundus, CHRISTIANO olim V. ſapientiſſimo Danorum Monarchae linguarum in Europa cultiori frequentatarum peritiam inſtillaverat, earundem poſtea in equeſtri, quae apud Soranos eminet, Academia Profeſſor conſtitutus. *Gerardus Erneſtus*, Georgii Friderici frater alacris & ad omnia exprompti ingenii felicitate patrem referens, facilitate etiam pangendi carminis pene extemporanea commendabilis, ad elegantioris doctrinae ſtudia exactiorem Juris Romani eorumque, quae eo pertinent, cumprimis hiſtoriarum omnis aevi cognitionem adjecerat, quam ob rationem judicio delectus fuit, qui Legatis Regiis ad tractationem Pinnebergicam miſſis, inde aliis in Sueciam, rurſumque in Hiſpaniam ablegatis ad ſcribendas ſecretiores literas miniſter adjungeretur. Quibus officiis dexterrime & cum inſigni nominis laude perfunctus, *Themidos Hiſpanae* arcana prodidit libro ſane lectiſſimo ac bonae frugis pleniſſimo, quo tanquam praeclaro ſpecimine, quantos in ſe doctrinae neutiquam vulgaris theſauros contineat, evidenter monſtravit, rogandus propterea a peritis rerum aeſtimatoribus, ut plura hujusmodi condere pergat induſtriae ſuae atque eruditionis reconditae monumenta Hac filiorum ad laudem paterni nominis graſſantium virtute ecquis non beatiſſimum dicat Georgium, feſſum aetate ac laboribus Atlantem, qui Mauritaniae illo Rege longe felicior, non in unius Herculis humeros ut deponeret grave onus, neceſſe habebat, ſed duobus ſuffulciebatur iisque ex ſe prognatis, fortiſſimi ſpiritus juvenibus, qui traditum a parente illud famae aeternitatisque depoſitum alacres in ſe ſuſciperent, & invicti animi ac ingenii robore erecti perferrent, nec gravati tantae molis onere, nec defatigati. Haec una omnium planiſſima ad immor-

talitatem via, cum acciſis ob aetatem viribus, & ſenili marcore confecti in progenie quaſi rejuveneſcimus, germinantemque novo flore nominis ac meritorum gloriam ſuccreſcere videmus & ad ſeram usque poſteritatem propagari. Qua ſuavitate, tanquam nepenthe aliquo, mirum in modum delinitus noſter vix ſentiebat procedentis ſenii taedia, fractique laboribus corporis infirmitatem pene ſolus ignorabat. Sed iſti tamen nihilominus, qui obvenerant quinquagenario, languores incrementa ſumere obſervabantur, & arthriticos ſaepius dolores ſecum ducebant, quotannis fere, praeſertim ubi in Boreales oras conceſſerat, recurrentes & extremo vitae tempore relictis manibus pedibusque, quibus antea fuerant infeſti, ad humeros & brachium ſiniſtrum fatali impetu proruentes, ut pronum eſſet in debili ac enervato corpore funeſta omnia ſuſpicari. Huic malo accedebat vitalium humorum in vappam liqueſcentium intemperies, ſcorbutum vocare ſolent Balthici maris accolae, unde pedes oedemate turgentes aquam intercutem in propinquo eſſe minitabantur, reſpiratio ſuſpirio & gravi aſthmate cohibita auram vitae conſervatricem intercludebat, gravioraque indies accedebant ſymptomata, quibus nonnihil exuſu praeſidiorum probatiſſimorum repreſſis, Reginae Sereniſſimae nutu, quae mire ſollicita erat de Archiatri ſui valetudine, ad vicina in arce Fridericiburgica tempe transferebatur, aeris ibi purioris trahendi cauſſa. Cum acceſſiſſet, nonnihil levaminis initio percipere viſus erat ſibi & aliis, ſymptomatum vehementia tantillum mitigata, ut ſpes ingens affulgeret felicius omnia caſura, nec rem plane eſſe in conclamato. Sed & heic tamen, ut ille ait, in medio Tibure Sardinia erat, cum fatorum lege omnia poſtea in pejus ruerent, & corpus denique languore & pervigilio confectum febri decretoria penitus opprimeretur. Cujus ille aſſultum forti & ad omnia praeparato pectore excipiens, poſt deeendii in Fridericiburgenſi ſeceſſu moram Hafnienſes lares repetiit, gratiis prius devotiſſima mente Reginae pro tam effuſa indulgentia perſolutis, amicis, quorum inſolabilis erat in hoc diſcrimine aegritudo, aeternum

valere

valere jussis. Domum vix relatus, qui nemini unquam in vita gravis fuerat, erga omnes mirum in modum placidus, placida morte, quasi somno pressus, occubuit postridie iduum Juniarum, anno quarto decimi octavi a nato Servatore saeculi, sexagenarium vix egressus, longiori sane vita, si quisquam unquam alius, longe dignissimus. Exuviis terrae matris gremio illatis justa funebria fecit *D. Bartholdus Botsaccus*, Theologiae Professor celeberrimus & sacri coetus, qui in D. Petri aede colligitur, antistes maxime venerabilis. Fusius & curatius omnia, quae nos heic strictim recensuimus, enarrata leganturin disertissimo programmate ad funeris sollemnia scripto, quod ne cum aliis huiusmodi palantibus chartis intercideret, summus vir *D. Henricus Pippingus*, sacrorum in aula Electorali Saxonica Praesul Consistorianus iudicio delegit ac sacris scriniis illatum, in quibus septuaginta Theologorum ac septem alterius quidem ordinis, sed sacris tamen studiis atque operibus illustrium virorum memoriae servantur, a situ & oblivione vindicavit.

Habitu corporis erat Francus robusto ac procero, statura firma & in decoram gravitatem erecta. Facies ei aperta, plena, & mixtam cum lepore humanitatem spirans; oris mira concinnitas genarum roseo nitore adornata, vox acuta & ex meraciori potu, cum aetas ingravesceret, nonnihil stridens, sonora tamen & auribus perceptu non insuavis; oculorum obtutus comitatem prae se ferebat & placidam mansuetudinem, qua vultus primo adspectu severioris lineamenta temperarentur; supercilia nec fastum notabant, nec indignationem, sed in sinus leniter inflexos arcuata, quasi gemina iride coronabant festiva oculorum lumina; frontis eximius decor in serenam suavitatem exporrectus conciliandis sibi omnium animis a natura factus videbatur. Ut verbo complectar: aut in hoc, aut in nullo alio observares illam filiis suis tantopere abs Hippocrate commendatam habitus ac moris elegantiam, adeo in ejus formatione omnia viderentur conspirasse summa concordia, ut gratiosus plane ac omnibus humanae perfectionis numeris absolutus Me-

dicus nasceretur. Vestitu utebatur commodo cumprimis, & qui corporis dignitatem deceret, ut nec in aulis versantem profusior luxus invidiae palatinorum exponeret, nec in castris inficerent sordes stratioticae, neque quidquam esset in eo ineptiae paedagogicae (vulgus pedantismum vocat) ubi inter Academicos versaretur. In animi dotibus recolendis, cum ex antea commemoratis facile colligantur, vela licebit contrahere. Ingenium, quod a natura nactus erat amoenum, perspicax, subtile & difficillimis etiam rerum momentis pertractandis idoneum, studio liberali ita perfecerat, ut nihil ei esset abstrusum, nihil inaccessum, & de omnibus, quae ad scientias quidquam attinent, ubi occasio daretur, differeret copiose, lucemque afferret sine mora obscurissimis disceptationibus, si eo praesente agerentur. Juvenem ad se suavitate sua pertraxerant amoeniorum literarum studia, ut ad criticen usque processerit ac saepenumero corrupta in Graecis ac Latinis auctoribus loca ex ingenio emendaverit, quem in has delicias amorem neque pragmaticum postea vitae genus, neque corporis senio debilitati taedia potuerunt extinguere. Poeticae facultatis praecipue fuit compos, & extemporali facilitate versiculos effudit citius, quam alii admorsis ad sanguinem unguibus longo studio conficerent. Philosophiam, qualis hodie nitore & concinnitate spectabilis docetur, parcius attigit, praeterquam illam rerum naturalium formas ac mutationes prosequentem, quam accurato utique studio pervestigavit, & probe perspecta utriusque mundi ejusque partium historia aditum sibi paravit planum & expeditum, ad recondita atque abstrusa artis, in qua eminuit, mysteria. His initiatus, & in cadaverum sectionibus, plantarum & hyles iatricae cognitione, chemicisque laboribus probe exercitatus nihil habuit antiquius, nisi ut morborum naturam prius intelligeret, quam ad illos curandos provehereteur, neque cruda & immatura studia propelleret ad lectulos decumbentium, sed optimos & peritissimos sectatus magistros, perspectis demum atque accurate expensis rerum agendarum momentis, ad praxin

clini-

clinicam procederet. Salse ridebat saepenumero insipientiam eorum, qui ad consultationes vocati, ubi de proximo morbi genere constituendo tractatio est, saltim esse debet, in alia omnia dilapsi de triplicis elementi particulis garriunt, de hamatis, de striatis, de poris aetheri peregrino impervüs, quasi inter occultas veterum qualitates, quas ineptissimo risu exagitant, & hanc mirabilem peregrini moris ætherem quidquam differentiae intercederet: denique si nihil istaec omnia ad rem profitearis, aures tibi commentis frigidissimis obtundunt, & moleculas suas vel centies ingerunt ipso nomine monstrosas, cum nemo, cui sincipur sanum est, gigantulas vel procellulas serio dixerit. Certe qui haec luxuriantis ingenii commenta quidquam ad morbos sanandos conferre somniant, hos eodem ferme vesaniae genere correptos apparet, quo illi agitarentur, qui Tullii aliquam orationem aut Maronis Aeneida in prima literarum elementa discerptas verius, quam resolutas, adolescentibus ridicula ostentatione exponerent, & in miro artificio sibi ac sagacitati suae plauderent, in hoc uno potissimas Poetae atque Oratoris partes contineri & maxime absolvi clamitantes. Incongruum est omne, quod e longinquo petitur, cum salus hominum in discrimine versatur, subsidium; nec remotissimae hujusmodi ab affectus natura ideae ad eum curandum ducunt; abducunt magis & impediunt, immo (quod Thaleri contigit nocturna deambulatione sidera contemplanti, cum viae potius salebras deberet) in foveam praecipitant. Propius debent nosci valetudinis hostes, cum quibus cominus est pugnandum, si debellare velis & victos in triumphum ducere. Hac in re, si verum fateri velimus, immane quantum dicemus praestitisse felicia artis nostrae conditorum ingenia novorum hominum arrogantiae, quorum sciolis & frivolis plerumque vitilitigationibus eo fere nostris temporibus res devenerat, ut vera genuinaque medicandi ratio inter amissa ac deperdita reputaretur. Veruntamen quae laeta est negotiorum subinde conclamatorum conversio, excitati tanquam a veterno praeclarissimorum hujus aetatis virorum

animi

animi fortiter ſeſe opponunt futilibus ſtrophis jam ad meram barbariem proclivibus, & viam multo abhinc tempore deſertam relegunt monſtrantque diſcendi cupidis, qui calcata a Patribus veſtigia premendo per accuratas morborum ac ſymptomatum obſervationes, praeſidiaque iisdem ratione applicata recte ac feliciter in artis operibus diſcunt progredi. Non alia ratione ad illum famae & praeclare factorum, quem in arte obtinuit, apicem graſſatus eſt Francus; neque alio itinere alumnos deduxit, quorum ſane plurimi ex ejus ſchola egreſſi optato utique ſucceſſu medicinam faciunt, & in civitatibus, in Academiis, in Regum Principumque palatiis gratiſſima cum meritorum tanti praeceptoris commemoratione verſantur. Neque inter haec duntaxat pomoeria ſeſe continere poterat magnus noſtri animus; in omnem, quacunque patet, doctrinarum ambitum diffuſus; juris etiam prudentiam, quae ſororio in quamplurimis nexu arti noſtrae jungitur, ſtudio pertinaci attigerat, adeo ut amici ſui *Joannis Wolfgangi Textoris*, JCti celeberrimi ſuaſu & conſilio oblatam lauream ſupremi in jure utroque honoris indicem pene fuiſſet paſſus vertici ſuo imponi, niſi ſatius duxiſſet mereri ejusmodi ornamenta quam adipiſci. Egregiae certe acceſſiones, quibus praeclarum *Pauli Zachiae* de quaeſtionibus medico-legalibus opus locupletavit, ſatis loquuntur ad omnia ſufficientis vigorem ingenii. De ſacris ſtudiis non dubitabit, qui exegeticos in divinum codicem commentarios cogitaverit, quorum e plus quam ter mille auctoribus congeſtorum molem in plura volumina novimus excreviſſe. Scriptorum, ſaltem praecipuorum, ſeriem heic recenſeremus, a filio jam duodecimo abhinc anno peculiari ſyntagmate conſignatam, niſi ea commodius ad calcem hujus ſcriptionis ſubjecta legi poſſe, in proclivi eſſet judicare. Hac induſtriae in omni doctrinarum encyclopaedia exercitatae conſcientia, nunquam fuit inflatus Georgii animus, ut potius ſpicae in morem granorum copia turgidae caput demitteret, quod alii, in quibus nihil aut parum eſt bonae frugis, ridendo faſtu attollunt & immenſos, niſi

dis

diis displiceret, eruditionis suae fines soli ac sine aemulo admirantur. Norunt omnes, quibus Francum nosse datum fuit, quam festivo fuerit vir amoenissimus ingenio, quam referto salibus & lepore mirifico, ut ejus consuetudine non nisi invitissime carerent, quibus semel facta fuisset suavissimarum cum eo confabulationum copia, essetque eam ob rem non minus gratus genio virorum Principum, quam ob medendi peritiam, qua pollebat prorsus singulari. Nihil enim magis decet curandae mortalium salutis artificem, quam haec moris suavitas & elegantia, qua mirum in modum mulcentur depressi aegrotantium animi, & dolore angoribusque misere confecti recreantur. Solent, qui ita sunt affecti, erga omnes esse benefici & obvia humanitate venientes opemque implorantes excipere. Franco nihil humanius, qui sive consilio esset opus, sive officio, nunquam deseruit horum indigos, & saepe cum dispendio rei familiaris juvit egenos, etiam qui pudore intempestivo retenti mala, quibus consumerentur, nollent exponere. Nemo ab ejus adspectu tristis recessit unquam; nemo cui dicta aut facta nostri graviter ceciderint, aut quacunque in re fuerint damnosa; e contrario nullas est in vita defugisse visus curarum sollicitudines, laborumque molestias, non alio consilio, nisi ut opitularetur ejus auxilia implorantibus, & quacunque opera de clinicis, de re publica, de universis bene liberaliterque mereretur. Virtutum chorum, quarum sane nulla in Franco desiderabatur, coronabat religiosa in DEVM pietas, complementum ac cynosura ceterarum omnium, quae in mente nostri sedem ac domicilium invenerant. Haec una, cum ceterarum monumenta dispereant, superstes coelo intulit ac beatarum mentium habitationibus animam Servatoris gratia ac merito a naevis, qui humanae conditioni obhaeserant, perpurgatam. Haec & hujus vitae commodorum & aeternitatis promissionem habens, felicem modis omnibus reddidit ac verorum copia bonorum affluentem, animumque in adversis aeque ac prosperis constanti serenitate gaudentem immortalitati consecravit. Fuit autem

haec non fucata, qualis est apud multos, sed sincera prorsus & notis insignis omnibus, quae ad discernenda a vero simulata requiruntur. Ab eo sane tempore, quo matrimonium celebravit, sacrum Bibliorum codicem septuagies quinquies perhibetur a capite ad calcem pio studio perlegisse, quod probe sciret prospera omnia DEVM ac divina amantibus, adversa & tristia spernentibus evenire, adeoque primam esse patrisamilias curam gerendam, ut & ipse majores cotidie in animi sanctimonia profectus sentiat, & suis exemplo sit, ac facem praeferat ad vitae hujus curriculum summa fidei ac probitatis contentione emetiendum. Neque lectione solum vaga & perfunctoria fuit delectatus; exegeticae istae, de quibus supra dictum, commentationes fidem faciant, quantam adhibuerit curam, ut nihil intelligentiam fugeret eorum, quae difficiliora possent haberi, & crucem figerent interpretibus. Hac cum esset mente, tametsi plures haberet Saxoniam relinquendi caussas, eam tamen principem fuisse novimus, quod, cum propius intueretur, qua paucorum hominum vafritie & technis, ceterorum vaecordia & simplicitate, insulsi de secta pietaticultrice clamores in vulgus exirent, nihil tamen efficere poterat auctoritate ac salutaribus monitis, ut, quod optandum unice erat, propudiosae litis contentio in herba suffocaretur. Advenerat enim Vitembergam eo tempore, cum invenusta faba, pene fabulam dixissem, cuderetur, nec erat obscurum, cujus exitio ea esset destinata; unde quae turbarum semina infaustum germen esset productum, quo erat judicio & perspicacia, facile praevidebat, & ut insubidos animorum impotentium motus quovis modo compesceret, summo opere ac viribus nitebatur. Cum nihil efficeret, dolebat serio saeculi infelicitatem, cujus uti primordia ridiculis de fraternitate rhodostaurotica commentis essent foedata, ita nunc termini fraudibus haut paullo magis perniciosis a cohortis impietisticae fratribus contaminarentur. Igitur rei motus indignitate ac molestiarum pertaesus DEO, cui semper adhaeserat, se suaque omnia animo prorsus tranquillo resignabat,

bat, ejusque nutum, cum in Daniam vocaret, nihil quidquam obluctans aut refragatus sequebatur, ea cogitatione inter alia se firmans, breviorem ad polos & plane expeditam esse viam e septemtrionibus. Nos augurii veritatem ex eventu aestimantes, ut aeternum bene sit animae, si qua fuit unquam, desideratissimae pio voto ac precibus obsecramus, ejusdemque, quam luctu hactenus ac suspiriis sumus prosequuti, nunc erectis in laetiora animis veneramur immortalitatem. In cujus considerationem defixa mens heic sane altius exsurgeret & barbito correpto, quod prorsa occoepit, vorsa ad finem oratione terminaret elogium, nisi affinis *C. V. Rodriguezii* Musa praelusisset elegantissimo carmine, quo, tanquam fulgenti gemmula, haec obsignamus:

Phoebe Pater, seu te tua possidet insula Delos,
Aut Paros Aegeis insinuata vadis;
Sive sacra inspiras cortinae murmura Delphis,
Vocalemve tuo reddis ab ore Claron;
Sive legis teneras in monte bivertice frondes,
Atque Aganippeo perpluis imbre caput,
Facundaeque agili plectuntur pectine chordae,
Et socias animant, numina casta, deas;
Sive salutiferas arcessis ab Iside vires,
Poculaque infestam frangere nata luem,
Afficiant te si qua tuae dispendia gentis,
Et valeant pectus dilacerasse tuum,
Deliciis absiste tuis: involve nigranti
Fastiditum ebur & lumina moesta peplo.
Pulverea flavos caligine perde capillos,
Forficis aut atri dente premente seca.
Frange viam pullae, qua repis, syrmate vestis,
Plange sinus, tunicam deripe, tunde genas,
Buxeus ora, pio confectus pectora questu,
Inque meras lacrumis colliquefactus aquas.

Qualis cum trifidis proles, Epidaurius, armis
A Jove fulmineo percuteretur, eras.
Obriguit tandem, compostus & ossa feretro
Ille tuum excessit Phillyridumque decus.
Nec juvat instantem naulo spoliasse Charontem,
Et Lachesi longas praecipuisse moras.
Nec juvat in multas vitam eduxisse palaestras,
Ingenioque ipsos corripuisse deos.
Nec juvat Astraeae servasse in lancibus aequum,
Atque animi nunquam contemerasse nives.
Denique nulla juvant laudum religata corymbis
Nomina & in varium dicta solis iter.
FRANCVS eheu! riguit, cineresque per omnia sparsit
Germina Poeonio nata, vel aucta, choro,
Languefacitque gravi medicos uredine campos,
Et poterunt herbae cum moriente mori.
Jam sibi laxatas Libitina arreptat habenas,
Invehiturque altis imperiosa rotis.
Convocat & famulos, examina pallida, morbos,
Jam volvens animo liberiore neces.
Hinc proreptat hydrops, & putres bajulat undas,
Inde ruunt clausis tormina coeca minis.
Hinc nova febriles cudunt incendia flammae,
Inde parat croceis icterus ire genis.
Colligit hinc nebulas vertigo, caputque rotare
Instituit, mentis subruitura domos.
Inde coquit lentum scelotyrbe, verna trionum,
Virus, in indigenas perniciosa suos
Undique morborum nova concipit Ilias ausa,
Atque sibi membrum quisque rebelle legit.
Quoque magis possint vitae convellere stamen,
Et trahere ultores in sua vota deos,
Funere cum tanto Themidi subducere lances
Mors velit, ut recti commoriatur amor.

At vos mentitis petulantes viribus hoſtes,
Tuque dea aeterna nocte revincta caput,
In mera quaeſitis juratis funera cauſſis?
Creditis hos vobis reddere frena rogos?
In vanum conatus abit. Qui foſſus ab ictu
Mortis amat ſolio cominus ire Jovis,
Se totum expreſſa compegit imagine terris;
Implebit, vindex nominis, illa vices,
Non aliter Pharius ſeſe ipſe reſeminat ales,
Ac ſuperum incurrunt nomina magna plagis;
Vt conſanguineis FRANCVS ſeſe intulit aſtris
Quo teneat vultu proximiore DEVM.
In geminum heredem junctos diſtinxit honores,
Filius ut junctim reddat uterque patrem.
Juſtitiae templum conſervandumque tribunal
Alter adit; medicam porrigit alter opem.

SCRIPTORVM
A GEORGIO FRANCO
DE FRANKENAV
OPERVM AC SCHEDIASMATVM
SYLLABVS.

EDITA.

Disputatio *de Colica*, sub praesidio *Jo. Alb. Sebizii*, habita *Argent.* 1665. Q.
Inauguralis *de Pleuritide. ibid.* 1666. Q.
Lexicon Plantarum usualium. *ibid.* 1672. D.
Flora Francica. *ibid.* 1685. D.
Programma botanicum *Florae Napaeisque* sacratum. *Heidelb.* 1677. F.
Aliud *genio naturae* sacrum. *ibid.* 1678. F.
Floralia terrae Palatinae, ubi *de re herbaria*, ejusque *scriptoribus*, *hortis medicis*, *creophagia* antediluviana &c. *ibid.* 1679. Q.
Viridaria agri Heidelbergensis, in quibus *de palingenesia* plantarum, animalium, hominum. *ibid.* 1680. Q.
Chloris Palatina, *de insitione* plurium arborum in unam, *ac de iconibus* plantarum. *ibid.* 1681. Q.
Antheſphoria Palatina, ex antiquitate ad *rem herbariam* adplicata. *ibid.* 1683. F.
Ambarvalia Heidelbergensia, ubi de *fratribus arvalibus*, solitaurilibus, suovetaurilibus &c. *ibid.* 1687. Q.
Synopsis *institutionum* Medicinae. *ibid.* 1672. D.
Methodus docendi *Medicinam. ibid.* - - - D.
Delineatio communis *dosium* medicamentorum. *ibid.* - - - D.
Dissertatio Principalis *de Haemorrhoidibus. ibid.* 1672. Q.
De *Musicae* usu in morbis. *ibid.* 1672. D.
De *Restitutione in integrum*, seu chirurgia curtorum. *ibid.* 1672. Q.
De *umbilico*, vasis umbilicalibus, secundinis. *ibid.* 1673. Q.
Inauguralis de *Abortu. ibid.* 1673. Q.
Inauguralis de *suffocatione hypochondriaca. ibid.* 1673. Q.
Inauguralis de *Philtris. ibid.* 1673. Q.

De *Saliva* & vasis salivalibus. *ibid.* 1673. Q.
Inauguralis de *sterilitate* muliebri. *ibid.* 1673. Q.
De *Alapis* earumque usu in morbis & noxa. *ibid.* 1674 Q.
De *Lupanaribus* ex Republica proscribendis & *semine* virili. *ibid.* 1674. Q.
Inauguralis de *Febre militum* diaetetica. *ibid.* 1674. Q.
Inauguralis de *Soldanella*. *ibid.* 1674. Q.
Inauguralis de *Scorbuto*. *ibid.* 1674. Q.
Inauguralis de *amputatione* artuum. *ibid* 1675. Q.
Oratio de *Studiorum* noxa. *ibid.* 1675. Q.
Satyra Medica, de *Praeputio*, *Hymene*, *Phoenice*, *Agno vegetabili*, *Pullitie* Aegyptiorum, *Homunculo* Paracelsi aliisque in Physica & Medicina fabulis. *ibid.* 1673. Q.
Satyrae Medicae continuatio I. de *castratione* mulierum, *succino* & *venae* sectione. *ibid.* 1673. 1677. Q.
Continuatio II. de *Purgantibus* per auditum, adspectum, gustum, odoratum, insomnia, contrectationem, inunctionem, chirurgiam infusoriam &c. agentibus, it. de *Crystalli* natura. *ibid.* 1674. Q.
Continuatio III. de generatione ac partu *impuberum*, de fetu gravido, & *mortua* pariente. *ibid.* 1674. Q.
IV. de *Testium* substantia in viris ac mulieribus. *ibid.* 1674. Q.
V. de sanguinis *menstrui* natura & curiosis. *ibid.* 1674. Q.
VI. de defectu *partium nobiliorum*, vita salva. *ibid.* 1675. Q.
VII. de *Anguillis*, laxatione *ossium pubis* in puerperis, & *methodo medendi* in compendium redigenda. *ibid.* 1675. Q.
VIII. de *vaticiniis* futurorum in aegris *ibid.* 1675. Q.
IX. de *Linguis* peregrinis e morbo infusis. *ibid.* 1676. Q.
X. de *auribus* humanis mobilibus. *ibid.* 1676. Q.
XI. de noxis asserculorum, a Gallis *Planchettes* vocatorum. *ibid.* 1676. Q.
XII. de *Superfetatione*. *ibid.* 1676. Q.
XIII. de *Terra* Lemnia. *ibid.* 1676. Q.
XIV. de triplici *Lacte* virginis, Physiologico, Therapeutico & Physico. *ibid.* 1678. Q.
XV. de *Vitro* & hyalophagis. *ibid.* 1678. Q.
XVI. de *Rachitide* & Cometis. *ibid.* 1680. Q.
XVII. quamdiu sit *dormiendum*? *ibid.* 1681. Q.
XVIII. de *Ovis* Paschalibus. *ibid.* 1681. Q.
XIX. de *Frenuli* sublingualis incisione. *ibid.* 1682. Q.
Tractatio Philologico-Medica de *Cornutis*. *ibid.* 1676. Q.

Dispu-

Disputatio inauguralis de *Carbunculo*. *ibid*. 1682. Q.
Alia de *Nakir* Arabum. *ibid*. 1684. Q.
Agonismata Physico-Medica I. de potu *aquarum* coctarum, topicis *stomachicis*, elective *purgantibus*, *pilularum* imparitate, *convulsionibus*, *meconio*, *catarrhis* hieme collectis. *ibid*. 1682. Q.
Agonismata Physico-Medica II. de *transplantatione*, *variolis*, *tussi*, pinguedinis *lucii* inunctione, signis e *lingua* petendis. *ibid*. 1682. Q.
Agonismata III. de *formulis* medicamentorum sesquipedalibus, *pretiosis* cordialibus, *pleuritide* verna, *antimonii diaphoretici* noxa. *ibid*. 1682. Q.
IV. de *Obstetricum* inscitia, *superstitione*, *uroscopiae* fraudibus, *lienis* morbo, *agyrtarum* audacia, liberorum pharmaca horrentium *contumacia*, de *collo* contra catarrhos muniendo. *ibid*. 1682. Q.
V. de *scabie* capitis, *Chirurgiae* praestantia, *septo cordis* pervio, *febrifugis*. *ibid*. 1682. Q.
VI. de Imprudentia in *Venaesectione* & ad eam instrumentis, de *siti* hydropicorum immani. *ibid*. 1682. Q.
VII. de *Clysterum* usu multiplici, eorumque pudicis injiciendorum ratione, de diverso *partium* situ. *ibid*. 1683. Q.
VIII. de *Clysterum* numero, usu in *dysenteria*, & circa eosdem cautelis, de rejectione eorum per os, de *fonticulo* in hydrocephalo & catarrhis sanandis, de numero *dejectionum* & purgante. *ibid*. 1683. Q.
IX. de *cardiaca* infantum, nugis *obstetricum* & *susceptorum*, querelis *practicorum* & *methodo* medendi. *ibid*. 1683. Q.
X. de *Physicae* necessitate, nugis circa morbos *puerperarum*, erroribus circa *nutrices* ac *susceptores*, ridiculo *erysipelatis* remedio. *ibid*. 1683. Q.
XI. de *Paresi* & medicamentorum *simplicium* laudibus. *ibid*. 1683. Q.
Disputatio privato-publica I. de *Nervis*, *nutrimento* partium, *eclipsibus* lunaribus, *fluviorum* origine & arte *culinaria*. *ibid*. 1679. F.
Disputatio II. de *calido* innato, *concoctione* ab acido, *animalium* origine ex putredine, *astrorum* influxu, *plantis* sensitivis, *naevis*, *Musicae* usu in morbis. *ibid*. 1679. F.
III. de transmutatione *metallorum*, spiritu *panis* & a pane abhorrentibus. *ibid*. 1679. F.
IV. de *acido* in aere & alimentis, *felle* columbarum, *glandularum* divisione, *liene* melancholiae sede, *glandula pineali*, & *anguillarum* productione. *ibid*. 1679. F.
V. de *Uromantia* & praestantiae *Medicos* inter ac *Jctos* certamine. *ibid*. 1679. F.

VI. de

VI. de *aëris* ſubtilitate & noxa, *aquis* deſtillatis, *cerumine. ibid.* 1679. F.
VII. de nutrimento *aquarum* ex animalibus deſtillatarum, *morbis* ſupernaturalibus, *coena* & *prandio. ibid.* 1680. F.
Collegii diſputatorii ad Inſtitutiones medicas *Conamen* I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. *ibid.* 1686. 1687. Q.
Bona nova *Anatomica. ibid.* 1686. Q.
De morbis acutis *gravidarum. ibid.* 1684. Q.
De praecipuis *Anatomicis. ibid.* 1679. Q.
Parva Bibliotheca *Zootomica. ibid.* 1680. Q.
De *autopſia* & *iconibus* anatomicis &c. *ibid.* 1683. Q.
Programma ad exercitationes anatomicas. *ibid.* 1685. Q.
Aliud lingua vernaeula conſcriptum. *ibid.* 1681. F.
Diſſertatio inauguralis de *Atrophia. ibid.* 1683. Q.
Alia de *Apoplexia. ibid.* 1676. Q.
Alia de *Medico* monſtroſo. *ibid.* 1677. Q.
Alia de *Phthiriaſi. ibid.* 1680. Q.
Alia de *Mola. ibid.* 1680. Q.
Alia de *Millepedibus. ibid.* 1679. Q.
Alia de *Mania. ibid.* 1680. Q.
Alia de *Naſo. ibid.* 1679. Q.
Alia de *Hectica. ibid.* 1679. Q.
Alia de morbo *virgineo. ibid.* 1680. Q.
Alia de *partu* difficili. *ibid.* 1680. Q.
Alia de *ambuſtis. ibid.* 1681. Q.
Alia de *halitu* humano. *ibid.* 1681. Q.
Alia de *Riſu* Sardonio. *ibid.* 1683. Q.
Alia de *Colica. ibid.* 1681. Q.
Diſſertatio de *Coryza. ibid.* 1685. Q.
Inauguralis de *empyemate* ex pleuritide. *ibid.* 1685. Q.
Alia de malo *citreo. ibid.* 1686. Q.
Alia de primaria *cauſſa* morborum. *ibid.* 1686. Q.
Alia de *Dyſuria* ad ſtranguriam vergente. *ibid.* 1686. Q.
Alia de *labiis* leporinis. *ibid.* 1686. Q.
Alia de *verrucis. ibid.* 1688. Q.
De *calumniis* in Medicos & Medicinam. *ibid.* 1686. F.
De *Medico*, ubi Phyſicus deſinit, incipiente. *ibid.* 1686. F.
De Medicina *Magnetica* Guil. *Maxvelli* liber a Georgio *Franco* primum editus. *Francof.* 1679. D.
Lapicidinae Microcoſmi praeludium. *Heidelberg.* 1685. Q.

Lapicidina Microcoſmi in *Capite. ibid.* 1688. Q.
Lapicidina Microcoſmi in *Thorace. ibid.* 1689. Q.
Paulli *Zachiae* Quaeſtiones medico-legales cum notis Caſp. *Ziegleri*, Henr. *Cocceji*, Ulric. *Huberi*, Henr. Gunth. *Thulemarii* & Georg. *Franci*. *Francof.* 1688. F.
Mich. *Etmulleri* Opera cum Georg. *Franci* praefatione. *ibid.* 1688. F.
Ovidii *Montalbani* Dendrologia, cum Praefatione *Ejusdem*, *ibid.* 1690. F.
Chriſtiani *Langii* opera cum G. *Franci* praefatione. *ibid.* 1688. Q.
De *Academiis* Europae. *Heidelberg.* 1678. F.
Programma ad Orationem de *Heidelbergenſis* Academiae ortu & progreſſu. *ibid.* 1686. F.
Invitatio ad tertium Academiae *ſaeculare* feſtum. *ibid.* 1686. F.
Comparatio *Medicinae* cum Oceano. *ibid.* 1678. F.
De origine *Feudorum* & claris eorum ſcriptoribus. *ibid.* 1678. F.
Programma ad lectionem de *Veneris* noxa. *ibid.* 1677. F.
Programma ad orationem de *ſalute Reipubl.* Medica. *Vitemb.* 1690. F.
Diſſertatio inauguralis de *Syphilide. ibid.* 1690. Q.
Alia de flumine *dyſenterico. ibid.* 1690. Q.
Alia de *Hydrope* aſcite. *ibid.* 1690. Q.
Alia de *Theriaca* coeleſti. *ibid.* 1691. Q.
Alia de *variolis. ibid.* 1692. Q.
Diſſertatio epiſtolica de *Medicis* Philologis. *ibid.* 1691. Q.
Programma *decanale* in honorem X. Medicinae Doctorum conſcriptum. *ibid.* 1691. F.
Sole oriente hilaritas publica. Ad Sereniſſimum Saxoniae Electorem JOANNEM GEORGIVM IV. regiminis auſpicia capientem *allocutio* G. *Franci* Academiae Vitemb. Rectoris Magnifici. *Dresd.* 1692. F.
Obſervationes Phyſico-medicas *Ephemeridibus* noſtris illatas heic non recenſemus, cum in Decuriarum priorum indice facili opera poſſint requiri.
Conſulto etiam, quae ab anno MDCXCII. edidit, heic praeterimus, cum de iis certi nihil habeamus compertum.

INEDITA.

Conſiliorum & *Reſponſorum* Medicorum aliquot volumina.
Faviſſae *Medicae* ac *Phyſicae* VIII. voluminibus comprehenſae.
De *vitis Medicorum* quavis aetate Illuſtrium opus magni laboris in III. volumina digeſtum.
Obſervationum Medicarum tomi II. ingens experientiae jatricae theſaurus plurium annorum, quibus praxin feliciſſimam exercuit, induſtria collectus. *Carmi-*

Carminum diverſis temporibus ſcriptorum, ex quibus pauciſſima lucem viderunt, III. tomi.

Orationes varii generis ac *Programmata* tam ſuo, quam aliorum nomine propoſita, II. incluſa voluminibus.

Animadverſiones in XII. Caeſarum hiſtoriam a *Suetonio* ſcriptam, quibus ea praecipue, quae Phyſici aut Medici ſunt argumenti, attinguntur.

In *Coelium Aurelianum* notae bonae frugis pleniſſimae & cumprimis expetendae.

Epiſtolae *Ariſtaeneti* eroticae, cum MSto codice *Jo. Sambuci* collatae, & *Petri Lambecii* ineditis hactenus annotationibus illuſtratae, cui ſuas adjecit *Noſter*, fructum ſtudii juvenilis doctrina atque amoenitate praeſtantem.

Obſervationes in *Linguam* & Poeſin *Germanicam*.

Commentarii in *ſacram Scripturam* exegetici, de quibus in elogio dictum.

Epiſtolarum ad Reges, Principes, Magnates, horumque reſponſoriae ſpiſſo ſatis volumini illatae.

IV. Volumina *Epiſtolarum* ad eruditos cujusvis ordinis, in omnibus Europae, & extra eam, angulis latitantes perſcriptarum, una cum reſponſoriis. Opus elegantiſſima rerum varietate & ſelectu prae ceteris commendabile. Nomina omnium, qui commercii hujus epiſtolaris conſortes fuere, anguſtiores chartae termini non caperent. Aliqua ſaltem heic deſignari, non abs re eſt futurum, ex quibus de ceteris pronum ſit judicare. Sunt autem iſta nullo alio, quam alphabetico praeter propter ordine diſpoſita: Jo. Henr. *Agerius*, Jo. Frid. *Almacher*, Theod. Janſonius ab *Almeloveen*, Paul. *Ammanus*, Jo. Sam. *Anhorn* ab Hartwiſſ; Thom. *Bartholinus* P. Caſp. *Bartholinus* F. Jo. Caſp. *Bauhinus*, Nic. Guil. *Beckers*, L. B. a Walhorn, Jo. Ferdin. a *Behamb*, Jo. Nic. *Binningerus*, Reinoldus *Blumius*, Jo. Frid. *Boekelmanus*, Jo. *Bohnius*, Ol. *Borrichius*, Barthold. *Botſaccus*, Robert. *Boyle*, Clem. Joſ. *Brechtius*, Ol. *Bromelius*, Jac. Panc. *Bruno*, Dan. *Bſcherer*, Jo. Rad. *Burcardus*; El. Rudolf. *Camerarius*, Rud. *Camerarius* F. Jo. Georg. *Cariſius*, Frid. Ben. *Carpzovius*, Moyſes *Charas*, Urb. *Chevraeus*, Andr. *Cleyerus*, Jo. Laur. *Crollius*; Jo. *Dolaeus*, Jo. Dan. *Dorſtenius*; Al. Maurit. *Eggerdes*, Huld. ab *Eyben*, Henr. *Eyſſonius*; Jo. Matthias *Faber*, Jo. Alb. *Fabricius*, Jo. Mich. *Febrius*, Joach. *Fellerus*, Jo. *Francus*, Jo. Arn. *Fridericius*, Mart. Frid. *Friſius*, Jo. Chriſtoph. *Frommannus*; Jo. Godefr. *Geilfuſius*, Henr. *Glaſerus*, Jo. Georg. *Graevius*, Chriſtian. *Gryphius*; Jo. Jac. *Harderus*, Jo. Henr. *Heideggerus*, Mich.

Heilandus, Godefr. *Hennike*, Magnus *Hesenthalerus*, Urban. *Hiarne*, Maur. *Hofmannus* P, Jo. Maur. *Hofmannus* F. Jo. Dan. *Horstius*, Pet. *Hotton*, Volrad. *Huxholtius*; Jo. Ferd. *Illmer* a Wartenberg, Jo. *Fonstonus*, Jo. Helfr. *Jüngken*; Mart. *Kergerus*, Athan. *Kircherus*, Eman. *Koenigius*, Jo. *Kuefferus*, Joach. *Kuhnius*; Christian. Jo. *Langius*, Jos. *Lanzonus*, Eccard. *Leichnerus*, Franc. *Leo* ab Erlsfeld, Mich. Frid. *Lochnerus*; Jo. *Mabilio*, Ant. *Magliabechius*, Marc. *Mappus*, Er. *Mauritius*, Otho *Menckenius*, Fel. Christoph. *Menzerus*, Balth. Christoph. *Metzgerus*, Jo. Sebast. *Mitternacht*, Jo. *Moeglingus*, Henr. a *Moinichen*, Dan. Guil. *Mollerus*; Dan. *Nebelius*, Laur. *Normannus*; Henr. *Oldenburgius*; Jo. *Palatius*, Guido *Patinus*, P. Car. *Patinus*, F. Matthaeus *Paulli*, Jo. Guil. *Paulli*, Georg. Christoph. *Petri* ab Hartenfels, Jo, Cunr. *Pegerus*, Jo. Christoph. *Pfeilius*, Georg. Pet. *Piererus*, Casp. *Posner*, Jo. *Prettenus*; Car. *Raygerus*, Jul. *Reichelius*, Christ. Ern. a *Reichenbach*, Sal. *Reiselius*, Jac. *Rhenferdius*, Vit. *Riedlinus*, Jo. Lud. *Ringelmanus*, Aug. Quir. *Rivinus*, Guern. *Rolfincius*; Jo. Rod. *Salzmanus*, Alb. Gunth. *Saxo*, Seb. *Schefferus*, Jo. Val. *Scheidius*, Luc. *Schroeckius*, P. Luc. *Schroeckius* F. Henr. *Screta* a Zavorziz, Melchior *Sebizius* P. Jo. Alb. *Sebizius* F. Jo. Frid. L. B. a *Seilern*, Jo. Georg. *Sommerus*, Phil. Jac. *Spenerus*, Otho *Sperlingius*, Theoph. *Spizelius*, Joach. *Stollius*, Laur. *Straussius*, Jo. Wolfg. *Textor*, Mich. Bern. *Valentini*, El. *Veielius*, Jos. du *Vernay*, Just. *Vesti*, Reinh. *Vitriarius*, Jo. Georg. *Volcamerus* P. Jo. Georg. *Volcamerus* F. Georg. Henr. *Ursinus*; Jo. Jac. *Waldschmidius*, Georg. Wolfg. *Wedelius*, Godefr. *Welschius*, Jo. Jac. *Wepferus*, Th. *Willisius*, Jo. *Winderus*, Jo. Lud. *Witzelius*, Jac. *Wolffius*, Joh. Conr. *Wolfenius*; Theod. *Zuingerus*.

LAVS

LAVS POSTHVMA
DOMINI JOANNIS BENEDICTI GRüNDELII,
Com. Palat. Cæſ. Incl. Styriæ Statuum Phyſici, & Marpurgi Practici, Acad. Cur.

dicta à

JOANNE BAPTISTA DE WENCKH,
Com. Pal. Cæſar. Inclytorum Statuum Styriæ Medico & Phyſico Græcenſi.

CElebraſtis memoriam aliquot abhinc annis Clariſſimi Doctoris Lebenwaldii, quem & Styria mea, & Academia noſtra magno dolore amiſit. Id præcipue mearum partium fuiſſet; cum non ſolum in Leopoldino Curioſorum naturæ Collegio, verum etiam in eadem Provincia, ego & talis tantusque vir civitate donaremur. Quapropter mihi nemo veſtrum vitio dabit, Collegæ gratioſiſſimi, ſi ad laudandum ex noſtra Academia A. 1705. defunctum apud nos hic virum alterum veſtris exemplis provocer. Nam ibi præcipue vigor & flos ſcientiarum aſſurgit, ubi litterarum cultores ad commendandam virtutis gloriam ſine faſtu, & oſtentatione optimis tantum ſtudiis excitantur. Itaque cum in hac Provincia Styriæ Doctorem Grundelium extuleri-mus, præter cauſas, quas ſupra attuli, & Academiae mos laudatiſſimus, & Collegæ mortui indefeſſus labor, ſcientia, merita, moresque Chriſtiani me adigunt, ut ejus vitam brevi ſermone ſumam celebrare, eo quidem majore dolore hoc mihi accidit, quo hujus jactura gravior eſt, quia pauci admodum de Curioſorum naturæ Collegio his in terris verſamur. Eſt præterea etiam dulce virtutis meminiſſe, quid, quod maxime hoc Facultatis medicæ intereſt: nam quamvis legi divinæ, ut omnes moriamur, ſuccumbat, audet tamen morti bellum indice

picere & naturam a celeritate pereundi tutiorem præstare Egit hoc noster Grundelius, atque ita egit, ut multum sane de laudibus ejus detraherem, nisi pro viribus meis vitam & gesta illustrarem.

Patria illi Silesia fuit. Possum ego hic, ut in laudibus Theodosii Imperatoris Pacatus Orator memorat Hispaniam non unum dedisse Cæsarem: Ita dicere Silesiam esse nobilissimam & facundam matrem, ex qua in nostram Academiam plures aggregati fuerunt præstantissimi Doctores. At consulto hos prætereo, ne auribus gravior oratio eveniat, præstitit hoc ante Wilhelmus Huldericus Waldschmidt, dum Joannis Danielis Majoris inferias eleganti Sermone agitabat. Qua de causa, quia potius viri celebres patriam suam ornare videntur, quam ab eadem splendorem trahere, ad alia transgredior. Inprimis omnes magna voluptate afficiemini, si dixero, quemadmodum ad Rheni oras Cæsareano exercitui Medicus gnavus, & constans, & magno labore, & non modica laude; & omnium amore triennio adfuerit: afficiemini magna voluptate credo, ibi enim sedes Collegii nostri, ibi fons, & origo: magnum est patriam ab hoste defendere, & merito victoribus gratias referre oportet, sine quibus nunquam a furore Gallico decus nostri studii, & otium litterarum, in quo minime otiosi sumus, incolumitatem haberet. Egerunt milites tot periculosis bellis, ut jugum Francicum, & gravem nimis futurumque jam Dominum a cervicibus Germanorum depellant: laboravit Grundelius, ut sani illi & vegeti servarentur, idque profecto idem, quod milites egerunt: quippe incolumis exercitus & adversum morbos optime munitus pars magna victoriæ est, quo facile cognoscetis omnes illius in militia sudores, omnesque curas in commodum Academiæ nostræ redundasse. Sed quo Imperatore hoc accidit? O dulcis sane, & longe digniſſima magni Leopoldi recordatio! Cujus Majestate tuti, cujus nomine & auspiciis semper fulgebimus. Illius miles erat, illius victoriæ, ad illum pertinuit: quidquid uspiam Grundelius indefessa cura præstabat, hæc extra otium, quia in bello. Desideratis adverto cognoscere; quomodo minime otiosus in id, quod symbolum nostrum exigit, operam suam & laborem contulerit? dicam hoc infra, si prius absolvero, quemadmodum in provinciam Styriæ adscitus fuerit. Marpurgum civitas vetus ad Dravi fluvium, Germanis Sclavisque habitatur, frequens circum nobiliras, grata, & amœna regio, & cætera, quæ in usum faciunt, abunde proveniunt: hic munus curandorum infirmorum decreverant optimates nostri & quingentos florenos in singulos annos contulerant. Quid civium amor? quid nobilitatis æstimatio? quid omnium affectus? prædicant etiamnum beneficia Medicæ artis, toties, interque tot periculosos morbos, in vicinam terram diffusa & propè cum lachrimis defuncti recordantur. Honora Medicum propter

neceſſitatem, ajunt Divini libri: adeò cœleſti teſtimonio & lege ſuperna dignitas noſtra confirmatur. Et meritò hoc expertus fuit Gründelius: quoties calidarum febrium ardorem, quæ magnopere hic loci graſſantur, extinxit, quoties febrem intermittentem? quoties tabem internam? quoties abſceſſus? quoties deſtillationes periculoſas? quoties ſanguinis rejectionem? quoties ſexcenta humani corporis mala removit, & enervavit. Conſiderantem me hæc, atque identidem perpendentem, magna ſubit admiratio, quomodo infirma plerumque valetudine aliorum ſanitati tam feliciter adjumento fuerit. Et vero, ſi quis unquam, tum profectò ego teſtis ſum, Gründelium noſtrum maximo ardore, conatuque in ſtudia incubuiſſe: voluit nimirùm tam celebratæ Academiæ ſe membrum, & verè membrum probare. Hæc dum loquor, Viri clariſſimi! in laudem veſtram liceat paruimper excurrere, & quamquam ego hujus particeps reddi videar, nemo mihi oggerat laudabilius quemque ſua facta ſilentio præterire, quam verbis comere. Sed valet etiamnum apud prudentes Cornelii Taciti de Romani Imperii ſeculo fortunato vetus doctrina: ac plerique ſuam ipſi vitam narrare fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt. Quare dicam liberius immortalem in Germania Academiam noſtram famam obtinere. Quæ in illa virorum celeberrimorum frequentia? quantus labor, & induſtria? nihil jam nationibus aliis derogem, nihil Italis, nihil Gallis, nihil Britannis, Belgisque nihil. Quoties enim nomina veſtra volvo, atque revolvo: video me hercules tot tantosque libros à Collegis jam editos, prodeuntque tot obſervationes admirandæ, naturæ occulta miracula, morborum nova vis panditur, & nova remedia præparantur. Vtinam jam Plinius & alii viverent, qui ex omni Græcorum, Latinorumque Authorum turba innumera propè congeſſerant: cernerent profecto, ſe multa ignoraſſe, multa in vanum jactaſſe, & quos ut barbaros æſtimarunt Romani, hodie apud eosdem & Apollinem, & omnes ſcientiarum Deos, Deasque reſidere. Agitis inſuper hoc viri illuſtres, ut tantopere haud amplius opus ſit. Cives noſtros ad Medicinæ artem addiſcendam alienas terras petere: veniant potius alii, & quid Germania poſſit, videant ac experiantur. Ut vero iterum ad noſtrum Grundelium redeam, illuſtravit Academiam variis & elegantibus opuſculis, atque obſervationibus, quæ, ut in more poſitum eſt, a vobis in lucem edebantur. Acidulæ ſunt & aquæ in hac patria, illæ ſumentibus, hæ lavantibus ſaluberrimæ, magnoque omnium uſu & fama expetuntur, de his acuros libros vulgavit, multaque, quæ nemo obſervaſſe etiamnum viſus eſt, & ingenioſe, & ſolide elucubravit. Hæc ſummatim dixiſſe de viro admodum erudito mihique chariſſimo ſufficit: quamquam libenter plura dicerem, ſi perinde, ut aliis ita mihi cognita forent.

Habeo:

Habet ille jam otium apud ſuperos immortale, quemadmodum ſperamus, & longe jucundiſſimum: poſteaquam inter has mundi viciſſitudines minime otioſus, velut leges noſtræ exigunt, magna commendatione vitam traduxit. Quid ſupereſt? niſi ut conditis ſub terram oſſibus elogium addam: legite D. D. Collegæ & boni conſulite.

Hic jacet, per quem multi non jacent,
Dominus Benedictus Joannes Grïndelius,
Phyſicus:
Ideſt rerum naturalium explorator,
Necmagis has ſcire poterat, niſi ipſa viſcera terræ,
penetraret.
Noverit has jam anima, & in Deo videbit.
Medicus mirus:
Mortem & Martem aggreſſus;
Ne Mars Auſtriacus ægrotaret, caſtra acceſſit;
Vt plures hoſtium morerentur.
Academicus curioſus:
Maxima illi cura fuit bene mori.
Ne quidquam clamamus,
Medice cura te ipſum.
Paucæ tamen Medicinæ utiles erunt,
Mercurius dulcis, ſeu dulcis memoria:
Habebis hanc apud poſteros ob virtutes.
Lapis medicamentoſus Crollii
Contra ulcera & putredinem:
Dum vel ipſe lapis ſepulchralis
Ab injuria temporum putreſceret,
Nomen in Academia non peribit.
Tria habes otia:
Unum à laboribus in terra, alterum corpus ſub terra,
Tertium anima in Cœlo.
Quieſce:
Donec tuba ſpargens ſonum.
Coget omnes ante thronum.

INDEX

INDEX
Rerum & Obſervationum, in Centuria I. & II. contentarum.

A.

Abdomen introrſum tractum pag. 432.
Abortus venæſectione impeditus pag. 192. App.
Abſceſſus abdominis gravis curatus 202.
inguinalis ſingularis 214.
Acicula deglutitæ cum urina excretio 111.
Acidula Würtembergicæ 358.
Acmellæ uſus. 285. App.
Acus crinalis tartaro obducta è veſica extracta 183.
Alcali Vitriolatum 403.
Allantoides tunicæ conſtitutio. 433
Allium calculi præſervatorium 126.
Alvi diuturna obſtructio in Variolis indemnis 299.
fluxus periodicus. 134.
Amygdala amara quibusdam animalibus nociva 194. App.
Anneurisma arteriæ magnæ. 188.
Agina ex retentione mucinarium. 134.
Anguillæ ovarium. 153. App.
Anima rationalis quo tempore humano corpori infundatur. 130. App.
Antimonii ſulphur auratum eſt antivenereum. 46.
calces p. 415.
Antipathiæ exempla. 191. App.
Apoplexiæ epidemicæ. 4. App.
Aqua paludoſa rubicunda 193. & 209. App.
Arſenici venenum. 60.
Arteriæ aortæ adſcendentis rami quatuor 433
Arteriarum umbilicalium anatome, ibid.
Arthritis anomala 341.
epidemica. 12. App.
Arthritidis genuina ac certa curatio 151.
Aſthma a ſcirrho pulmonum 220.
Aſthmaticorũ ſalus a veſicatoriis 333.
Aſtrologiæ judiciariæ vanitas 251.
Auri fulminantis virtus 276.
maturatio ſolis calore 380.
Crocus ſubtilis 401.
Aurum in ventriculis Anatum, 382.
Auricula monſtroſa. 248.

B.

Barometri moderna augmenta 373.
Bezoardici lapidis uſus 63. App.
Bilis in veſicula fellis lapideſcens. 128

Boum pinguefactio 52.
Bullarum in Chalybis solutione emergentium consideratio 141.
Butyri acredo 58.

C.

Caapeba plantæ descriptio & usus Medicus App. 254. seqq.
Cachexia à corruptione viscerum. 217
Calculi biliarii 128. 317.
incerta diagnosis 200. App.
Calculus sub lingua. 197. App.
maxillæ. 136.
vesicæ singularis 130.
uteri fungiformis 187.
Calculosi anatome 102.
Cancer faciei letalis à Variolis 249.
Canstadienses aquæ medicatæ. 358.
Cardialgia letalis. 185. App.
Caruncula in urethra. 143. 200.
Casu ab alto oppressorum anatome, 287.
Casus letalis. 287.
Cataractæ causa & natura 426.
Catarrhi epidemici. 14. App.
Catarrhus suffocativus sternutatorio curatus. 322.
Cephalalgia ex lactatione 117.
ex verrucis duræ meningis 139.
Cerussæ internus usus noxius 300.
Chalybis usus. 141.
Chimicorum medicamentorum spirituosorum noxa. 123.
Cinnabaris triplicis convenientia 397.
Clavi species insolita 419.
Cæcitatis metastasis in Epilepsiam, 264.
Cæcitas subitanea 148.
Colica ab Abscessibus mesenterii 63.
Conchiformia Arenæ granula, 376.
Convulsivus rarus affectus 225.
Cucumerum melonipara semina 213.
Culicum generatio & remedia. 220. App.
Cupreorum vasorum noxa. 54. 58.
Cygni in ovo conservatio. 132.

D.

Decoctum antipodagricum. 253.
Delirium symptomaticum melancholicum. 39.
Dentes molares ἐπιγινομένου. 222.
Dentium quædam singularia. 200. App.
Dentitio in sene. 197. App.
Diarrhœa quædam singularia. 205. App.
Digestionis vis admiranda in quodam bajulo. 387.
Digiti sex in una manu 91. App.
Divini in morbis exempla. 231.
Dolor humeri singularis in puerpera, 149.
Dysenteria epidemica. 3. &c. App.
Dysentericæ anatome. 366.
Dysuria rara. 396.

E.

Eclipses solares morbos causant. 156. & 9. App.
Epilepsia à crure incipiens, curata. 150.
curata. 158.
matrimonio sanata. 80.
periodica lunaris. 137.
ptyalismo sanata. 272.
rara. 245.
epidemica. 7. App.
in cæcitatem desinens. 264.
Equiseti infidus usus in Calculo. 127.

Eryſipelas epidemicum. 13. App.

F.

F*Ebrilis* caloris per Thermometrum exploratio. 372.
Febris cum gravibus ſymptomatibus letalis. 160.
continuæ incerta per Abſceſſum ſolutio. 325.
icterico-chronica. 32.
quintana. 196. App.
tertiana per ſympathiam curata. 242.
vomitu ex nauſea curata. 103.
Febres intermittentes malignæ. 330.
Fluor albus in puellis. 193. & 202. App.
Fœtus ploratus in utero. 121.
Fonticulorum applicatio non omni tempore tuta. 313.
Fractura Spinæ dorſi admiranda. 1.
Franciana memoria. 323. App.
Frigoris effectus ſalutaris. 281.
Frigus ingens Anni 1709. p. 15. 41. 74. 78. &c. App.
Fulmine ictorum cura. 87.
Fulminis effectus rarus. 389.
Fungi fabrica. 120.
microcoſmici. 196. App.

G.

G*Allici* morbi remedium ſulphur auratum antimonii. 46.
Gemellorum partus rarus. 369.
Gemurſa Plinii quid ſit. 420.
Glandulæ duræ meningis 139. App.
ex mammis excretæ. 103.
Gonorrhœæ rara allevatio. 318.
Gravida hydropica ſine noxa multum purgata. 112.
pro mortua habita parturiens. 381.
Gravidarum noxa ab aere. 48. App.
Gravitatis & cohæſionis cauſa. 239. App.
Grundeliana memoria. App.
Gutta roſacea errhini uſu curata. 289.
ſerena adfecti anatome. 138.

H.

H*Æmoptyſis* in gravida. 235.
Hæmorrhagiæ ex dente evulſo remedium. 45.
remedia. 195. App.
Hæmorrhagia magice curata: 84.
uterina in gravidis. 303.
epidemica. 4. App.
Hæmorrhoidum remedium. 265.
Hepar magnæ molis. 194. App.
Hepaticæ maculæ. 181.
Hermaphroditi hiſtoria. 205.
Hermaphroditicus hædus. 235.
Hippomanis deſcriptio. 193. App.
Hydrocephalus 24. annorum. 90.
cum abſceſſu ſpinæ dorſi. 258.
ex inunctione capitis arſenicali. 323.
Hydrops aſcites curatus. 159.
pectoris. 12.
ſanatus. 386.
per ſomnum periodicum curatus. 147.
tympanites. 387.
Hypercatharſis ex aſpectu potiunculæ laxantis. 263.

Hypochondriacus dolor. 229.
Hypochrondiaci morbi epidemici. 47. App.

I.

Icterus infantis lactentis ex vehementi ira Matris. 176.
Iliaca passio aurea. 318.
singulariter curata. 191. App.
Impotentia ad Venerem. 329.
Impregnationis certum signum. 114.
Inflatio abdominis à convulsione. 179.
Injecta per fascinationem. 197. App.
Intestina a vermibus perforata. 365.
Intestini coli portio abscissa non letalis. 43.
cœci inflammatio & abscessus. 432.
Intestinali tunicæ similes pelliculæ excretæ. 177.
Intestinorum tenuium inflammatio. 431.
Ipecoanhæ in dysenteria usus. 104.
Ischiadici dolores epidemici. 14. App.
Ischuria ex abscessibus mesenterii. 63.
à musculo vesicæ detrusore morboso. 334.
duodecim dierum curata. 268
Ischuriæ causa rara. 396

K.

Kali Transylvanicum. 266.

L.

Lac in mammis virilibus. 194. App.
Lactis examen. 57.
Lacrymarum vitrearum examen. 56.
Lapis fulminaris. 89.
Lenticulæ palustris semen. 166. App.
Lentium species. 180. App.
Lianes plantarum Americanarum scandentium genus. App. 257.
Lienis ruptura. 222.
scirrhus. 205. App.
Linum catharcticum Anglorum ejusque usus. App. 285.
Lithomarga Rothomagensis. 5.
Lolii ex tritico generatio. 171. App.
Lues Gallica cum pustulis extuberantibus. 291.
Lumbrici vesicæ. 363.
Lumbi piscis anatome. 126. App.
Lunæ influxus in corpora morbosa. 57. App.

M.

Mammarum ingens ac subita inflatio. 136.
Mania curata. 134. 157.
ex Plica abscissa. 102.
Martialium selectus. 407.
Menstruus fluxus per labia. 120.
præmaturus. 191. App.
in vetula. 239.
per vomitum. 110
insueto tempore. 110.
Mercurii dulcis præparatio. 413.
in fistula Torricelliana adscensus & descensus causa. 92. App.
Mesenterii mira convulsio. 432
Mictus sanguinis copiosus innocuus. 192. App.
Molæ singulares. 77.
Monorchis anorchin generans. 418.
Morbilli epidemici. 14. App.
Mors subita ex percussione regionis ventriculi. 430 mor-

Mortua credita parturiens & revivi-
ſcens. 381.
Mortui manus ſtrumam curans 199.
App.

N.

Naevus limaciformis. 314.
Napelli antidotum Petroleum. 28.
Niſi radicis uſus. 227.
ſapor γλυκύπικρος. App. 273.

O.

Oculi procidentia. 425.
Odontalgia epidemica. 3. App.
Ophidii piſcis deſcriptio. 128. App.
Opii effectus diverſi. 65.
Os palati ſponte ruptum, & cum ſonitu effractum. 271.
Oſſium ſtrepitus. 196. App.
Ovorum gallinaceorum partus magicus 85.
Ovum in Ovo. 198. App.

P.

Panis abſtinentia. 191. App.
Paralyſis linguæ, faucium & œſophagi. 306.
mira. 431.
Parreiræ bravæ radicis examen. App. 252. ſqq.
Partus ſine partu. 312.
Petræ quadratæ vires. App. 282.
Penis monſtroſa magnitudo. 337.
Peſtis Roſenbergenſis &c, hiſtoria. 292. & 106. App.
Petroleum Napelli antidotum. 28.
Philtri propinati noxa. 239.
Phthiſicis motus noxius. 208. App.
Pica virilis 425.
Pilorum omnium in quodam abſentia. 431.
Pleuritis per univerſalem corporis tumorem ſanata. 146.
epidemica. 2. App.
Plicæ abſciſſæ damnum. 102.
Podagra contagioſa. 192. App.
Porrigo univerſalis ex veſicæ urinariæ defectu. 155.
Ptyaliſmus ſalutaris in Epilepſia. 272
Puerperæ varia Symptomata. 171.
Pulmones infantis per horas octodecim extra uterum viventis in aqua ſubmerſi. 247.
Pulſus naturaliter intermittens. 324.
arteriæ magnæ in abdomine obſervatus. 432.
Purgatio difficilis. 229.
Purgantis medicamenti diverſa operatio. 209.

R.

Rachitis in Germania. 23. App.
Rachitici pueri anatome. 385.
Raucedo venæſectione curata. 330.
Raucedinis remedium 46.
Renum fermentum. 352.
Renes magni. 86. 345.
Rheumatiſmus cum Convulſionibus & carie oſſium. 173.
epidemicus. 3. App.
Ros melleus erucas producens. 240.
Roris corroſivitas. 206.

S.

Salaciſſima mulieris anatome. 344.
Salivatio ſpontanea epidemica 273.
in Varioloſis. 277.
Salivationis ratio formalis. 278.
Sarcoceles ingentis hiſtoria, 252.
Satyrorum exiſtentia. 83.

Scorbutica affectio epidemica singularis. 324.
Scorbuticæ anatome. 366.
maculæ. 181. 208.
Scorbuticus pruritus. 144.
Secundinarum à motu locali expulsio. 122.
Setacei usus. 140.
Siliginis grana nigricantia. 51. App.
spica ex pectoris abscessu prodiens. 218. App,
Singultus diuturnus. 192. App.
Sonus in pariete dubius. 261.
Spiritus vini accensi vis displosiva insignis. 48.
Stercorum virtus medica. 198. App.
Struma feliciter suppurata. 67.
Succini olei largior dosis noxia. 124.
Succinum fluidum Valachiæ. 267.
fossile. 195. App.
Sudor Sanguineus singularis. 71.
suppressus letalis. 135.
Surdo-mutorum cura. 233. App.

T.

Talpa vomitu rejecta. 219. App.
Terra sigillata Brachmanum. 384.
Testiculus humanus osseus. 93.
Theriacæ largior dosis noxia. 125.
Thermometri operosa fabrica. 370.
Tincturæ Alcalinæ. 409.
Tremores convulsivi ex abscessu calcanei. 250.
Tritici in Lolium transmutatio 171. App.
vires. 56.
Tumor vulvæ resectus. 145.
Tussis epidemica. 14. App.

V.

Variolæ in recens nata. 109.
epidemicæ. 40. & 59. App.
Variolarum quædam singularia. 218. App.
Venæ portæ oscula hiant in Intestina. 366.
à Venere nimia urinæ difficultas & tenesmus 66.
Ventriculi in Thee helluonibus constitutio. 3.
percussio letalis. 386.
Verminosus abdominis tumor. 108.
Vesicæ urinariæ defectus. 155.
Vesicatoriorum usus in Asthmate. 333.
singularis observatio. 319.
Vesiculæ ex abscessu inguinali. 214.
Vespæ punctura. 135. & 204. App.
Viola Lunaria monstrosa. 95.
Vitrioli Martis a Venere depuratio. 408.
Ulcus mammarum ex phthisi. 118.
Ungues recurvi monstrosi. 97.
Volvulus a lumbricis.

Vomi-

Vomitus bullæ liquore repletæ. 133.
cruentus innoxius. 194. App.
erucarum. 239.
ſtercoreo-chyloſus periodicus. 279.
Vomitoriorum uſus in Dyſenteria. 107.
Urachi conſtitutio. 433.
Urinæ verminoſa. 201. App.
Urinæ examen per ponderationem, 98
incontinentiæ remedium. 200. App.
retentæ curatio. 316.
Uteri abſentia. 246.
procidentia totalis. 421.
Uterus lapidibus refertus. 148.
Uterinus rarus affectus. 308.
Uvarum racemorum in capreolos converſio. 172. App.
Uvæ barbatæ. 174. App.
Vulnus cordis ſingulare. 68.
hepatis letale. 69.

W.

Wurſbainiana memoria. 306. App.

X.

Xiphiæ anatome. 110. App.

Errata in Observationibus.

PAg. 3 lin. 9 leg. interſtincta. pag. 8. lin. 22. eandem. pag. 9. lin. 4. adaptat. p. 60. l. 24. graviſſimorum. p. 69. l. 26 ad alvum. p. 92. l. 18 obſtructum. p. 125. l. ult. tantillum. p. 127. l. 16. baccis. ib. l. 31. recidivum. p. 155. l. 11. GRASSII. p. 171. l. 29. Ariſtolochiæ. ib. l. 30. ſemin. ib. fœnigræc. p. 181. l. 13 diatheſi. ib. l. 31. collo. p. 182. l. antepen revulſionem. p. 192. l. 4. capitata. p. 194 l. 18. trachææ. p. 197 l. 18 arterioſi p. 202. l. 31. d. 9. p. 209. l. 12. expetantur. ib. penult. definiunt: ib. ult. & ſeqq. Cent. I. & II. p. 214 ult. cui à. p. 216. l. 14. infundi. ib. l. 21. Syringa. p. 225 l. 14. irritatione. p. 240. l. 10. catarticum. p. 241. l. 14. inſectorum. ib. l. 19 teneris. p. 252. l. 2. determinatum. p. 255. l. 12. obturat. p. 256. l. 2. del., ib. l. 30. leg. ac ſic ſatis p. 258. l. 26. appreſſioni. ib. l. 29. impoſiti & contorti. p. 263. l. 27. Spec. diatart. p. 268. l. 3. inſectis. p. 269. l. 23. maceris. p. 270. l. 22 expreſſo. p. 271. l. 28. carioſum. p. 294. l. 6. muniti. p. 295 l. 29. pro puncto ponatur comma. p. 298. l. 23. artis. ib. antepen. nos. p. 302. l. 9. March. p. 320. l. 4 vix. p. 326 l. 5. continuam. p. 333. l. 27. vim morbi. p. 349. l. 3. ſeroſiorem. p. 352. l. 16. ſanguinem. p. 353. l. 16. glandularum. ib. l. 27. glandulas. p. 355. l. 5. quoad. p. 559. l. 24 margam p. 361. l. 27. tam. p. 365. l. 24. Colon. p. 367. l. 11. meſaraicis. p. 391. l. 5. ſurſum. p. 411. l. 28. ſaturatiorem. p. 419. l. 10. Groenvelt. p. 421. l. 4. Harduinianam. p. 423. l. 31. Sem. lin. p. 431. 27. tam.

In Appendice.

Pag. 2. lin. 16. leg. maritatis. p. 6. l. 10. temperatiore. p, 10. l. 11, horæorum. p. 12. l. 24. à. ib. l. 27. exodium. p. 15. l. 11 tracheæ. p. 17. l. 31. multum profuit. p. 40. l. 17. graſſatæ. p, 60 l. 12. alias. p. 79. l. 11. quam p. 83. l. 13. ſuppetias. ib. l. 14. miſeranda. p. 88. l. 12. abdito. p. 98. l. 5. & elaſticitatem. p. 124. l. 20. id. p. 161. l. 18 captis. p. 185. l. ult. fruſtra. p. 189. l. 14. menſæ. p. 195. 7. corripi. p. 200. l. 25. dolores. p. 201. l. 7. pubis. p. 208. l. 14. decurri. ib. l. 19. validus. ib. l. pen. Stuttgardiæ. p. 210. l. antepen. notabilis. p. 211 l. 23. decantatis. l. pen. præcipitati. p. 214. l. 22. decantationes. p. 218. l. 22 ſcalpendo. p. 219. l. 11. ne. p. 228. l. 20. viſo tam. p. 304. l. ult. Coſmas. p. 314. l, 24. laudibus. ib. l. 27. obviam. p. 319. l. 9. deeſſet.